43967/B

GE. GOTTLOB RICHTER

MEDICINAE DOCTORIS MAGNAE BRITANNIAE REGIS CONSILIARII AULICI ET ARCHIATRI MEDICINAE IN ACADEMIA GOTTINGENSI PROFESSORIS PRIMARII, CAET.

OPUSCULA MEDICA

ANTEHAC

IN ACADEMIA GOTTINGENSI SEORSIM EDITA

NUNC VERO COLLECTA

STUDIO

IO. CHRISTIANI GOTTLIEB ACKERMANNI

MEDICINAE DOCTORIS ACAD. IMPERIAL. NATURAE CURIOSOR. COLLEG.

ADJECTUS EST

INDEX RERUM MAXIME NOTABILIUM.

VOLUMEN TERTIUM

FRANCOFURTI ET LIPSIAE,
SUMPTIBUS IOANNIS GEORGII FLEISCHERI.
cIↄIↄccLXXXI.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

VIRO

ILLUSTRI ATQUE EXPERIENTISSIMO

JOANNE JACOBO NAUHEIMERO

MEDICINAE DOCTORI DIGNISSIMO UT ET CONSILIARIO AULICO ET ARCHIATRO ELECTORALI MOGUNTINO MERITISSIMO

FAUTORI AC PATRONO SUO

SUMMOPERE COLENDO

TERTIUM HOC

OPUSCULORUM RICHTERIANORUM

VOLUMEN

IN PUBLICUM PRIVATI SUI OBSEQUII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM

D. D. D.

ILLUSTRIS IPSIUS NOMINIS

OBSERVANTISSIMUS ET CONSTANTISSIMUS CULTOR

JOANNES GEORGIUS FLEISCHERUS

CIVIS AC BIBLIOPOLA FRANCOFURTENSIS.

VIR ILLUSTRIS
ET EXPERIENTISSIME!

Quum nuper diligentius circumſpicerem, cuinam potiſſimum ex medicis noſtri quidem aevi celebrioribus, dedicarem hoc ipſum tertium OPUSCULORUM RICHTERIANORUM Volumen; Tu, VIR ILLUSTRIS, ſtatim inprimis, memoriae occurrebas, ex cujus praeclariſſimo Nomine praefixo ſingulare prorſus decus & ornamentum huic operi acceſſurum eſſe, haud vane augurabar. Hac igitur benigna ſpe, immo firma fiducia, & inſigni Tua praeſertim humanitate ac benevolentia fretus, & veluti ſecurus, audeo nunc hic Tibi decenter offerre hoc ipſum novum OPUSCULORUM RICHTERIANORUM Volumen, eruditis quidem lectoribus aeque gratum & acceptum, ut certe ſpero futurum; ac priora duo volumina propter rerum praeſtantiam, ſtilique ſimul elegantiam, jamjam lectu digna & jucunda merito ciſa fuerunt. Iſtud igitur a me accipe quaeſo, ſerena fronte & placida mente, tanquam publicum ſummae meae erga Te obſervantiae ſignum ac pignus, gratique ſimul animi documentum, pro ſingulari ſcilicet Tuo favore, quo memet ipſum, meamque Tabernam librariam hucuſque benigne dignatus fuiſti. Neque ingratum prorſus, uti equidem ſpero, Tibi erit hocce meum munuſculum, quum NOMEN RICHTERIANUM, ceu Tibi quidem ſatis conſtabit, inter eruditos certe Medicos, eminentius fulgeat, veluti Luna inter ignes minores.

Poſſem nunc quidem, immo vellem etiam libenter, in ampliſſimas laudes Tuas longe lateque excurrere; niſi generoſum hunc animi erecti impetum ſubito reprimeret ſingularis iſta Tua modeſtia ac verecundia, quae nempe omnis laudis, tametſi meritiſſimae, impatiens, omnia praeconia publica recuſare ac declinare conſuerit. Ne igitur in publice enarrandis Tuis meritis ac virtutibus, Tibi taedio & faſtidio ſim; tacebo jam potius, & intimo tantum pectore Te venerabor. Liceat autem interea mihi, uti equidem ſpero ac confido, publica hic vota nuncupare pro perpetua Vitae Tuae utiliſſimae incolumitate: Servet igitur Te Deus ſummus adhuc quam diutiſſime ac feliciſſime, praeſertim in almam SERENISSIMI TUI PRINCIPIS ELECTORIS *ſalutem, aegrotorum, auxilium Tuum exoptatum anxie implorantium ſingulare commodum ac ſolatium, ſanorum etiam & amicorum commune gaudium & oblectamentum, & ipſius potiſſimum eruditi orbis eximium ſplendorem atque honorem. Ita ergo ſemper bene, immo optime Vale VIR ILLUSTRIS, meque, ac rem meam librariam etiam inpoſterum, favore illo Tuo conſueto dignari quaeſo, perge! Scribebam Francofurti ad Moenum, Calend. April.* CIƆIƆCCLXXXI.

IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

I. G. G. RICHTERI Proluſio de morte ſine morbo, tanquam extrema artis ſalutaris meta, & de legibus diaeteticis, quae ad illam maxime ducunt. 1736.

II. Proluſ. de cauſſis inſtabilis medicamentorum effectus. 1736.

III. Proluſ. de judicio virium medicarum pro variis vegetabilium partibus. 1737.

IV. Proluſ. de celeri ingeſtorum mutabilitate non ſemper ſalubri. 1737.

V. Proluſ. de prudentia medica, ambiguos naturae motus & criſes determinandi. 1737.

VI. Proluſ. de naturae apparente prodigentia ratione ſeminum. 1738.

VII. Proluſ. de veterum empyricorum ingenuitate. 1741.

VIII. Proluſ. de naevis theoriae medicae. 1741.

IX. Proluſ. exhibens brevem de voce *κοιλίας* diſquiſitionem. 1741.

X. Proluſ. de repentina morte hominum ſpecie ſanorum. 1741.

XI. Proluſ. de virtute ſtomachica vini calidi. 1741.

XII. Proluſ. de purpurae antiquo & novo pigmento. 1741.

XIII. Proluſ. de materia & ſede podagrae. 1741.

XIV. Proluſ. de mania erotica. 1741.

XV. Proluſ. de viis ſputi pleuriticorum. 1744.

XVI. Proluſ. exhibens cenſuram nimiae laudis haemorrhoidum. 1744.

XVII. Proluſ. exhibens brevem inquiſitionem in Hippocraticas ſcorbuti antiquitates. 1744.

XVIII. Proluſ. qua aſſuetudo venena ferendi in drimyphagis expenditur. 1744.

XIX. Proluſ. de phthiſi ſine ulcere. 1744.

XX. Proluſ. exhibens judicium de phthiſi nervoſa. 1744.

XXI. Proluſ. exhibens vindicias Herm. Boerhaavii adverſus cenſorem anglum. 1744.

XXII. Proluſ. exhibens conjecturas quasdam de duplici novo inflammationum exitu, rigeſcendo & deſquamando. 1748.

XXIII. Proluſ. de criſibus veterum in morbis, iisque proprio tempore. 1748.

XXIV. Proluſ. de balneo inprimis animali. 1748.
XXV. Proluſ. de jejuniorum ac nimiae ſobrietatis noxis. 1752.
XXVI. Proluſ. de conſtantia ſenilis valetudinis. 1752.
XXVII. Proluſ. de piſcium ſalutari cibo. 1752.
XXVIII. Proluſ. de limitandis laudibus perſpirationis. 1753.
XXIX. Proluſ. de ſalutaris ſomni menſura & tempore. 1753.
XXX. Proluſ. de ſalutari ſitus corporei varietate Litteratis etiam, qui ſcribendo, legendo, meditandoque occupantur, opportuna. 1756.
XXXI. Proluſ. de ſalutari dormientium ſitu. 1756.
XXXII. Proluſ. de lege conſuetudinis concilianda. 1756.
XXXIII. Proluſ. qua oſtenditur frigus capiti, fotum caloremque pedibus magis convenire. 1756.
XXXIV. Proluſ. de inſalubri lactis & vini miſcela. 1756.
XXXV. Succincta commentatio de morte Servatoris in cruce. 1757.
XXXVI. Proluſ. de ſalutari, limitando tamen equitationis exercitio. 1757.
XXXVII. Proluſ. de medico morientis adſpectum magis quam mortui fugiente. 1759.
XXXVIII. Proluſ. qua paralyſis alio ſenſu priſcis, alio recentioribus ſumta ad paralyticos N. T. accommodatur. 1759.
XXXIX. Proluſ. qua contra mendaciorum immunitatem a Platone Medicis conceſſam diſſeritur. 1759.
XL. Proluſ. qua victus animalis antiquitas & ſalubritas expenditur. 1761.
XLI. Proluſ. de ſiccis & ſobriis. 1764.
XLII. Proluſ. de commodis ſenectutis, inprimis ſenili ſatietate vitae. 1764.

Proluſio

PROLUSIO
DE
MORTE SINE MORBO,
TANQUAM
EXTREMA ARTIS SALUTARIS META,
ET DE LEGIBUS DIÆTETICIS,
QUÆ AD ILLAM MAXIME DUCUNT.

QUA

MUNUS MEDICINAM IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

PUBLICE DOCENDI

MENSE APRILI 1736.

AUSPICATUS EST.

CONSPECTUS.

§. I. *Seneſcere & ſine morbo exſtingui, temperantiæ fructus, in juventute & inter morbos enecari intemperantiæ pœna.* §. II. *Meta extrema medicinæ, longævitatem dare & ἐυθανασίαν ſive naturalem mortem, quæ eſt ſine morbo.* §. III. *Neceſſitas mortis, contra quam luſit quorundam ingenium, an ex corporeis*

cauſſis derivanda? dubitarunt nonnulli. §. IV. Inquiſitio in cauſſas tam remotam quam proximas, a quibus falſas ſegregat ſtabilitque veram. §. V. Structuræ corporeæ ad cauſſam illam evoluendam ſuccincta expoſitio. § VI. Motum vitalem per tria ætatum intervalla a debiliſſimo vaſorum nixu ad ſummum, qui cauſſa mortis eſt, neceſſario tendere demonſtratur. §. VII. Progreſſus hujus conſtantia & termini fatalis, fixi an mobilis? ratio. §. VIII. Mortis ſine morbo penitior conſideratio. §. IX. Confirmatio dictorum ex augmentis motus vitalis, cum quibus ſemper præcipitatur ſenium & mors. §. X. Commoda vegetæ ſenectutis, quæ in placidam mortem terminatur. §. XI. Viæ ad illam perveniendi per temperantiam in uſu rerum, quæ corpus quotidie afficiunt & ingrediuntur, ſecundum leges diæteticas. §. XII. Accomodatio argumenti ad præſentem ſcopum.

§. I.

SEnilem animam, quæ ſobrie & inſtitutis naturæ congruenter in corpore ſuo vixit, ab hujus vinculis leniter, id eſt, ſine morbo divelli, magni momenti veritas eſt. Liberat enim ſenectutem, ad cujus extremos terminos communia fere mortalium vota enituntur, a tot malorum, quæ ſecum vehere creditur, triſti contubernio; quandoquidem nulla ætas ſub ſuo onere ſuavius occumbit, nulla in ſe contra metum mortis & irritamenta malorum plus habet præſidii. Neque ſi ſenes audias de ſarcina corporis ſui quotidie querulos, culpam ingraveſcenti rectius quam retro actæ ætati tribuas. Nam qui ſemel cum valetudine ſua manus conſeruerunt, qui pueri qui puberes qui viri columnas ejus concuſſerunt, quod robur corporis in occaſu vitæ exſpectent? Ad hos pertinet illud Antiphanis, qui vitam vino comparat, cujus utriusque pauxillum, quod reſtat, fex ſit & acor. Quemadmodum vero non omne vinum, ſic nec omnis ætas vetuſtate aceſcit. Largas natura longisque injuriis ferendis pares in corporis tutelam vires ſuggeſſit, & per motuum æqualiter decreſcentium lentiſſimos gradus ad quietem perducit. Neglectim vero

vero habitas diſſipatasque opes ſuas merito vindicat, hujusque criminis reos per tormenta, hoc eſt, per morbos ad mortis ſupplicium trahit. Ita plerique ſuis ſe telis conficiunt, & per quotidianas multiplicesque valetudinis offenſas ſpem ſuæ longævitatis ipſi ingulant. Nullum ab incunabulis medicinæ ſeculum effluxit, quod non novas intemperantiæ pœnas, nova morborum portenta tulerit, per quæ tanquam tot arietes vegetiſſimæ valetudinis muri quatiuntur, & nunc aperto marte nunc per cuniculos arx & præſidium vitæ expugnatur. Digniorem igitur metam medicina non habet, quam qua homines per lubrica ætatum ſpatia, per aſperas præruptasque vias lento ac provido gradu, quo uno vacillantes ſuſtinemur, ad naturales vitæ terminos comitatur. His ſaluberrimæ artis legibus qui familiariter adſueſcunt, omnesque vitæ errores, tanquam qui Siculum mare trajicit, ſcopulos Auſtrique minas fugiunt, illi non raro cum Quintillo Plautiano *a*) rebus ad ſepulturam ſuam diu comparatis tanquam funeri ſuo ſuperſunt, aut cum Seneca *b*) mirantur, ipſa ætatis ſuæ ſaxa computruiſſe. Opus certe non eſt, elephantis, cervis, cornicibus invidere, quorum vivendi ſpatia ſeculi menſuram excedere auctores comminiſcuntur, penes quos fides ſit: haud inopes nos temporis ſumus, ſed ejusdem per luxum & negligentiam defluentis prodigi, cui manum inicere & horas omnes complecti eo æquius eſt, cum ſera in fundo parſimonia ſit.

§. II.

Viridem itaque ſenectutem, quam mollis ſopor exſoluit, extremum præſidium eſſe reor, quod medicina partim in votis partim in poteſtate ſua habet, cujus tamen ſimul arctos limites verecunda agnoſcit. Una omnibus moriendi ſors imminet, alium vero niſi per morbos exitum patere, plurimi dubitant. Generatim nimis & univerſe Thomas Browne *c*) pronuntiat, aditum ad

a) Dio Caſſius & Xiphilinus in Severo.

b) Ep. ad Lucil. 12. in qua pulchre aetatis ſuæ villam ruinoſam, platanorum a ſe poſitarum retorridos ramos; decrepitumque ad fores, quem puerum amaverat &c. deſcribit.

c) Relig. med. P. I. §. 43.

ad mortem morte ipſa longe acerbiorem eſſe, & emori ſe nolle addit, mortuum autem eſſe nihil curare. Haud in alios metus ille homines cadit, quam qui corporis ſui vires excuſſo ſalutarium legum freno mature prodigunt. His omnino mala merx a tergo eſt ſuperveniens, ſi ſupervenerit quidem, ætas. His ex putri & diffluente domuncula deſcendere ad inferos alia via non licet, quam inter ſpinas morborum. Facilem, ut jam præmonui, exitum pauci illi ſortiuntur, qui naturæ in ſuam ſalutem intentæ veſtigia preſſo & ſuſpenſo pede ſequuntur, difficilem, qui audaci gradu antevertunt. Omnes, inquam, validis parentibus geniti & ab externis violentisque offenſionum cauſſis, quibus vel vegetiſſimi ſubito opprimuntur, immunes, naturæque legibus, quas longa ſeculorum obſervatione collectas cultior medicina præſcribit, obtemperantes haud vitæ avelluntur, ut ait ibidem Seneca, ſed minutatim ſubducuntur. Hæc illa *ἐυθανασία* eſt, quæ omnem a morte vim ſeparat, quæ ſpicula ejus obtundit & ex Platonis *d*) judicio cum voluptate potius quam dolore ſenes ex hoc viventium cœtu dimittit. Si Theologus eam *ἐυθανασίαν* conſiderat, qua anima, quantum fieri poteſt, pura & ſine labe in tutum recedit, aliam medicus non conſiderat, quam qua eadem inter ſenilia quaſi labra hærens a corpore ſine vi diſtrahitur. Hanc ſibi ſuisque Auguſtus *e*) optavit, quoties hominum cito & ſine cruciatu defunctorum mentio fieret, alteram ignoravit,

d) In Timæo. Haud ſecus ſentit Ariſtoteles C. 17. de reſpirat., ſine dolore, inquiens, in ſenectute mors eſt.

e) *Ευθανασία* lenitatem mortis ſignificat, quæ in apoplecticis lethargicis ſimilibusque locum non habet, quamvis etiam hi ſubito & ſine cruciatu nonnunquam exſtinguantur. Præterea enim, quod tam atroces morbos mortis comites expoſcere immane votum eſſet, hoc in Auguſtum cadere eo minus poteſt, cujus mentem Suetonius luculenter expreſſit. Scribit eum ſupremo die capillum comi juſſiſſe, amicos inter jocos ſalutaſſe & in oſculis Liviæ blandoque alloquio ac pleno rationis uſu defeciſſe, ſicque *eum ſortitum eſſe exitum, qualem ſemper optaverat.* Quinimo cum turbata aliquantulum ſubito pavore ratio videri potuerit, hoc idem Suetonius pro præſagio quam diminutione mentis interpretari maluit, ut veram vindicaret Auguſti *ἐυθανασίαν.* in vit. Aug. §. 99.

vit, & in novæ ſpei locum hæc moribundus verba ſubſtituit. Acta eſt ſcena, plaudite! Rabbinorum *f*) ſententia placidam mortem eam cenſuit, qua anima ex corpore inſtar pili ex lacte, aut ſecundum alios inſtar muci ex naribus, gravem vero eam, qua inſtar funis ſetacei per anguſtum aſſeris foramen extrahitur. Sunt qui ab igne poſt abſumtum pabulum ſponte ſubſidente aut maturis frugibus aëre ſereno deciduis ſimilitudinem petunt, qua omni neglecta nobis ſatius erit vitæ & mortis communes definire cauſſas & machinæ hujus corporeæ nunc per vim nunc ultro & liqueſcente quaſi naturæ glutine dehiſcentis leges expendere, denique medicinæ metam, quæ ſua præſidia præcipitis fati rationibus opponit, aditumque ad mortem a morbis liberat, paucis ſub novi muneris ingreſſum conſiderare.

§. III.

Mors ipſa, omnibus, quibus naſci contigit, obeunda, oſtendit ultro, ſemina interitus noſtri in nobis latere. Eximant, quibus placet, cum Epiphanio Mariam, cum Weigelio Moſen, cum aliis Joannem, nullam certe alii in his exemplis perennitatis ſuæ ſpem collocabunt, nec cum Paracelſo aut hodiernis etiam Chinenſium proceribus *g*) humanæ facultatis opus judicabunt, corpus in hoc mundo immortale reddere. Illi etiam, quibus plus otii & ingenii eſt, præeunte Jo. Ad. Schertzero *h*) mori hominem non poſſe docto ſophiſmate evincant, quale olim ſuper menſam Tauri Philoſophi agitatum fuit *i*). Serius & cum majori ſapientiæ ſpecie luſiſſe videntur Petrus Poiretus *k*) & Gottfr. Guil. Leibnitius, *l*) qui nullam eſſe mortem niſi apparenter cum Apollonio docuerunt. Putat alter, craſſum duntaxat corporis corti-

f) Syſtem. Theol. L. 19. p. 541.
g) Trigaut. L. I. de Expedit. Chr. apud Sinenſes C. 9.
h) In manuali philoſ. P. 5. C. 6.
i) V. A. Gellii noctes Attic. L. VI. C. 13.
k) Oeconom. divin. Edit. Lat. T. I. L. III. C. II. p. 625.
l) V. Journal des Savans A. 1695. 27. Jun. it. in Theodicæa ſparſim. Adde venerandi C. M. Pfaffii ſchediaſma de morte naturali §. 3. ejusdemque reſponſiones illis philoſophorum ſententiis oppoſitas §. 4. & 5.

corticem deponi, nec vere animam & corpus morientium ſolvi. Alter animas cum machina ſua ita conſervari cenſet, ut hæc deſtructis craſſioribus partibus ad parvitatem in morte redeat ſenſibus æque parum quam in prima origine obviam, aut ut alio loco ſe explicat, præexiſtentes ab initio rerum cum ſeminibus animas evolui in generatione, in morte rurſus involui, adeoque nec naſci naturaliter nec perire. Nihil ad nos pertinet, has cum inſigni arte fabrefactas larvas oppugnare. Revera enim cum rudi plebecula agnoſcunt doctiſſimi viri, vitam noſtram terminari, quamvis in quo conſiſtat nova mutatio, acutius inſpexiſſe videri velint. Noſtra conſideratio in limine mortis ejusdemque naturalis, haud ulterius progreſſura, ſubſiſtit, & præcedentes potiſſimum cauſſas, quæ ad mortem ducunt, a medica manu prudenter gubernandas æquis momentis ponderabit. Atque ejusmodi cauſſas in omni naturæ ambitu reperiri nullas, illuſtris Stahlius *m*) docuit. Negat ulla ratione comprehendi, cur id quod durare tot annos poſſit ac vivere, non poſſit ſemper, cur id, quod per quadraginta & plures annos noxas avertere & damna reparare norit, inter eadem vitæ adminicula tandem ignoret? Cuncta denique non ſine magno demonſtrationum compendio ad principium ſuum vitale ſive animam, cujus vires ac curæ conſervandi tuendique corporis, non ullo vitio ſuo ſed ex ſtatuto divino fatiſcant, excluſa ſpretaque omni corporea ratione transferre cum ſectatoribus ſuis *n*) mavult. Quid hoc eſt aliud quam rei obſcuræ novas tenebras affundere, aut rem mirabilem per miracula explicare? Expreſſa voluntatis divinæ veſtigia in operum congenitis viribus ſcutari fas eſt, non extra has illam temere ſuſpicari.

§. IV.

In hoc corpore autem longe apertius latere inevitabilis mortis rationes, cum doctiſſimis viris ſentio *o*). Et quis partes tam fluxas

m) v. ej. Theor. med. P. II. M. III. p. 20. ſq. it. ej. diſſert. de mortis theoria medica.

n) Ex his v. cl. Nenteri diſſert. IV. in faſciculo diſſertationum Acad. p. 202.

o) Conſulantur illuſtres viri J. G. Bergerus in diſſert. de vita & morte; F. Hoff-

fluxas & caducas putredinique ſponte obnoxias tandem diſſolvi miretur, cum ſtirpium imo lapidum marmorumque longe firmiorem compagem ætas deſtruat, & generationum corruptionumque mutuæ viciſſitudines totum hoc univerſum impleant? Neque tamen repugnare auſim, vinculo tam fragilium partium, ex quibus corpus noſtrum divina arte coaluit, perennitatem accedere potuiſſe, quæ certe Adamo peccati labe nondum infecto ſperanda fuit. At ſperandam fuiſſe novarum virtutum acceſſione non congenitarum præſidio crediderint multi. Sane quale hoc corpus fuerit ante contractam labem, noſtrisne omnino ſimile an Poireto *p*) judice pellucidum & nullis injuriis penetrabile, quale reſurgentium erit, nil attinet inveſtigare, quid enim in lituris illis veſtigii? Satis ceteroqui credibile eſt, cum ipſo peccato æquilibrii internarum partium magis everſa eſſe præſidia, & cum amiſſa divina imagine ſapientiam intus forisque corruptionum cauſſas arcendi periiſſe, quin & ipſa deinceps, quæ ſalutaria erant remedia, inter ſpinas & carduos ex ſinu telluris longe debiliori virium apparatu germinaſſe. Ex altero patet, corpori ruinas ſemel agenti ſuppetias ferri amplius non poſſe, alterum probat, ſuppetias ipſas, quæ integro ferri potuerint, ut longævum aut forte perenne eſſet, alta ignorantiæ nocte ſepultas jacere, imo nec extare amplius. Noſtrarum non eſt partium hunc campum latius ingredi, corporisque tum integri tum per peccatum labefactati diſcrimina vano auſu ſcrutari, ſed hujus tantum in præſenti ſtatu conſiderandi neceſſarias ruinas intueri. Ad has illuſtrandas quot non peregrina nomina calidi innati, humidi radicalis, flammulæ vitalis & centena alia in ſcholas medicorum invecta ſunt? quæ ſane intellectum veri inveniendi cupidum haud plus ſatiant, quam illa olim Aegyptiorum *q*) commenta, quibus cor humanum ad quinquageſimum uſque ætatis annum binas

Hoffmannus in Medic. Syſtemat. T. II. p. 54. H. Boerhaave inſtit. Med. §. 1053. 1054. His ſubjungatur oratio I. O. Schachtii de ſenili fato ex corporis mechaniſmo habita A. 1729. it. Diſſ. M. G. Thalheim de mechanica moriendi neceſſitate habita Halæ 1735.

p) Oeconom. divin. T. I. L. I. C. XXII. §. 14. 15. p. 319.

q) Plinii Hiſt. Nat. L. II. C. 37.

binas quotannis drachmas lucrari & tantundem deinceps per ſimilia intervalla perdere viſum eſt. Quemadmodum ex hac conjectura nemo naturaliter niſi abſumto corde mori potuit, ita ex illorum calculo nemini fas fuit interire niſi abſumto radicali balſamo & vitali ſulphure ſimilibusque, quorum nec focum nec nutrimenta nec copiam nec neceſſarias conſumtiones ulla veroſimili ſpecie indigitare licuit. Expeditior longe via eſt, quam motus aperit vitalis, ab actione muſculoſa cordis & ſecretoria cerebelli pendens. In quo adſtruendo ut nulla fictione opus eſt, ita de iis mutationibus, quas producit in corpore, abunde ſatis & luculenter inſtruit intellectum. Ille igitur cauſſa eſt ortus & interitus noſtri, ille ſurgentis & occumbentis corporis fata dirigit, illius ope creſcimus, ſtamus & diminuimur, quod quomodo in hac corporis ſtructura neceſſario eveniat, paulo fuſius proſequemur.

§. V.

Palam eſt, omnia vaſa noſtra, ex quibus totum hoc corpus conſtat, integumenta habere, quæ attentis oculis non niſi novam exhibeant vaſorum congeriem. At horum rurſus latera ſimilis canaliculorum ſtructura fulcit, quæque conformitas eſt operum naturæ, poſt longas demum decreſcentium vaſorum ſeries terminari poteſt humana cognitio in ultimis vaſculis, quorum parietes nullo amplius vaſculoſo contextu ſed mere fibroſo gaudent. Hæ vero fibræ elementa ſunt & ſtamina totius corporis, quorum puncta contactus nunc ampliori nunc anguſtiori ſuperficie cohærentia externarumque virium actione in mutuos amplexus varie ſollicitata diverſos flexilitatis & rigiditatis gradus conſtituunt. Quo minor eſt ille minimarum partium nexus & languidior cauſſa ad nexum impellens, eo debilior fibra eſt & vi moventi obſequentior. Verum etiam res eſt in triviis medicorum hodie notiſſima, fluida noſtra, quæ limitibus vaſorum coërcentur, ſecundum horum decreſcentes magnitudinis tenuitate ac viribus differre, omnia vero vi cordis in vaſorum ſuorum impelli latera, horumque æquali renixu per totum corpus circumagi, ſuisque muneribus a conditoris ſapientia præfinitis defuncta, quiquid effœtum & attritum eſt, ſegregare & eliminare, quidquid in eaſdem

fun-

functiones ſuccedere poteſt, recipere, fovere & aptare. Hoc efficit, ut per ſingula quaſi vitæ momenta renaſcamur, nec ſentiamus vitali pabulo nos indies privari, dum non ſentimus nos novo potiri. Quemadmodum flamma candelæ, qua æther oleoſas partes intra fornicem æreum volut attenuat & diſſipat, una ſemper ſpecie apparet, quamvis ad ſingulas conſumtionem ſeries novum pabulum, nova flamma ſuccedat; ſic vita per tot motus novi fluidi per nova vaſa continuata non una eſt, ſed multiplex, neque unum cor, unus pulmo, unum cerebrum ad ſeros annos ſufficere poteſt. Qui hoc ſenſu animam noſtram in varia corpora migrare contendit, huic innoviis verbis ludere licebit. Multa omnino viventes conſumimus corpora, & dum quis fluvium intrat & ſubito egreditur, quamvis vix unius momenti hæc mora ſit, recte tamen aliquis cenſuit, alium jam fluvium eſſe, alium hominem. Tam mirabile nimirum eſt in hac perpetua partium jactura, quod vivere dicimus & perdurare. Quæcunque tamen ſint iſta reparandi corporis ſubſidia, certe perennia non ſunt. Si enim tale omnino conſervarent corpus, quale inveniſſent, non ex pueris viri, ex viris ſenes fieremus, verum in illo perſiſteremus gradu, quo nos natura genuit. Quodſi vero diverſarum ætatum gradus tam manifeſte ſe invicem excipiunt, & ad majorem indies cohæſionis nixum fibras ac vaſa diſponi videas, ita ut tandem omnem fluidorum impulſum nixus ille ſuperet, in qua re alia quam motu vitali patet ratio? Dum nimirum per majora vaſa tranſiens ſanguis quovis momento latera premit et diſtendit, hæc vero latera ex vaſculis conſtant ſuo liquido repletis, adeoque ille motus ad extremos decreſcentium vaſorum fines propagatur, neceſſe eſt, minima vaſcula, quibus externa vis, quam modo deſignavimus, perpetuo incumbit, ſenſim comprimi, liquido ſuo orbari & in unam coaleſcere fibram, ſiquidem naturæ non alia lex eſt, quam meatus, per quos continuus fluxus fieri non poteſt, oblitterare. Quis neſcit, grandia illa vaſa umbilicalia, ſimulac fœtum enixa eſt mater, et poſtea ſanguinis tranſitus intercipitur, protinus in ligamentum abire, vias illas, quæ ex caruncula oculi ad nares ſeroſum laticem vehunt, hoc excluſo ſtatim aboleri, pulmonem coſtis, pericardium cordi, niſi tenuis

 lym-

lympha interfluit, adnaſci, quin & inteſtina, longa fame exinanita ſic tandem complicari, ut cibus poſt illa jejunia ſumtus negato tranſitu ſubitam mortem intulerit. *r*)

§. VI.

Ut de his plenius conſtet, trium aetatum, quæ pari intervallo a ſe diſtant, metienda ſunt ſpatia. Cum in impulſu fluidorum vaſorumque renixu omnis vitalis motus conſiſtat, neminem inter primas de humana natura obſervationes fugere poteſt, fluidorum in prima ætate prævalere impulſum, & tenera vaſcula, quorum extendit parietes, ad incrementi ſui extremos limites perducere, in ſecunda ætate pares eſſe ſolidorum fluidorumque vires cum quadam actionum noſtrarum conſtantia conjunctas, in tertia vim ſolidorum prævalere inter tot vaſorum, quæ ſibi ſenſim ſociavit, ſpolia, adeoque cum actionum noſtrarum diminutione impellenti fluido magis obniti. Ita creſcimus ſtamus ac decreſcimus per ſimiles ætatum gradus, ut in cujus incremento ter ſeptem natura annos impenderit, eum ſtare tamdiu permittat ac creſcere, (niſi externa vis ordinem turbet) & ſecundum hunc calculum trium ac ſexaginta annorum ſpatium tribuat. Quorum incrementis plus temporis indulget, his ad longævitatem major affulget ſpes, & in magno ii errore verſantur, qui liberorum ſuorum ſubitis incrementis & præcoci ingenio applaudunt. *ſ*) Quanto æquius apud Germanos veteres, *t*) qui diutiſſime impuberes permanſerunt, maximam inter ſuos tulere laudem, quod his ali ſtaturam, his vires nervosque confirmari perſuaderentur. Nemo in ſacro codice occurrit, qui Methuſalæ attigerit ætatem, ſed & nemo, qui eo tardius ſobolem genuerit. Videas quidem, iis, qui inter maxima corporis exercitia adoleſcunt, brevi toros creſce-

r) Fuit meo tempore in Holſatia, qui Plœnæ A. 1719. melancholicis ſomniis deluſus jejunium 40 dierum ſuſtinuit, ſub primordium vero ſumti cibi occubuit, v. Dethardingii diſſert. de jejunio illo quadrageſimali.

ſ) V. Ill. Bœrhaavii Inſtit. Medic. § 885 N. 4. & 7. ubi lentum corporis incrementum & tardum ingenium in longævis requirit.

t) Jul. Cæſ. de bello Gallico L. 7.

ſcere & robur, hoc vero quid aliud eſt, quam ætatis ſuæ decurſum praecipitare? In hoc auctiori motu, qui fibras durat & conſtipat meatus, recte Sanctorius celeris ſenectutis & mortis cauſſam poſuit. Nemo non videt, a ſumma fibrarum mollitie per neceſſarios eorum coalitus ad ſummam duritiem continuum fieri progreſſum, & eo quidem celeriorem, quo vehementior motus urget. In tenello corpore quid præter tenerrima vaſa, quæ leviſſimo impulſui cedunt, explorat oculus? quas non vibrationes a prævalente vi fluidorum derivandas digitus ſentit pulſui admotus? febriles illas in adultiori ætate diceres. In ſenili vero corpore quid præter rigidas fibras & inflexiles, ac vix cultro ſecandas, vix coctione emolliendas ſe ſiſtit conſpectui? Quidquid intermedii ſpatii eſt, tot ſunt gradus a ſumma laxitate, quæ omni motui naturali cedit, ad extremam regiditatem, quæ cedit nulli. Oſſa embryonum mollitiem cartilaginis imo membranæ referunt, et myriades tubulorum oſtendunt, ſenum membranæ cartilagineæ ſunt imo oſſeæ. Certe de arteria magna, carotide ac vertebrali res eſt ſatis manifeſta, quod ex Boneti aliorumque locupletiſſimis obſervationibus diſcere quilibet ſine erroris ſuſpicione poteſt. Joannis Deutſchmanni, Vittebergenſis Theologi, qui octogenario major diem obiit, reſectum corpus arteriam magnam ad ilia usque deſcendentem fere totam exhibuiſſe oſſeam, ex ore generi, Chriſtiani Vateri percelebris medici, cujus hoſpitio & inſtitutione aliquamdiu uſus ſum, ſæpius accepi. Neque illos conjectura fefellit, qui os dubiæ originis, quod vocant de corde cervi, pro ſepto cordis intermedio aut parte vaſis majoris interpretati ſunt, favente recentiorum obſervatorum judicio. Neque id mirum, quod longævi hujus animalis velociſſimus motus, qui comprimit & condenſat, in præcipua originis ſuæ ſede exſerat Sui veſtigium. Extremarum vero partium rugas, quibus nec medicina nec pietas filiorum moram affert, quis dubitet ex concreſcentium vaſorum in unam fibram glomere conſtare? Quid ſolus auctior motus hic valeat, inter artificum exercitia intelligimus. Vola manus fabrorum quam calloſa eſt ex aſſiduo adverſus malleum canaliculorum attritu! Scribarum callus in digito, cui calamus incumbit, ſutorum in adverſa manu, quam fila cerata

premunt, alii aliorum cum certo artis ſuæ indicio conſpicui ſunt. Ex qua ratione præceptor olim meus, vir celeberrimus Auguſtus Quirinus Rivinus ex ſolis manuum callis omnes artificum artes ſe ultro divinaturum eſſe haud irrito ſucceſſu aſſeverabat. Internorum pariter vaſorum lituras uno illuſtrabo exemplo. Tunica villoſa, quæ tubum ventriculi & inteſtinorum interne inveſtit, nec niſi canaliculorum ex ſubſtratis glandulis emergentium, & ut ſegregatam ibi lympham digerendis cibis affundant, apertis oſculis in cava utriusque tubi hiantium faſciculus eſt, quot non per minimum ambitum in prima ætate fonticulis ſcaturit? Quidquid ingeritur alimenti, tam copioſo rore adſperſum ſtatim ſubigitur, hujusque leniſſimis ſtimulis fere per horas novum capiendi cibi deſiderium excitatur. Decliviori ætate ita ſenſim hi rivuli ſiccantur, hi meatus oblitterantur, ut & cibum per longa intervalla faſtidiat ſenex, & receptum ægre digerat. Quod fieri ſecus non poteſt, cum quaquaverſum tam diverſi generis cibi potusque nunc copia nunc interna virtute ſua premant ac diſtendant. Callus, quem in externis partibus frequens motus inducit, per eundem in interno viſcerum foco haud minus generari poteſt, & ſicci inſtar corii in ſene hæc tunica eſt, quæ in juvene tot undis per omnia laterum puncta exundavit. Male vero paratus chylus quemadmodum per ſingula viſcera novam ſubire mutationem debet, ut inquilini nutrientisque humoris indolem ſuſcipiat, ita ubivis parte virtutum ſuarum, quæ conferri debuerant, defraudatus exigua dote ac tandem nulla ad munera ſua abit. Eſt itaque perpetuus corporis motus cauſſa ut incrementi ſic diminutionis noſtræ & ſapientiſſime Seneca *l. c.* quotidie, inquit, demitur pars vitæ, & tum quoque cum creſcimus, vita decreſcit.

§. VII.

Cum diverſarum ætatum neceſſarius progreſſus ex natura ſolidorum ac fluidorum eorumque mutua actione intelligi haud difficulter poſſit, patebit ultro, quid fidei habendum ſit impoſtoribus, qui ſenum capillos defluentes, dentes elabentes, menſes emanentes reddere, & aridam pellem colubrinæ inſtar renovare ar-

artis ſuæ opus jactitant. In eodem hæc numero habenda ſunt quam fabulæ veterum, qui Minervam ajunt Ulyſſi, Heben Herculi, Medeam Aeſoni juventutem reſtituiſſe. Quibus omnibus magis lepidum eſt, quod ex teſtimonio ſacerdotum Aegyptiorum Herodotus et Plato ſcripſerunt, *u*) nempe intra ſpatium annorum 11340 Solem bis exortum ubi nunc occidit, bis ubi nunc oritur occidiſſe, hinc quodvis animal tum temporis in ſua ætate non progreſſum ſed retrogreſſum eſſe, ſenum canos reflaveſcere cœpiſſe, genas hiſpidas glabras evaſiſſe, & quæ ſunt alia redeuntis juventutis argumenta. Nemo facile intelliget, quid commodi tum temporis tenellis in cunis vagientibus fuerit exſpectandum, quos certe utero iterum materno reſorberi oportuit. Dubito, an alius farinæ ſit, quod cl. Maffey *x*) de homine refert, qui per ætatem CCCL annorum ter juvenis ter ſenex fuerit, cui narrationi fidem non habere turpius ait quam decipi. Cultioris ævi paulo difficilior eſt ad fabulas illas aſſenſus. Impoſſibile mihi videtur, ut vaſa abolitis meatibus in unam fibram glomerata & firmiter compacta reſerentur, hoc eſt ut ſenes reiuveneſcant. Quamvis enim horum ejusmodi ſubinde vigor ſit, quo dentes triplici apud quosdam ſerie in ſubſtratis alveolis latitantes erumpunt, capilli etiam novo colore tinguntur, nihil tamen in his eſt, quod menſuram ſuperſtitum in iſta ætate virium ſuperet. Omnia properant ad terminum ſuum, gradus minuere licet, at pedem referre nunquam. De hoc termino vitæ noſtræ, mobilis ſit an conſtantiſſimo decreto definitus? doctiſſimorum virorum mire fluctuaſſe ſententias notum eſt. Cujus quæſtionis tria exiſtimem momenta diſtinguenda eſſe. Primum eſt, ut hoc corpus noſtrum ſuis varie inſtructum viribus & externarum internarumque cauſſarum injuriis expoſitum probe conſideretur. Alterum ad humanam voluntatem reſpicit, quæ cognoſcere injurias iſtas & magna ex parte declinare poſſit, aut ex ignorantia & errore ſe ipſis periculis illis objiciat. Tertium eſt, divinam agnoſcere ac venerari ſapientiam, cui tanquam auctori coordinatæ ſalutis & in-

u) Herodot Lib. II. §. 142. Plat. in Politico ſ. de regno.
x) Hiſt. Indic. L. II.

interitus cauſſæ ex arbitrio partim, partim neceſſitate congenitarum virium per ſingula vitæ momenta agentes uno obtutu luculentiſſime pateant. Jam certum eſſe puto, Deum, quem Judæi ſomniarunt quotidie Angelo mortis, quot & quinam ad mortem deſtinati ſint, quaſi ex tabula recitare, minime turbatis cauſſarum tam libere quam neceſſario agentium legibus, quas ipſe condidit & conditas gubernat, ſed earum præviſo comprobatoque ſucceſſu terminos humanæ vitæ fixiſſe. Neque vero minus certum eſſe puto, nullius vitam tam leniter tranſire, ut nulla eam externa vis afficiat, aut vigilantiſſimi hominis ad omne periculum attenti cura eam vel intelligat ſatis vel declinare valeat, adeoque firmiter perſuadeor, naturalem terminum, quem nulla externa læſio, nullus arbitrii humani error præcipitat, ſed pacatiſſimus vitæ motus, quantum fieri poteſt, longiſſime extendit, a pauciſſimis ac fere nullis attingi. Si quis tamen eum attigerit, hunc ægrotare nunquam & mori naturaliter ac ſine morbo neceſſe eſt; ita ut longævitas cum ἐυθανασία indivulſo nexu conjuncta ſit. Exemplum ita morientis cl. Fontanelle *y*) in vitæ curriculo Dominici Caſſini his verbis pulchre deſcripſit: il mourut agé de 87. ans & demi ſans maladie, ſans douleur, par la ſeule neceſſité de mourir — — il n'avoit jamais connu nulle ſorte d'infirmité.

§. VIII.

Jam paulo exactius definire licet, in quo præcipua ratio conſiſtat mortis ſine morbo. Conſiſtit in tali ſolidorum renixu adverſus impulſum fluidi, qualem ſolus pacatior motus vitalis per ſuccedaneas minimorum vaſculorum abolitiones lento gradu inducit, & quem ultro ſequitur primum paulo obſcurior deinde perfectiſſima partium quies. In tenſione naturali fibrarum vis ſolidi per vires contrarias ad puncta oppoſita librati niſum perpetuum exercet ſe coarctandi. & maximum quidem in vaſculis minimis, ubi momenta contactuum inter eorum latera & ſuperficiem fluidi multiplicantur. Dum igitur ingreſſui novi liquidi diſten-

y) v. Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences A. 1712. Edit. Amſtel. p. 137.

diſtendentis, quod per omnia puncta hanc vim ſolidi ſuſtinet, in iſtis minimorum vaſculorum anguſtiis praecipue obſiſtitur, inter tot iteratos motus, qui fluida expellunt, latera vaſculorum naturali illo nixu ad ſe invicem propius accedunt & ſenſim compinguntur. Multas jam innui vaſorum & fluidorum decreſcentium ſeries eſſe, & vitali motu minimas primum, deinde quae iis proximæ ſunt, ab incumbente conſtanter mole deleri & per reliquos ſenſim majorum vaſorum ordines ſerpere cauſſas mortis. Sic non ſolum rigeſcunt per tot acceſſiones vaſculorum, quæ ſuo antea humore repleta erant, majora vaſa, verum etiam excluſa ex minoribus fluida ſecerni amplius ex fonte ſanguineo nequeunt, hinc ſpiritus ad inſtruenda ſenſus motusque organa deficiunt, nec rivulos ſuos ad cordis ſyſtolen niſi parciſſime mittunt, quibus etiam per obturatos villos muſculares difficilis aditus eſt. Adeoque pedetentim vigor motus ſenſusque minuitur, & ut Seneca z) ait, præmoriuntur ſingulæ ætates, ſingulique dies tantundem in mortem conferunt, uti clepſydram non extremum exhaurit ſtillicidium, ſed quod ante defluxit. At quoniam hunc in modum per gradus corporis vires fatiſcunt, & paria ſunt diminutionum intervalla, nulla ſenſus acies animadvertit tam exigua mutationum veſtigia, adeoque qui ſani ac vegeti tacitis annis ſeneſcunt, in limine mortis nihil triſte ac ſævum inveniunt, quandoquidem obſcuriſſimi & languidiſſimi motus in placidiſſimam quietem terminantur. Solus proinde naturalis motus efficit, ut quæ molles erant ac flexiles fibræ, per auctas cohærentiae cauſſas dureſcant, & hæc durities illarum, quippe mutuo nexu coëuntium, flexilitati quotidie aliquid demat, donec omni impulſui perfectiſſime reſiſtat. Cor & arteriæ cum nec dilatari ſe amplius nec contrahi patiantur ob cartilagineam ac fere oſſeam ſubſtantiam ſuam, quomodo propellant ſanguinem in pulmone vicinisque partibus haerentem? Quomodo in dura cerebri & cerebelli fabrica, cujus minimi meatus occalluerunt, tenue liquidum ad motus omnes neceſſarium ulterius ſegregent? Sic machina hæc per easdem decreſcit leges, quibus creverat ex ſapienti conditoris ſui praeſcripto. Sic perinde eſt, ad fibras rigidas reddendas,

z) Epiſt. ad Lucilium 24.

dendas, ſive celerior ſit humorum circuitus, ſive lenior at tempore diuturnior. Alterum motuum genus prorogat ſenium, alterum præcipitat, id quod operæ pretium fuerit ad majorem rei evidentiam exemplis quibusdam illuſtrare.

§. IX.

Calidarum regionum incolas, quorum ſanguis ex aeſtu cœli magis æſtuat ac commovetur, brevioris vitæ eſſe nemo dubitat. Hinc Aethiopum anno triceſimo ingraveſcentem ætatem ſolari ambuſtioni adſcripſit Aſclepiades *a*). Borealium e contrario populorum, maxime in agris, quos ſerenus frigidusque aer permeat, quanta longævitas! Quo jam olim nomine Verulamius *b*) agrum Herfordienſem extulit, in quo feſtas viderit choreas ab octo viris ductas, quorum ætas ſimul computata octingentorum annorum fuerit. Vinorum & aromatum uſus ubi invaluit, & pileatæ turbæ, quæ Saturnalia amat, pectora incaleſcunt, pariter arctiores obſervare licet vitae cancellos, quod etiam de illis cognitum eſt, quorum ſanguis nimio Veneris uſu exagitur. Si Spartani delubrum Veneris ἀμϐολογήρας, quaſi ſenectutem retardantis, ſtruxerunt, quod Phaoni florem juventutis reddiderit Venus, vix fabulæ ſenſum rite intellexerunt, qui hic potius fuit, repueraſcere amantes, hoc eſt nihil decorum nihil ſenile facere. Rectius Veneris ἀνδροφόνȣ, quod homicida ſit, templum ſtruxere Megapolitani, iis potiſſimum teſtibus, qui vitalem hunc laticem in viridi ætate abſumunt. Neque hinc mirum Germanos veteres, qui pares validique in maturiſſima ætate miſcebantur, parentum robora retuliſſe, & Apollonium centum annis exactis juventæ nitorem ſervaſſe ob continentiam a Venere. At nulla re magis quam animi motibus, qui corporeos intendunt ac mutant, pleramque hominum partem rapi, & tanquam ſæva tempeſtate hanc vitæ humanæ puppim mergi videas. Animum ſupremam quaſi rotam Verulamius vocat, quæ reliquas in corpore circumagit. Ex nautis audias, in præſenti naufragii periculo repente ortam eſſe multorum canitiem, nec fruſtra Thales tyrannum ſi viderit ſenem, id

a) v. Cæl. Rhodigin. L. XXII. c. 3.
b) v. ej. Hiſt. de vita & morte.

id pro miraculo ſe habiturum dixit. Omnium ſapientum ſuffragio dudum ſtabilita veritas eſt, ad longævitatem adſpiranti nullam eſſe nobiliorem artem quam τέχνην ἀλυπίας, in cujus locum apud nonnullos naturale animi frigus ſuccedit, pari fortaſſis commodo ſed impari laude. Novam cauſſarum, quæ ſenium accelerant, ſcenam aperiunt morbi, qui ſine auctiori humorum motu concipi non poſſunt. Hic ſe natura non ſine magno virium ſuarum diſpendio liberat, & magiſtratuum, qui orto incendio proximas ædes dirui jubent, aut nautarum, qui in tempeſtate partem onerum ejiciunt, exempla imitatur. In capitum dolore nunc puris nunc ſanguinis aut ſeri copiam per os nares & aures expellit, melancholicis hæmorrhoides movet, ſpleneticis alvi profluvium. In apoplexia aut lethargo lentorem morbi febre attenuat, in inflictis vulneribus benignum pus tanquam balſamum febrili calore excoctum ſuppeditat. In acutis morbis longe plus motuum ciet, ut acria obvolvat, ſtricta laxet, concreta ſolvat, ſoluta expellat. Vix ſuſcipitur virus, quin ad ſubigendum illud febris exardeſcat, qua nunc corrigitur & lædendi viribus exuitur, nunc indigni inſtar coloni per varias vias ſedibus ſuis plane ejicitur. Quot non deliria, vigiliæ, anxietates, quæ imperitos terrent, peritos de pugnæ exitu inſtruunt, cooriuntur? Quibus ſimul ac armis occumbit hoſtis, omnes ſubito fluctus componuntur. In qua naturæ acie, quam mirabilis partium fabrica inſtruit, nulla alia medicis cura incumbit, quam motus illos moderari, ut nec langueant nimis nec effrenatius inſurgant, adeoque natura nec retrahat vires ſuas nec nimis profundat. Superari tamen morbus, quemadmodum ex dictis apparet, ſine magno naturæ ſumtu, hoc eſt, ſine præcipiti ad ſenectutum gradu nullus poteſt. Juvenes reperias morbis conſumtos, quorum frontem ruga ſenilis arat, reperias Phthiſicos triginta annorum, qui quinquagenarios facie referunt. Violenta febre exſtinctorum juvenum, qualem Baglivius diſſecuit, muſculos ſæpe tam rigidos invenias, ut omnem vere cultri aciem eludant. Non poſſum, quin adhuc ad cauſſas præcipitis ſenii ipſa medicamenta referam, quæ cum ab alimentis in eo differant, ut mutent naturam, a qua illa mutantur, præter neceſſitatem adhibita impetum in corpore augent.

Sapienter Cornelius Celſus *c*) cavere juſſit, ne in ſecunda valetudine conſumerentur adverſæ præſidia, & vehementer miror veterum ſapientiam, quibus temerarium viſum eſt, exortum ſtatim morbum profligare. Illum potius ſuo tantiſper genio reliquerunt, donec, quid moliretur, certi vel ut hoſtem vel ut amicum foverent. Emergunt ex ſpiſſiſſimis ignorantiæ & ſuperſtitionis tenebris homines, qui necant impune, & ſimulato valetudinis patrocinio exitialium errorum ſpargunt ſemina, inter quæ hæc ipſa doctrina eſt, vegetum corpus adverſus futurorum morborum tela in anteceſſum medicamentis tanquam triplici ære muniendum eſſe. Quas ſane vomicas ſuas odit medicina & hebetiorum ingeniorum credulitati ac fato ingemiſcit. Scite medicinæ parens *d*) monuit, eos, qui integra ſunt valetudine, medicationes ægre moleſteque ferre, & merito inter ſeptem regulas, quas in regimine vitæ Celeb. Frid. Hoffmannus *e*) commendat, ultimum locum illa occupat, quæ ſuadet a medicamentis abſtinere. Mirum non eſt inter tot cauſſas, quarum pauciſſimas attigi, nobis ipſis in perniciem noſtram conſpirantibus ſenectutem ac mortem accelerari. Quemadmodum ſatæ fruges pereunt plerique hominum in herba, multi in culmo, in maturitate pauciſſimi. Vel ſi hanc ipſam ob congenitum corporis robur inter tot errores ſuos attigerit aliquis, quam plena faſtidii ſenectus eſt & Aetnæ ſcopulis gravior! Ejusmodis ſenis, ut Juvenalis ait *f*).

Pallida labra cibum capiunt digitis alienis.
Ipſe ad conſpectum cœnæ diducere rictum
Suetus hiat tantum ceu pullus hirundinis.

§. X.

Secus ſe habet eorum ſenectus, qui non curſim & properanter, ſed temporis, cujus fugax & lubrica poſſeſſio eſt, ſuique memores placido gradu & ad tot ſcopulos attento oculo progrediuntur.

c) De medicina L. I. C. I.
d) Hippocrat. A. 37.
e) In Faſciculo diſſert. germanice edit. P. I. N. II. p. 136.
f) Satyr. X.

diuntur. Horum ſobria & prudens adoleſcentia effœtum corpus ſenectuti non tradit, & negavit prorſus Cyrus moriens *g*), imbecilliorem ſe fuiſſe ſenem quam fuerit juvenis. Sine ullo corporis incommodo vixit Xenophilus *h*) Muſicus, vir centum & quinque annorum, & de ſe ipſo teſtatus eſt pater Auſonii.

Nonaginta annos baculo ſine, corpore toto
Exegi cunctis integer officiis.

Si diſcum jacere, ſi magna librare pondera tunc amplius non licet, id minime in opprobrium valetudinis cedit, quam olim quoties conſtantem dicere voluerunt, dixere ſenilem, quod teſte Hippocrate *i*) ſenes omnium minime ægrotent. Nec robur exiguum corporis probat, quod in ſenectute Maſiniſſa jaculando ſe exercuerit, Phocion aciem ſtruxerit, Ageſilaus hoſtem terruerit. Aridaeo juvene quanto validior fuit ſenex Antigonus! Quod ſi animi dotes requiras, quis Neſtore ſene facundior, Pericle cautior, Nicodoro pugile in legibus ferendis acutior fuit? *k*) Hæc nempe ætas eſt, quam flos prudentiæ & conſilii maturitas comitatur, quæ ad præſentia uſum, ad præterita memoriam, ad futura providentiam accommodat. In illa animus pulſa cupiditatum nube ſerenus haud ſentit ætatis injurias, ſentit vero vitiorum miniſteria ſenuiſſe, & ab his gaudet pacem ſibi eſſe ac libertatem. Doluit eo nomine Themiſtocles, mortem ſibi imminere, ſapere cum eſſet exorſus. Dum juvenes nova ſemper ſpes proritat, nova ſollicitudo mergit, dum novis cupiditatum illecebris tentantur, falſas ſibi imagines fingunt, & inter varias paventis animi conjecturas æſtuant, honorumque ac libidinum contubernio corrupti velut torrente quodam abripiuntur, ſenes fugaſſe tot cupiditates ac reliquiſſe lætantur, ſuæque ætati gratias agunt, quæ obnoxia non ſit tot inſidiis, nec appetat, quod non oportet. Talia ſine dubio ſunt longævitatis præmia piis promiſſa, poſt perſpe-

g) Xenoph. in Cyropeed.
h) Plin. Hiſt. Nat. L. VII. c. 50.
i) Edit. Linden. T. I. p. 75. A. 29.
k) Aelian. Var. Hiſt. L. II. c. 23.

perſpectas interius mundi vanitates cognitasque frequenti experientia divinæ providentiæ vias nulla re nimis ſollicitari, nullas ſpes novas inchoare, & ſine deſiderio ac morſu animi tritam jugo ſubducere cervicem. Hilares ſatiatique ſenes in conſpectu mortis, quæ blande excipit & ſine minis, reliquias navis ad curſum aptant, novo ſubinde vigore, qualis olim feſſis crevit, cum ſeptimo ſpatio palmæ appropinquarent. Ejusmodi ſenectutem vegetam conſiliisque & auctoritate venerabilem tanquam fructus probæ adoleſcentiæ merito exoptant omnes, & ſingulari cultu proſequuta eſt antiquitas. Honeſtiſſimum ejus apud Spartanos domicilium erat, quorum mores veteres Romani *l*) imitati neque generi neque pecuniæ neque honori tantum tribuebant quantum ætati. Surgebant e ſedili juniores, e via cedebant, e conviviis domum reducebant, & ut parentes ſuos ſummosque magiſtratus ſuſpiciebant.

Credebant hoc grande nefas & morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat m).

§. XI.

Vias, quibus hanc plenam voluptatis ſenectutem, cujus valetudo illæſa & indemnis nullo laboret faſtidio ſui, & nulla jactata tempeſtate, hoc eſt, ſine morbis ad portum perveniat quietis, certiores medicina neſcit præter temperantiam ac ſobrietatem. Sunt, qui ingens ab arcanis remediis præſidium promittunt, & ſuis ſibi chimæris applaudunt, quorum, niſi periclitaretur communis ſalus, turbanda gaudia non eſſent. Quingentos annos Geberi Arabis rubrum elixirium ſpondet, Paracelſi tinctura philoſophica in agone mortis certam ſalutem pollicetur. Quæſivit idem in hellebori nigri foliis remedium, quo qui utitur, eum negat ante annos centum & viginti mori poſſe. Quid non in rore quæſivit Tackius, in ſalvia Fioravanta, in ambra gryſea Crato? Occultum vitæ cibum ex aëre congelatum prædicat Coſmopolita, aviculam Hermetis catholicam Rhumelius, aquam benedictam Para-

l) A. Gell. L. II. c. 15.
m) Juvenal. Satyr. XIII. v. 52.

Paradiſiacam Hollandus, ut reliquos ſecretorum ſuorum Euclio-nes omittam. Quorum promiſſis deluſi multi hæc ita tenent ac complectuntur, quomodo, qui aqua torrente rapitur, ſpinas & aſpera. Potiora veterum & recentiorum tentamina circa proro-gandam vitam collegit cl. Cohauſen *n*), at inter tot ſpinas pa-rum floſculorum colligi poſſe vereor. Pudet tot fructuum vanæ jactantiæ meminiſſe, quibus quotidie contaminatur medicina, nec unquam felici ſucceſſu impleta eſt promiſſorum fides. Pluri-mum virtutis in multis remediis latere, haud temere negabunt, apud quos poteſtas eſt illa diſcernendi. Verum extra morbos pro conſervanda proſpera valetudine minime armis illis pugnan-dum eſt. Plus laudis habet eorum, quæ corpus quotidie affi-ciunt & ingrediuntur, providus ſelectus. Diætam dico; ſeve-ram vitæ magiſtram & plurimorum inde contubernio excluſam. Maximum hic latet præſidium tuendæ valetudinis & ad ſeros pro-trahendæ annos. Hic a limine ſtatim arcentur morbi, qui in interiores ædes admiſſi cum certa harum ruina pedem figunt. Hic ad mortis, quæ ex corporeis vinculis leniter dimittit, tre-pidare nomen nefas eſt. Sunt tamen, qui tot commodorum ſpem, & quæ illam fulciunt temperantiæ leges, pari faſtidio ſpernunt. Sudes illis in oculis eſt frena injicere cupiditatibus ſuis, quarum obſequium legum illarum contemtum requirit. Ad harum igitur extenuandam fidem, dum diverticula intempe-rantiæ a dextris ac lævis quærunt, unam inflant fiſtulam, mon-ſtroſique ſyſtematis, quod ad ipſos ſui poteſtatem transfert, compagem nectunt. At haec e pelui tonitrua haud metuit Hy-giene, nec inulta ſuo tempore videt, luctari eos cum anima & inter cruciatus morborum exſtingui. Ipſa vero omnibus, quibus ſacrum eſt ac venerabile valetudinis nomen, ab ineunte etiam ætate infirmis egregie conſulit, eosque in regula ætatis conſtitutos voluptatibus ſuis perfundit, & inter quotidiana robuſtiſſimorum hominum funera vegetos ſervat. Conſtat, Ludovicum Corna-rum ab incunabulis debilem & imbecillum ſolo exactiori vitæ re-gimine ſenem nonaginta & quinque annorum evaſiſſe, & ab illo ſimul-

n) v. Ej. curioſa decas de vita humana.

ſimulac leviſſime receſſerit, quod ipſe teſtatur, in febrem incidiſſe. De Aloyſio Cornelio Veneto, Nicolao Leonicero, aliisque multis ſimilia paſſim referuntur. Tam ſalutare eſt in primo protinus errore deprehendi a natura ac redargui, ſtatimque ex deviis in viam retrahi! Neque vero nimius eſt diſciplinæ hujus rigor. Quamvis enim apud eos judices, qui internecino adverſus temperantiæ regnum odio æſtuant, omnes rigoris illius maculas eluere non licet, ii tamen, qui aliquamdiu legibus his cum inſigni valetudinis ſuæ commodo obtemperarunt, intra earum limites deſideria ſua ſuaviter conquieſcere brevi fatentur. Quibus etiam ſi impune liceret a ſua vivendi norma recedere, nullus foret deliciarum, quas alii ſectantur, ſenſus. Id curant, ut cibus famem ſedet, potio ſitim exſtinguat, veſtis frigus arceat, neque tamen fortunæ muneribus ſordide fruuntur. Minime enim is temperans eſt, qui crudum olus manducat, muccidum panem rodit, & dupondio ſatur ſtramentis incubat, corpusque temere affligit, in quibus omnibus Cynica potius ambitio elucet quam modeſtia ſapientis. Ariſtippus purpura indutus & unguentis delibutus Diogene non minus temperans habitus eſt, quod in majorem laudem cedat, verſari inter illecebras voluptatum poſſe, nec ardere tamen & liqueſcere. Haud fas eſt negligere corpus & γαςρὶ πολεμεῖν, quod a puero fecit Julianus *o*), ſed media inter delicias ac parcitatem via incedere, & nec molli luxu, qui frena rationi excutiat, diſſolvi, nec duriſſimæ vitæ ac valetudini pariter infeſtæ ſordibus inquinari. Fas eſt iis rebus, quarum uſus ex ipſa corporis indigentia ſuavior eſt, naturæ congruenter uti, & ad Platonis normam cœnare, cujus cœnæ qui interfuerunt, optime poſtridie valuerunt. Hoc eſt, quod jam Socrates docuit, fugere cibos oportet, qui non eſurientes, & potus qui non ſitientes alliciunt, aut, ut ſimilia adjiciam, non quærere ſomnum ſed obrepenti cedere, non fatigari motu velle, ſed refici *p*). Cum
ſanitas

o) Id Julianus de ſe ipſo ſcribit in Miſopog. & Marcellinus Ammianus fortuito eum ac vili cibo contentum fuiſſe ſcribit L. 16. c. 25.

p) Plutarchus de ſanitate tuenda tria præſcripſit, 1) veſci citra ſaturitatem 2) impigrum eſſe ad laborem, 3) genitale ſemen diu ſervare & parciſſime effundere,

ſanitas corporis in ejusmodi conſiſtat ſolidorum fluidorumque temperie ac motu, unde facultas emergit omnes actiones facile conſtanter & cum quodam oblectamenti ſenſu peragendi, illa vero corporis conditio ob perpetuum partium fluxum ultro in eodem gradu perſiſtere non poſſit, eo dirigitur ſalutaris diæta, ut tantum ſemper ac tale corpori reddatur, quantum ac quale amiſit. Non igitur cibi ſolum & potus copiam & indolem conſiderat, ſed & motus corporis ad ingeſta rite & ſecundum indolem inquilini humoris mutanda, reparandisque locis applicanda, & a partibus crudis ſuperfluis ac noxiis tempeſtive repurganda ſapienter dirigit, omnia denique præcepta ſua ſingulorum naturæ, conſuetudini, ætati, ſexui aliisque conditionibus accommodat, ſub quibus una res nunc adverſa valetudini nunc amica eſſe ſolet. Si corpora invenit iis naturæ præſidiis in primo ortu præmunita, quæ in ſeptem claſſes digeſſit vir ſummus H. Boerhaave, *q*) in his operam ſuam haud ambiguo cum ſucceſſu collocat, & ex Baglivii *r*) conſilio elaterem cum rotis, rotas cum elatere in corpore humano mollia, laxe & facile flexilia, id eſt, mollitiem fibrarum cum tono diutiſſime conſervat. Commendat animum tranquillum, circa res gratas citra laſſitudinem occupatum, & fluctus ſuos compeſcere edoctum, aërem ſerenum ac purum, quem lectorum fomentis multi incaute opprimunt, cibos ſimplices, coquorum arte non nimis infectos, *s*) potum dilutiorem, alternas cum quiete exercitationes, quibus aliisque modis blande & aſſiduo reſtituit perdita, ingeſta aſſimilat, feculenta expellit, motusque a vita & ſanitate pendentes, quibus vaſa minima compaginantur ſenſim & vaſcula impervia fiunt, juſto moderamine retardat. Immedicabilem tandem partium rigiditatem, quæ in ſenectute invaleſcit, haud deſtituit ſuis conſiliis, eam parco victu ac facile ſubigendo ſuſtentat, vino generoſiori reficit, a frigore & acidorum uſu, quæ debita fluxilitate privant & jam languentibus excretionibus remoram injiciunt, defendit, balneo & unguentis fibras emollit, & ne cruda torpente motu cumulentur, frictiones ſubſtituit, ſic meatus, qui perſpirant no-

q) Inſtitut. medic. §. 885. N. 1. ad 7.
r) De fibra motrice p. 213.
s) Morbos innumerabiles numeras, ait Seneca, numera coquos. Bene Liſterus ad Sanctorii L. V. A. 34. Ex modico cibo vigor & longa vita.

noxium, apertos ſervat, interna vero vaſa vitali lympha replet, qua ſenſim excluſa externis fomentis vires inſtaurat. Ita enim Davides *t*) puellæ fotu, & L. Clodius Hirpanus *u*) ſenex CLX annorum puerorum halitu refocillatus vixit. In hoc decreſcentium virium ſtatu decreſcit vitæ deſiderium, & exit ex corpore ſenilis anima tanquam ex domo, cui locator fores recluſit, tegulam ademit, puteum obſtruxit. Liqueſcit illa omnibus ſolutis vitæ lenociniis, & ex his vinculis quaſi cuſtode remoto placidiſſime elabitur. In limine mortis conſtitutos ſenes adhuc valere exiſtimes, in extremo anhelitu nihil ſiniſtri ſuſpiceris, adeo ad ſenſum ab extremo & languidiſſimo corporis motu ipſa quìes nihil differt!

§. XII.

Quamvis itaque incertum ſit mortis tempus, & inter tot ſæviores fati vias, quales ſunt venena, ferrum, naufragium, locus præceps, laqueus, & alia multa nemo per horam ſciat,

quibus inſtet fulmen ab aſtris?
Quæ nubes fatale ſonent?

pars tamen providentiæ humanæ eſt, eas declinare vitæ inſidias, quæ incautos ſolum & ſalutis ſuæ negligentes opprimunt. Internos certe hoſtes arcere, & ne ipſi nobis Atropos ſimus, concreditamque corporis tutelam male adminiſtremus, vigilare oportet. Terminos vitæ, quos noſtra plerumque crimina accelerant, abſit divinæ voluntati, ac ſi eos ſine omni conditione fixerit, tribuamus. Non curam ſolum corporis divina manus nobis commiſit, ſed & obvia per triplex naturæ regnum ſanitatis præſidia liberaliſſime indulſit. Quibus qui bene & ad præſcriptum naturæ utitur, vegetam ſenectutem & mortem ſine morbo ſperare cum ratione poteſt.

t) V. in J. Jac. Scheuchzeri Phyſica Sacra Annotationes ad Tab. 416.
u) V. Notas Dalechampii ad Plin. Hiſt. Nat. L. VII. C. 48.

PRO-

PROLUSIO
DE
CAVSSIS INSTABILIS MEDICAMENTORVM EFFECTVS.

PANEGYRI

SIMONIS FRIDERICI LINEKOGELII,

D. 17. MENS. AUG. 1736.

PRAEMISSA.

Incertus ſemper et conſilii inops hærebit, qui laudum aut opprobriorum numero, ut multi ex plebe eruditorum ſolent, vim medicaminum metitur. Juſtiſſimum quidem eſt, cum ad omnem illum exercitum, qui exauctorandis magis, quam novis legendis militibus eget, per ſingula membra luſtrandum, nunquam unius hominis diligentia ſufficiat, in doctorum ſubinde virorum fide & auctoritate adquieſcere; verum niſi ratio ad experientiæ ab iis laudatæ frequentes fallacias caute vigilet, ſic certe veritatem non niſi per nebulas cernere licebit. Inflant tot teſtimonia, ex veſana laudandi fingendique proclivitate enata, ſpem noſtram nimis, in ipſo autem deſtituunt opere, et infinita adverſus quosvis morbos tela comprehendere videtur illud ingens artis armamentarium, quod in ancipiti rerum ſtatu deſerit inermes, & pollicetur potius, quam præſtat auxilium. Satius autem eſſe, pauca habere quam infida & fallacia remedia, quorum moles et varietas in mirabili iſta miſcendi componendique libidine difficilem reddit delectum,

et artis incrementis manifeſte obſiſtit, dudum faſſi ſunt prudentiores et merito conqueſti, tantum ſpinarum & carioſorum ſtipitum in vaſtiſſima hac ſylva foveri, et dignioribus locum præripere ac curam. Suppetias ferre viſa eſt Chemia, et vires corporum ex imo partium contextu vi ignis eruere, certasque hinc leges, ad quas omnis ſalutaris medicamenti actio revocari poſſit, condere et ſtabilire: verum per plura ſecula nil chemicorum ſupercilio fuit intolerabilius, nihil eorum promiſſis jactantius. Tot magiſteria tot panaceæ tot polychreſta etiam hodie ſunt officinarum noſtrarum carioſa merx & vacua ac ſine viribus nomina. Illa etiam, quæ cum ſucceſſu ſunt inveſtigata & explorata, poſtquam majori cum modeſtia, & præſtantioribus adminiculis recentior ætas ad examen latentium in quovis corpore virium acceſſit, non ita præſtiterunt fidem, ut vel unica res certo conſtantique effectu ſalutaris ſit deprehenſa. Quæ poſterior tamen non omnino æquiſſimorum hominum quærela eſt, nam in labem & calumniam artis qui iſta impetratur, naturæ leges ignorat, ſecundum quas actiones ex viribus agentis & recipientis corporis ſimul computandæ unius tantum indole & natura perverſe æſtimantur. Ex uſu medicamenti non ſimplex exſurgit in corpore morboſo motus, ſed ex duorum quin & plurium conflictu & actione oritur, ubi ſemper, quid pars quælibet ad ſcopum ſalubritatis corpori conciliandæ conferat, inito calculo diſcernendum eſt. Ergo conſtantiam certi eventus a quocunque medicamento non niſi empiricus exſpectat, qui poſt jactatas experientias ſuas, quarum laudem inter quotidiana ægrotorum funera tuetur, perpetuo neſcit, varium ſtatum corporis recipientis actionem medicamenti nunc infringere & hebetare, nunc augere & excitare, nunc infinitis fere modis mutare & determinare. Et certe tranſiiſſet dudum ad iſtos homines artis noſtræ poteſtas, ſi ſola hic memoria opus eſſet certorum eventuum a rerum quarumlibet definito uſu pendentium. At quod artem a tam impuris manibus vindicat, fallax eſt artis experimentum & difficile judicium, ut ait Hippocrates, unde oculi ad omnem partem attenti requiruntur. Morbi indolem ſedem & cauſſam ex ſuis ſignis definire, & læſionis gradum ex læſarum functionum gradu cognoſcere, ſuperſtites

dein-

deinde vitalis motus in ſui tutelam vires & morbi nixus contrarios inter ſe comparare, eaque ſimul, quæ corpus quotidie afficiunt, ingrediuntur et innumeris modis per ſingula progredientis morbi momenta mutant, ſuo genio judicare, denique hæc omnia quæ vel conſervant corpus vel deſtruunt, ſibi invicem oppoſita ad actiones medicamenti inter tot obſtacula ſiti et tot undique mutationibus obnoxii transferre, implicat profecto vim judicii, nec vulgaris ingenii opus eſt. Exinde tamen unice apparet, cur medicamenta, eadem quantitate eodem tempore & in ſimili corporis ægri temperie ac morbo propinata nihilominus differant effectu, quoniam ſcilicet longe plures ſunt internæ externæque conditiones, ad quas cautiſſime reſtrictus medicamenti uſus certi quidpiam poſſit polliceri. Patet hinc, quid tot hominibus de ſalubritate hujus & illius cibi, potionis, remedii, intempeſtive ſciſcitantibus reſponderi poſſit, cum tot nimirum conditiones ſalubritatis pro captu ſciſcitantium in compendio definiri nequeant, intacta illa relinquere, ſi tergiverſari quidem & te ſubducere non poſſis, ne ſtatim, ut ſolent, brevi formula decidenti exempla in contrarium objiciant. Succincte reſpondit & omnium graviſſime Vindicianus medicus, cum aliquis remedii, quod ille olim ſuaſerat, in ſimili morbo rurſus ſed incaſſum adhibiti rationem ſcrutaretur: non profuit, inquit, quia nunc non juſſi. Dicere ſine dubio aliud nihil voluit, quam quod conditiones, quæ collectæ uſum remedii ſalutarem reddunt, ſi potiores adſint, fruſtra in ægro ſpem ſimilis ſucceſſus excitent, & quod unice penes medicum de pleno conditionum illarum vinculo ſit judicium eruditiſſimos hinc medicos ad lectum ægrorum vocatos in colligendis potius morbi ſignis & præſcribendis, quæ neceſſaria ſunt, quam interpretandis occupatos videas, niſi forte quod de paucis ſperare fas eſt, iis cognoſcendis et ponderandis vacare et pares eſſe ægrotos intelligant. Verum etiam tunc limites omnes haud deſignabit medicus, a quibus ſæpe longe adhuc abeſt medicina, majoris perfectionis & quotidiani incrementi capax. Sufficit multa obſtacula, quæ judicium remorantur, eſſe ſublata, et vias minus quam olim aſperas & obſtructas, quasdam etiam ab omni offendiculo plane liberas. Confirmet igitur apud alios inſtabi-

lis medicaminum effectus ſuſpicionem artis dubiæ & fallacis, certe premit illa tantum & opprimit empyrici ſpem, qui eadem arma variis hoſtibus, quos nequit diſtinguere obvertit, ſimilemque ſibi pugnæ exitum ubivis promittit; verus medicus, qui indolem auxilii cum viribus & naturæ & morbi & cauſſarum perpetuo in corpus agentium comparat, in anteceſſum prædicturus eſt inſtabiles illos effectus. Sciet ille, mederi nihil aliud eſſe, quam removere cauſſas, quæ æquabilem liquidi vaſa fluxum impediunt, & medicamenta ejusmodi eſſe inſtrumenta, quæ vi molis, figuræ & modus ſuarum partium cauſſas ablati illius æquilibrii corrigant, dum iis applicata debitam & motus & molis & figuræ mutationem præſtant. & ſic functionum omnium integrum exercitium reſtituunt. Igitur et hoc ſciet, ut efficax ſit remedium, non hujus ſolum vires, ſed omnium maxime læſam conditionem corporis tum ratione ſolidarum tum fluidarum partium, unde in eodem morbo diverſa medendi leges eruuntur, & contraria ſæpe ex penu medicamentorum depromuntur, intelligi debere. Mirabitur alius, in ſano etiam corpore, ubi cauſſarum, quæ medicamenti vim infringunt ac mutant, ſimplicior eſt apparatus, tam diverſa ſubinde præſtare medicamenta purgantia, ut quibusdam vehementer, quibusdam plane non moveant alvum, aliis vero lotium potius & ſudores provocent. Id mirum minus videbitur ei, qui corporis diverſum ſtatum externis ſignis internunciis cognoſcit. Is novit, lubricantia uti recentes oſſium medullæ, quamvis nec inteſtinorum contenta ſolvant, & attenuent, nec vim motricem fibrarum, quæ ad expellenda illa requiritur, exſtimulent, ſed vias tantum, per quas contenta moventur, reddant lubriciores, plus movere alvum robuſtioribus ac ſiccioribus, quam omnia ex Jalappa Scammonio & acrioribus compoſita. Novit, hæc ipſa, quæ tantarum ſunt virium, incolis calidiorum regionum adeo non excitare ſegniorem alvum, ut ex Piſonis teſtimonio varias potius in ſanguine turbas cieant, aliarumque ibidem ſecretionum officinas vi ſui ſtimuli moveant, ſudorisque aut lotii eliciant copiam. Cujus rei obſcura non eſt ratio, cum aditus per vaſa lactea in ſanguinem hic vi caloris potentior ſtimulos illos, quibus ignavior alvus laceſſi debebat abſorbtos ad interiora viſcera

ra transferat, & hinc ad minima vaſcula ſecretoria applicet, quæ aliud liquidorum genus ſegregant. Ita conſtat, omne fere emeticorum et purgantium genus, de diureticis enim aliisque res longe manifeſtior, mutari in ſudorifera poſſe, ſi virtus illorum ſub fomentis lecti & ſub determinato magis per lactea ingreſſu rapiatur ad partes cutaneas. Quod igitur elegantiſſimæ doctrinæ medicus Jo. Nic. Pechlinus, cum quindecim vitrioli albi grana cum acido tartari data homini cuidam, qui ſudores inde exſpectans ſtragulis operuit corpus, effuſiſſimos excitaſſe ſudores animadverteret viribus imaginationis adſcripſit, id mihi videor calori illi ad interiora determinanti longe apertius tribuere. Sane ubivis patet, ut facultatibus medicamentorum certiores figantur cancelli, tum illa ſigillatim ratione & experientia duce in omni ambitu virium ſuarum, quod ſatis difficile eſt, expendi, tum corpori varium ſtatum iſtis oppoſitum viribus ſollicite conſiderari debere, atque ad primas veritates, quæ utrinque certi quid ac tuti ſtabiliant, ante omnia recurrendum eſſe.

PROLUSIO
DE
JUDICIO VIRIUM MEDICARUM PRO VARIIS VEGETABILIUM PARTIBUS.

PANEGYRI
JO. CHR. SENCKENBERGII
D. 4. MENS. SEPT. 1737.
PRAEMISSA.

Non tam expeditum eſt, ut multis videtur, de plantarum viribus judicium, niſi ad illas eruendas & a tergo & a facie pateat acceſſus. Qui ſolas hic experientias jactitant toties ſibi contrarias & vanitatis ſæpiſſime convictas, minime illudent doctioribus, quibus incognitum non eſt, hanc veritatis inveniendæ viam multis obſeptam difficultatibus eos omnes aditu arcere, qui poſt rite definitum corporis ægrotantis ſtatum, eorumque, quæ illud quotidie ingrediuntur & mutant, caute perſpectam indolem juſtos ſubducere calculos, & in ſola ſupervenientis novæ mutationis conſtantia fidem medicamenti explorare neſciunt. Fallacis experientiæ querelas ingeminavit Hippocrates, & cum eodem hodie ingeminant germani artis filii, quid non fallaciarum penes illos, qui difficillimam accuratæ obſervationis normam nunquam aſſequuntur, germinabit? At ex altera parte longe pejus de medicina merentur, qui ex quibusdam obſcuriſſime ſtabilitis prin-

principiis nunc has nunc illas agendi leges inveſtigandis corporibus in anteceſſum tribuunt, & ex arbitrio munera partiuntur. Quantum in repurganda medicina his eliminandis ingeniorum ſordibus opus fuerit, diverſiſſima elapſis ſeculis medicinæ facies declarat. Nec opera eximiorum noſtro ævo virorum fucum adhuc omnem deterſit & nativum arti colorem reſtituit. Dubium tamen non eſt, ſi rebus exactiori ſenſuum teſtimonio cognitis ſeveriores ratiocinandi leges cum *Borellis*, *Pitcarniis*, *Bellinis*, *Keiliis*, *Boerhaaviis* aliisque provide accommodemus, nec ſcopas illas diſſolutas, quas ubivis reperimus, opera nimis tumultuaria congregare & ſyſtemata condere feſtinemus, habituros nos eſſe cumulatius, de quo & medici & ægroti ſibi mutuo gratulentur. Itaque etiam in plantarum examine perplacet paucorum Chemicorum circumſpecta prudentia, qua per ſimpliciſſimos mutationum gradus inſitas earum virtutes ſcrutantur, & ex organica ſtructura, quam iis fere cum animali corpore communem doctiſſimi viri delinearunt, examinis varie inſtituendi neceſſitatem colligunt. His moris non eſt, quaſſare plantam & unum ex tot variis partibus ſuccum exprimere, aut violento ſtatim igne, quicquid in iis latere poſſit, extorquere, & tanquam ejusmodi, quod omnes plantæ facultates poſſideat, interpretari. Sciunt illi, ſic æque ineptum ferre judicium, quam ſi quis judex de humani corporis fluidis & bilem & lotium & ſanguinem & omnia inter ſe permixta ſub unum examen revocare, imo igne quocunque & dubiæ fidei inſtrumentis plus permutare velit. Eſt plantis ſua epidermis, ſunt ſua vaſa exhalantia, quibus cutis ſubjacet cum panniculo adipoſo, qui ex inflicto vulnere reſinam, gummata, lacrymas aut aliam adipis ſpeciem plorat. Sunt iis vaſa abſorbentia, quæ velut in omni ſuperficie ſita ſunt, ita inprimis ex poris radicum ſuccos nutritios terræ per ſabulum percolatos recipiunt, & definito a laudatiſſimis viris *Haleſio Deſagulierio* aliisque motu per propria vaſa vehunt, quibus ſpiraliter accumbunt tracheæ æreæ & fibræ fulcimenti loco ſervientes, ita ut recepta moveantur, mutentur, quaquaverſum diſtribuantur, ad certos uſus varie ſegregentur, repurgentur certisque iterum locis eliminentur. Unde eſt, cur ſapor & odor fatuum magis in radice liquidum, in ramis majoribus plus excoctum, in foliis adhuc elaboratius, in floribus elaboratiſſi-

tiſſimum deprehendant, quibus ſine dubio ſingulis peculiaris vis ineſt minime confundenda. Hæc organica fabricæ varietas efficit, ut idem qui attollitur in plantam ſuccus, dulcis in arundine ſaccharifera, amarus in colocynthide ſit, ut flavi coloris in chelidonio, albus in tithymalo, ruber in beta appareat, & ut alias vires cortex, alias radix, alias flores, alias baccæ & ſemina comprehendant. Quin & hæc ipſa mire inter ſe differunt, quæ maxime cognata videntur, ut ſpirituum vegetabilium vis nervos afficiendi, ex quibus odoratiſſimum hyacinthi ſpiritum hyſtericis ciere ſpaſmos, ſpiritum rutæ licet ſimiliter præparatum ortos ſedare videas. Omnia, quæ debet, Chemia præſtitit, ſi ſingulis partibus ſeorſim evolvendis apta inſtrumenta eaque ſuo ordine admovet, quæ mutabiliora ſunt, primum leniter & ſine vi ſegregat, deinceps fixiora divellit, & ita per gradus corporum compagem ſolvit. Quæ ita adquiruntur & in ſuas reducuntur claſſes, ſive aquæ ſive ſpiritus ſive ſalis ſive olei ſive terræ nomine veniant, ſive in hoc ſive illo ſimplicitatis ſuæ aut etiam miſcelæ gradu conſiderentur, communes facile vires ſuas manifeſtant, at quomodo ſingula inter ſe in ſua ſpecie differant, id acerrimi judicii vim eludere, non æque ſollicitæ experientiæ oculos fallere ſolet. Inter omnes plantarum partes fortaſſis floribus tanquam in ſummo perfectionis apice conſtitutis plurimum tributum eſt, quorum tamen fugitiva ſunt munera, cum plerique ſal volatile oleoſum aromaticum, quod vix vaſis coerceri ac contineri poſſit, alii ut meliloti mucaginem tenuem, pauci ſal fixum ut calendulæ, at pauciſſimi pluſculum terrei elementi ut flores nymphææ & balauſtiorum complectantur. Propterea cum delicias formæ & ſuavitates odorum conſectamur, rarior eſt inſequentium ſæpe baccarum meſſis, quæ tamen penetrantiſſimi olei & ſalis uberi proventu non modo gaudent, ſed & cum gloria inſitæ præſtantiſſimæ virtutis laudem fixitatis & durabilitatis conjungunt. Quam præclara prorſus ſit & eximia, quæ ex baccis juniperi lauri ſimilibusque parantur in ægrotorum præſidium, & in expugnandis morbis chronicis, multiplex experientia loquitur. Idem inprimis de baccis liliorum convallium valet, quas ob exambiti floris fragantiam pauci permittunt ad ſtatum maturitatis ſuæ pervenire, dignas ceteroquin penitiori indagine.

PRO-

PROLUSIO
DE
CELERI INGESTORVM MVTABILITATE NON SEMPER SALUBRI.

PANEGYRI
NIC. WILH. CUHN
D. 9. MENS. SEPT. cIↃ IↃ CCXXXVII.
PRAEMISSA.

Quandoquidem in ſalutem corporis noſtri ſic omnem curam ac operam ſuam natura dividit, ut nunc ingeſta ipſis vitæ viribus ſubigat, mutet & in alimentum corporis convertat, nunc ubi illa iterum deſciſcunt ab hac indole, extra cancellos cuſtodiæ ſuæ mature ejiciat, & ibi ſarciat jacturam, hic noxam avertat; nihil incumbit naturæ miniſtro, quam ut vigilias ſuas utrique naturæ ſcopo accommodet, eidemque ſive ingeſta mutanti ſive noxia expellenti, ea parte, qua languet ac deficit, tempeſtivas ferat ſuppetias. Ex ejusmodi nempe partibus coaluimus, quæ per tot vaſa ac viſcera circumactæ & diverſas ubique mutationes expertæ dotem adquirunt alendi corporis, a qua brevi rurſus & ſine novæ cauſſæ interventu degenerant. Quemadmodum enim eadem res, quæ per admotam limam exſplendeſcit, continuo ejus attritu conſumitur; ita ipſe vitalis corporis motus, qui ſubigit ingeſta ad formam inquilini humoris, dum pergit ſubigere, attenuat nimis & ſuum iterum opus deſtruit. Neque proinde mirum eſt, perfectiſſimam hominis ſanitatem ruinæ ſuæ proximam

eſſe, cum id, quod juſtæ mutationis extremos limites attigit, jam quovis gradu in deterius ruat, & niſi eliminetur, corruptionis ſuæ labem cunctis viſceribus adſpergat. Haud expedita nimis res eſt, in illa caligine, qua plerumque morborum genius latet, ad primum ſtatim ægri obtutum definire, ſitne in illo, quod expelli debeat, an quod longiori coctione miteſcat? Inter quæ maxime ſibi oppoſita medentum conſilia lucem non exiguam doctrina Sanctorii affudit. Inprimis vero hic ponderare convenit, in quas mutationes ſuopte ingenio tendant ingeſta, & quid obſtaculi in trajectu per tot vaſa & tot internorum humorum miſcela ſpontaneis illis mutationibus ſit oppoſitum, ſecundum quæ invicem comparata actionum diſcrimina, quibus ſua ſigna haud deſunt, ſciat Medicus vires & digerendi & expellendi ad ſcopum ſanitatis moderari, easque nunc augere nunc minuere nunc etiam nullo modo turbare. Quis neſcit robuſtiſſimorum meſſorum corpora pane furfuraceo & lardo, cui major a fumo durities adquiſita, feliciſſime ſuſtentari, cum ſub teneriorum carnium & pulticularum deliciis elangueſcant? Quo majori vi pollent corpora, hoc magis eadem ingredi debent, quæ plus obluctantur ſuæ mutationi, & velocem nimis naturæ in ſe ſuperando progreſſum remorentur: hæc enim & nulla alia probum & conſtans alimentum venis infundent. Tantum abeſt, ut quæ ſolvi facilius ac digeri queant, pro ſalubribus ſemper ſint habenda, ut hominum pancratice valentium vis in priori conflictu victrix hic certiſſime occumbat. Ex grandævis audiamus, quo maxime ciborum genere delectentur? fallor aut botulos petaſones fabas ac piſa iis ſæpiſſime præferent, quæ ſine magna facultatum ſuarum impenſa natura conficit. Occultum quoddam eſt at ſapiens naturæ monitum, quod pro diverſa virium internarum menſura & varia corporis noſtri indigentia nunc hujus nunc illius cibi capiendi deſiderium excitat, cui in utroque valetudinis ſtatu, niſi aliquid ſiniſtri ex prava conſuetudine judicii ſe miſceat, haud temere obluctatur Medicus. At veluti negandum non eſt, hanc corporis felicitatem, qua nulla facile aſſumtorum ſive copia ſive tenacitate læditur, raram eſſe, quin & ideo, ut dixi, formidandam, quod quæ tam ſubito ad formam corporis interni reducuntur, æque ſubito per earundem

vi-

virium perennem attritum ad malignum deflectant & corpori inimicum genium, cum certo hujus periculo, ſi juſto diutius hoſpitium indulgetur; ita e contrario in longe majori eorum copia, qui debiles & imbecilli vix leviſſimos victus errores impune ferunt, hæc cura incumbit medico, ut ea commendet, quæ longæ mutationis molimina haud requirunt. In qua re dum ejus conſilio auſcultant, ægroti, ſubigunt mediocri virtute, quæ reſiſtunt minus, & eo commodo gaudent, ut ſemel mutata diutius hanc indolem naturæ amicam retineant, & lentior ſit in ejusmodi corporibus ad corruptionem progreſſus. Atque in hoc præcipua ratio ſita videtur, cur tot homines, puorum valetudo per omnem vitam vacillat, inter fortiſſimorum funera diu vivant ſuperſtites. Quid vero illis, qui tam parum in ſe roboris ad mutanda alimentam perſentiſcunt, dari poteſt ſalubrius, quam quod chylo jam ſimile, imo ad ipſius ſeri magis elaborati naturam proxime accedit? Neſcio, an præter lac & jura carnium aliquid ſuppetat, quod in hunc cenſum juſtius referatur. Quid enim ſunt jura carnium quam ſerum ex vaſis animalium coctione expreſſum? quid lac aliud quam chylus, qui poſt affuſam lymphæ animalis ſpiritumque copiam jam cordis pulmonis vaſorumque actionem ſuſtinuit, & in receptacula uberum pro debiliſſimi fœtus alimonia ſeceſſit? Circa juſcula fortaſſis moneas, quod ſerum ſuis vaſis comprehenſum per mortem animalis ſtagnans & deinceps coctione eliciendum maximam nobiliorum partium jacturam faciat, quin & per aquam coctione affuſam admodum enervetur, adde quod ipſum ſerum jam alcaleſcenti naturæ, ad quam omnis vis animalis tendit adeoque imminenti corruptioni ſuæ ſit propius. Verum de lacte nihil horum valet, quod intermediæ inter chylum ac ſerum naturæ, a vivente corpore & ſine vi ignis elicitur, nullis alienis rebus permixtum eſt, & aceſcentem genium tendenti ad alcalinam corruptionem corpori opponit. Quodſi illud ex juniori animali ad læta paſcua admiſſo & modice exercitato poſt peractam coctionem emulgetur, & in primo ſtatim, quo emulctum eſt, vitali tepore ingeritur, nihil forte reperias, quod exhauſti & emaciati corporis vigorem majori fide reſtituat. Si vero ſingulas partes reſpicimus, quid ſero lactis tam tenui &

meabili per totum corpus in infarctu morborum tum chronicorum tum acutorum ſalubrius? quid cremori lactis internam humorum acrimoniam & ipſa venena demulcenti, externe aſperioribus vulneribus conducibili, balſamica virtute par eſt? vel ſi robuſtiores debile alimentum objiciant, quid vim eorum tam ſubito digerentem caſeoſa lactis parte certius hebetare & retundere poſſit? In amico tamen harum partium vinculo optimam ſitam eſt puto pro nutritione temperiem, ut nec ob craſſitiem nimiam vias ſibi præcludat lac, nec ob nimiam tenuitatem juſto citius diffluat & elabatur. Non proinde infantibus ſolum ſed & validiſſimis gentibus uti Nomadibus & Getis, qui *γαλακτοφάγοι* & *γαλακτοπόται* appellabantur, imo ægrotis longo morbo conſumtis ſolitario uſu per annos integros & incrementum & robur & ſanitatem dedit, ut ſi aliquando podagrici ope hujus remedii diu immunes in alium victum inciderent ilico ſemiſe pulti morbi ſævitiam renovarint. Humano lacti primus ſalubritatis locus tribuendus eſt, quam obſervationes ex Capivaccio aliisque abunde confirmant. Neque tamen celeberrimi *Scheuchzeri* (Phyſ. ſacr. T. I. p. 361.) conſilium redarguo, qui tot victus erroribus animique affectibus nutricum, quibus reliqua animalia non æque obnoxia ſunt, diffidens, quatuor filios poſt nativitatem ſolo lacte bubulo ſuſtentavit, quod & multos Helvetos imitari & ſtatim infantes cum lacte bubulo & farina alere ſcribit. Hæc tamen quam juſtos in uſu lactis humani limites ponant, & quid de reliquis judicandum ſit, viderint alii, animus mihi non eſt in hanc variarum obſervationum ſylvam me immittere.

PRO-

PROLUSIO
DE
PRUDENTIA MEDICA
AMBIGUOS
NATURAE MOTUS ET CRISES DETERMINANDI,
PANEGYRI
GUNTH. ANTON. HENR. ALBRECHT,
d. II. MENS. SEPT. clↄ Iↄ CC XXX VII.
PRAEMISSA.

Naturæ çorporis humani in ſui tutelam arma competere, ſive illa rei cuidam intelligenti, quæ motus ejus dirigat ac gubernet, commiſſa ſint, ſive in ſtructura corporis expreſſa lateant ac delineata unus affirmat diſſidentium medicorum conſenſus, quamvis illi viliorem ſapientiam & errori obnoxiam, hi divinam & in fabrica organorum immutabili lege ſtabilitam agnoſcant. Utrique cum ſapientia & conſilio fieri omnia, quibus Natura periclitanti corpori ſuccurrit, uno eloquuntur ore, neque familiaris linguæ genius aliud permittit. At quomodo eadem Naturæ arma ex amicis evadunt hoſtilia, & adverſus ipſum corpus, cui præſidio fuerant, convertantur, id paulo oſcitantius a plerisque eſt pertractatum. Hujus rei ratio, quæ paulo altius latet, gloriam artis vindicat, & cavillos quorundam, qui turbam medentium exſpectatione ſanare morbos, hoc eſt, victoriam naturæ ſibi tribuere arbitrantur, facile explodit. Quantumvis enim

enim exſpectatio illa ſit ſæpiſſime ſalutaris & ſuadenda medicis, qui inter opportunos illos naturæ inſurgentis motus, quibus vis & cauſſa morbi pleniſſime expugnatur, merito quieſcunt; datur tamen oppoſita morborum ſcena, eaque vix anguſtior, quam ingredi medicus ſine dedecore ſuo nequit, niſi ex arena capere conſilium, & omne in mora periculum vitare didicerit. Hoc in ſiſtendis vulnerum hæmorrhagiis, in venenorum enervandis viribus, in pure internarum partium cui ante corruptionem ſuam exitus pateſcere debet, in gangræna ſimilibusque malis manifeſtum eſt, ubi natura nullis adjuta præſidiis certiſſime occumbit. Imo in ipſis febribus, jactare perpetuo Naturæ ſaluberrima molimina, haud vacat errore. Etiamſi enim podagricis, melancholicis, parabolicis ſimilibusque ſaluti ſæpiſſime fuerint exorti febriles motus, certiſſimum tamen pariter eſt, hos nunquam concipi diu in naturali ſtatu humorum poſſe, quin hi degenerent a ſua indole, & diſſipata liquidiori parte ad omnem infarctum in vaſorum anguſtiis fiant procliviores, ita ut ægris æque parum conſulant, qui febrem omnem in primo ortu non exſpectata crudi coctione jugulant, quam qui eidem nimiam moram, ut plena libertate deſæviat, indulgent. Hic enim attritum violenter conſumtumque corpus cito perimi, ibi vero viſcerum oriri ſcirrhos per totam vitam vix expugnabiles, imo præcipua chronicorum morborum ſemina in illis locis ſpargi, ubi ea quæ obſtruunt, quieſcente febre magis figuntur & in imis vaſorum receſſibus ſolideſcuut, quotidiana experientia edocemur. Maxima in hoc medici prudentia ſita eſt, ſurgentem in viſcerum infarctu febrem, ſi lentior fuerit, excitare, ſi ferocior, reprimere, & ſic inter ſcopulos tum Galenicorum, qui ſanguine abundantius miſſo vim febris debilitant, tum chemicorum, qui ſpirituoſis ſuis ac cardiacis & alexipharmacis remediis magis reddunt effrenatam, medica via navigare. Coaguli reſiſtentiam cum vi febris conferre & has illi ſolvendo æquales reddere, ars Hippocratica fuit ſimpliciſſimis regulis comprehenſa, quam ſolertiſſime ſecutus Thomas Sydenham æque ait peccare medicos in tollenda febre quam fovenda. Ex quibus conſtat de ſapientiſſimo ſummi noſtri opificis conſili, qui omnia, quæ ad integritatem corporis perti-

pertinent, a congenitis huic viribus unice pendere noluit, ſed noſtram conferri operam, quæ ne negligentius impendatur, in ſtatu naturalis indigentiæ ſtimulos alendi corporis nempe famem ac ſitim naſci voluit, in ſtatu morboſo dolores & anxietates quæ vel invitis nobis curam noſtri extorqueant. Inter hæc dulce vitæ deſiderium acuit perenni ſtimulo ingenia, ut quæ noxæ ſint & quæ ſaluti, ſollicite diſcernamus, inque ortu morborum, quorſum illi tendant, & quæ ſuccurrant in motibus ipſis corporeis præſidia, a nobis varie moderanda & dirigenda, attentis animis deliberemus. Ita ſemicoctam in febre materiam & raptam rurſus in vaſa motus illi naturales æque ad nobiliora loca quam ignobiliora deponunt, prout hæc vel illa pro tono ſuarum partium magis minuſue labefactato vel excludunt fortius vel admittunt facilius. Talis autem ad cerebrum delata apoplexiam, ad pectus hæmoptoën, aliis locis alia graviſſima mala excitat, ſed ad alvum ad renes ad vaſa cutanea, & ubi ſimilis facili expulſioni occaſio favet, mature tranſiens liberat ab imminente exitio. Ita naturæ motus in vindicando aut deſtruendo corpore quaſi ambiguos ſola ars interdum determinat, & materiam criticam per vaſa ruentem certisque ſignis, quo itura ſit, patefacientem non ſolum per interna remedia diluentia & ſolventia conſervat fluxilem, ſed & ſi idoneas, quibus eliminetur, vias petit, illas per externà fomenta ſimiliaque aperit magis & dilatat, ſi pernicioſas, inhibet, atque in locis pro expulſione opportunioribus, ut ad ſe plus alliciant, reſiſtentiam minuit. Sed ad ſpecialem hæc therapiam pertinent.

PRO-

PROLUSIO
DE
NATURAE APPARENTE PRODIGENTIA RATIONE SEMINUM

PANEGYRI

JO. HENR. GROSKURT

d. 13. MENS. SEPT. MDCCXXXVIII.

PRAEMISSA.

Animum humanum, qui gloria originis ſuæ exſultat, deprimere nil magis fortaſſe poteſt, quam id ipſum, quod in oriente homine contingit. Etiamſi vel hebetiores agnoſcant inexplicabile eſſe & nunquam admirandum ſatis divinæ ſapientiæ opus, quod in fabrica horum corporum noſtrorum, in viribus animarum noſtrarum elucet, ita ut ſecundum verba ſacri codicis *x*) quaſi cum dolore & ſollicitudine elaborati dicamur, nataque exinde inprimis quorundam opinio videatur, etiam in præſenti labe corruptionum non ita Deum faſtidire homines poſſe, quin ſecundum varias providentiæ ſuæ vias purgatos expiatosque ad unum omnes in æterna olim beatitudinis ſede ſecum conjungat; non poſſum tamen, quin naſcentem ex his ſive ſuperbiam humanam ſive ſecuritatem toto me animo deteſtari, & vel ſolius naturæ toties abortientis, imo inter ingentem ſeminum multitudinem vix

x) Job. X. 8. ידיך עצבוני a voce עצב.

vix unum alterumque evoluentis obtutu contrarium edoceri, & quantilli ſimus in oculis divinis, ad levem animi attentionem cognoſcere fatear. Cum ſemina comprehendant in ſe rudimenta, ex quibus nova ſemper naturæ progenies fatiſcenti emorientique ſuccedit, eademque ſemina ex arctiſſimo, ſi quid ſenſus judicant, complexu ſuo *y*) iterum nova ſemper incredibili numero depromant, quorum eadem ſit ratio, vaſtiſſimam ſtatim concipimus ſeminum, quibus peculiarem ſuam & elegantiſſimam formam divinus digitus impreſſit, brevi temporis progreſſu ubertatem æque ac ſtragem. In uno exempli cauſſa pomi ſemine quam non deſtruimus latitantium ibi novorum ſeminum & integrarum arborum ſeriem! Quæ conſideranti penitius palam fit, inter myriades ſeminum vix uni eam ſortem contingere, ut extricatis partibus vitam ſuam ſive vegetabilem ſive animalem ordiatur. De ſemine humano ut hic unice concludam, nolim me in lites illas ſatis noſtro ævo agitatas immittere, an in ovulis feminarum etiam non impraegnatis totus ratione partium ſuarum homo perfecte delineatus effictusque lateat? an illa ipſa lineamenta in ſeminis virilis animalculis, quorum unum & ceteris felicius ovuli impraegnandi cicatriculam ſubeat, eadem ſint quærenda? Imo num in alterutro totum jam exiſtat, quod ſenſim evoluitur, fabricæ artificium, an nova poſtea indigeat formantis naturæ ſubſidio? Sufficit ineffabilem naturæ & plane immenſam ſeminum, quæ certe primordia vitæ humanæ comprehendunt, apparere prodigentiam, ſive multa alia expendam, ſive inprimis viros feminasque vana plerumque & ſterili imo nunquam ſine diſpendio fœcunda libidine æſtuantes. In quam rem ſigillatim deſcendere & imis eam ingerere animis nimis facile & promtum eſſet. Quorſum, jam inquies, illa ſeminum, quæ ſine uſu intercidunt, mirabilis copia? Quaſi vero tot opera naturæ intra ſuos veluti latebras abſcondita minus pateant divino oculo, aut non ſint æque ac reliqua, quæ in conſpectu noſtro verſantur, eximium potentiæ & ſapientiæ divinæ ſpeculum? aut quaſi patere illa omnia huma-

y) Laur. Bellini de corde Prop. IV.

humano etiam oculo, & inſtar cæterorum ad ſimiles maturitatis terminos pervenire debeant, ne fruſtra nobis videantur condita? An numeros Deum curare, & qui tot legionibus novas addere momentaneo voluntatis ſuæ inſtinctu poteſt, ſuis vero plerasque tenebris ſepultas manere mavult, unius alteriusque hominis abs ſe conditi jacturam metuere, & ut impediat, quaſi ſuæ gloriæ cauſſa laborare exiſtimemus? Quid quod eam ob rem in notitiam pereuntium tot ſeminum, ſi pereant quidem, admitti videamur, ut quæ ſors ex mera libertate gratiæ divinæ inter res fere infinitas pauciſſimis contigit, a proximo illo ad vitam gradu tranſire ad vitam ipſam, nos admoneat, quanti exercitus particula ſimus, & quam carere Deus omnibus poſſit nos eo nunquam, venerabundi intelligamus, adeoque partim in contemtum noſtri partim ad penitiorem divini beneficii a tam vaſto numero nos ſegregantis intellectum deducamur. Si ea via excidimus, quæ Deum nobis ſervat propitium, quam longe prægnantior ratio eſt ac in illis immaturis ſeminibus, ut ab eo rejiciamur. Si ea inquam, quibus primam, ut ita dicam, gratiæ ſuæ manum admovit Deus, ſuis velut involuta corticibus manere & ſine culpa ſua pereuntium habere ſpeciem voluit, quanto certius ab iis, quæ repugnant & nihil tot beneficiis emolliuntur, liberaliorem longe, quam adhibuit, retrahet manum? Igitur ne parva illa manus, quæ ex primis rudimentis ad vitam vocata eſt, divino olim luſtrante oculo in longe anguſtiorem rurſus numerum contrahatur, merito metuendum eſt, & utrique cavendi ſcopuli, ne vel otioſam circa nos divini amoris curam cum Epicureis judicemus, vel e contrario ita occupatam, ita ſcopo ſervandi hominis unice intentam, ut omnibus erroribus medelam, errantibus ſalutem paratam habeat. Alterum ſpem noſtram erigit, alterum nimis ſurgentem inter peccata ipſa ſecuram tumidamque reddit. Atque hæc, ut ab initio dixi, conſideratio ſuppeditat naturæ, quæ ea non ſolum, quæ in ſinu ſuo comprehendit, raro partu excludit, verum quoque excluſa ſub primum ſæpe ortum rurſus exſtinguit, & primo in vitam ingreſſu novis innumerisque periculis exponit. Adeo nihil in re creata eſt, quod merito ſuo ad novam eniti majoremque conditoris ſui gratiam poſſit, vel ſi

per

per nutum divinæ clementiæ admittatur, quod non ad omne progreſſus ſui momentum trepidare, rebellem ſuam deteſtari naturam, & a præſcripto deflectens eo majores pœnas, quo inſignioris beneficii ſpem accepit, vereri oporteat.

PROLUSIO
DE
VETERUM EMPYRICORUM INGENUITATE

PANEGYRI

JO. JUSTI GUMBRECHT,

d. 14. Mens. Mart. MDCCXLI.

PRAEMISSA.

Sub religioſorum hominum ſuperſtitione, ſub fabulis poëtarum, ſub faſtu denique philoſophorum, tanquam ſub triplici jugo priſca medicina gemuit. His enim per vices a primis incunabilis tradita ſero ſenſit neceſſitatem, quæ a magiſtris tam infidis hauſit, iterum dediſcendi. Parum abeſt, quin philoſophorum errores, quod præſtantioris rationis ſpecie fallerent, plus damni attuliſſe, reliquos ultro tenuis inſtar nubis ad orientem cultioris veritatis lucem evanuiſſe cenſeam. An enim Pythagoras z), qui *ἰατρεύων* magis quam *διδάξων* urbes luſtrabat, dum aërem

z) Aelian. Var. hiſt. L. IV. C. 17. Porphyr. in vita Pyth. c. 32. ubi peculiaria ei carmina fuiſſe ait, quibus corporum morbis mederetur.

aërem dæmoniorum plenum pro cauſſis morborum habuit, Pathologiam, dum numeris & carminibus ſanare adgreſſus eſt, Therapiam felicius fulſit? An PLATO *a*), ex cujus ſententia cor ſuis exæſtuans ac ſubſultans deſideriis molli pulmonum pulvinari incumbere, ventriculus juſto appetentior nocturnis imaginibus, a convexa hepatis parte tanquam ſpeculo rationis relucentibus, redargui debet, Phyſiologiæ ſolidiora jecit fundamenta? An ARISTOTELES *b*), cui occiput vacuum, cerebrum frigidum viſum eſt, aliter judicare quam frigide de animalium functionum ſede potuit? Nec temeraria illa philoſophorum manus, quæ mederi toties medicinæ voluit, adultiori pepercit, quin novum ſubinde fucum vix acriori iterum ſapone eluendum, faciei nativis decoribus venuſtiori adfricuerit. Quis ſine fermento de ortu hominis evoluit CARTESIUM, dum ex bulla fermenti plena cum ſemine in uterum effuſa poteſtatem omnem formandi corporis explicat, vel ex guttula fermenti, neſcio quibus viis ad cor delati diaſtolen hujus cum contenti ſanguinis expulſione, omnes motus corporeos dirigentem determinat *c*). Nil addam de recentioribus vias haud diſſimiles ingreſſis certe hujusmodi ſunt, ob quæ jam olim HIPPOCRATES medicinam tot ingeniorum ſordibus contaminatam, tot hypotheſium furoribus ſervientem in libertatem reſtituere ſuis natalibus dignam, & ad cancellos juſtæ rationis, quæ inter aliena ſpolia haud res ſuas dilapidet, revocare voluit. Hoc enim ſenſu interpretor, quod CELSO *d*) teſte medicinam a ſtudio ſapientiæ ſeparaverit, non quod in ea ornanda omnem rationis operam contemſerit, quid enim ſine hac ſubſiſtat? ſed vagæ luxuriantique & ſimplices ac domeſticas veritates peregrinis ſpinoſisque quæſtionibus involuenti frenum injiciendum eſſe exiſtimaverit, rectiſſime judicans, illa ſophiſtarum ornamenta pictoriæ magis arti quam medicæ convenire. Tantum enim abeſt, ut hoc

a) In Timæo Edit. Ficin. p. 490. & 492.
b) Hiſt. Anim. c. 17. & 16.
c) V. tractat. de homine cum notis Lud. la Forge, maxime P. II. de format. fœtus.
d) In præf. L. I. Ed. Almelou. V. p. 3. Conf. judicium celeb. SCHULTZII in hiſt. medic. Period. I. S. III. C. I. §. 36.

hoc molimine ſuo res empiricorum ſtabiliverit, ut totius antiquitatis conſenſu medicinæ dogmaticæ princeps haberi meruerit. Neque vero eſt cur aliam primorum empiricorum mentem fuiſſe ſuſpicemur, quam a cultura artis tam longæ ac difficilis, quidquid foris dubii ornamenti accederet, quidquid infinitis litibus implicaret, arcere, & in ſumme neceſſariis, unde vera ægrotorum ſalus pendet, adeoque in iis, quæ interior diſciplinæ ſinus promit, omnem figere animorum attentionem. Haud ſane oppreſſæ rationis calumniam merebantur, qui eam in artis operibus occupatam prodeſſe, quam in ignotis ſcrutandis atteri, malebant. Non ignari, rationem cunctas diſciplinas uno vinculo congregare, & communes omnibus, proprias ſingulis, meditandi leges præſcribere, pro ſimili paradoxo habebant, auxiliatricem manum a medico exſpectare rationem negligente quam ab animali irrationali. Juſtum eſt univerſalium veritatum pretium, certus earum cum particularibus nexus, at in plerisque oculo humano adeo impervius, ut nemo non ſapientum hæſitet in progreſſu, nemo non modeſtiorum meras lacinias eſſe, id quod ſcimus, confiteatur. *Qui ubique demonſtrationes mathematicas deſiderat*, verba ſunt cl. GRAVESANDII *e*), *qui adſenſum aliter dare negat, ne unum diem in ſocietate humana vivere poteſt, ſi ſibi conſtare velit.* Laudem inter medicos merentur exercitati in matheſi, eruditi in dialectica, verſati in eloquentia, modo his doctrinæ adminiculis ſobrie utantur & ad uſum, non, qui plerorumque mos eſt, ad oſtentationem. Haud poterat non primis empiricis de gloria & utilitate artis ſuæ ſollicitis ex ingenti illo numero opinionum, quibus plerisque aliqua veri ſimilitudo ineſt, at nulla vis certum remedium reperiendi, tædium obrepere, & re artem plane inter artificum diſſidia perderent, metus ſuboriri. Haud inepte judicabant *f*), intellectum humanum non niſi in evidentiſſimis adquieſcere poſſe, hæc igitur fideli ſenſuum teſtimonio niti & horum teſtimoniorum ſollicite collectorum memoria, denique epilogiſmo, quo a [illegible] ſimili

e) In Orat. de Matheſ. in omnibus ſcientiis uſu p. 9.

f) Celſ. in præf. L. I. p. 8. ad 17. GALEN. de ſubfig. Empiric. a C. I. ad 13. & in compendio Dan. Clericus in hiſt. med. P. II. L. II. c. II.

ſimili ad ſimile tranſitur, ita notitiam ſalubrium & inſalubrium ad ætatem, ſexum, temperiem, patriam ægri & alia reſtringendam naſci, fulciri, amplificari. Hac autem ratione cum cognoſcendam ſe præbeat natura attentis, temerarium putabant examine obſcurarum cauſſarum & ſtructuræ corporeæ ſubtilioris in ejus quaſi ſacrarium inſpicere, certe quam perſpicaci oculo id multi adgreſſi ſint, non tamen ex iis, quæ inde didicerunt, ſed pariter a ſolis experimentis medendi regulas petiiſſe, de quo dubitari non poſſit, cum tam diverſa ſentientes, modo ceteroquin in arte exercitati, ad eandem ægros ſanitatem perduxerint. Inſigne ingenuitatis argumentum eſt, inter illa artis ornamenta, quibus CELSUS *g*) ait non medicum fieri ſed medicum majorem, haud conſectatos eſſe laudum ſegetem, vix, ut metuebant, ſine lolio inanium ſpeculationum ſurgentem. Ipſi evidentes, teſte eodem, amplectebantur cauſſas *h*), ipſi ſedem, ſitum, ordinem, figuram partium in corporibus ſine crimine violentæ ſectionis ſcrutanti oculo patentibus cognoſcere pro parte medicæ prudentiæ *i*) habebant, illud vero argute de rebus minimis diſceptandi ſupercilium non ſine injuria adſpernabantur. Quibus omnino favere videtur ſententia CICERONIS *k*), qui *omnium ineptiarum*, *quæ ſunt innumerabiles*, *ſe haud ſcire* ait, *an ulla ſit major quocunque in loco*, *quoscunque inter homines*, *quam de rebus difficilibus aut non neceſſariis argutiſſime diſputare.* Talia faſtidiens olim AGESILAUS *l*) medico ſuo retruſa multa & abdita de morbo & medicamentis ſuis enarranti *ædepol*, inquit, *niſi vita mihi ſit deſtinata*, *non ſum inter hæc omnia victurus.* Dudum eſt, quod eruditioribus medicis non nimis felicem artis ſuæ ſucceſſum multi objecerint, cujus rei non contemnendam rationem ARISTOTELES ſubjecit, eos in commu-

g) Præf. ad L. I. p. 13. Hippocratem ait & Eraſiſtratum, quod naturam ex parte ſcrutati ſint, non medicos quidem, verum ideo quoque majores medicos exſtitiſſe.

h) Ib. p. 8. evidentes cauſſas ut neceſſarias amplexos ait. GALENUS c. 9. de ſubfig. Emp. demonſtrationibus niti a ſenſibus addit.

i) Ib. p. 12.

k) L. II. de orat. 4.

l) Plutarch. Laconic. p. 208.

communibus naturæ proprietatibus inveſtigandis nimis laborare, in particularibus deficere. Id eſt, ex quo tot nata ſunt ſyſtemata, tot quaſi vincula artis progreſſui injecta. Addendum vero hic erat, in particularium veritatum contemplatione ita doctos viros verſari, ut ad præcipuum medicinæ ſcopum nihil eorum referant, & juſta exercitatione deſtituti iis cedere cognantur, qui uno ſemeſtri abſoluto ex Themiſonis ſchola elabuntur. JOANNIS ARGENTERII hoc fatum erat, ut ipſo GALENO eruditior at vulgaribus medicis infelicior haberetur. Aſſumtis nempe iis, quæ falſa ſunt aut dubia, quid prodeſt rigore etiam mathematico uti, cum optimis dialecticis argumentari, diſtinguere, reſpondere & concludere, ut ille Arabs *m*) apud HUARTUM, qui inter iſta omnia peſſundatis ægris ex pudore in monaſterium aufugit. Hos utrinque ſcopulos tum ſyſtematum tum particularium ſpeculationum, quibus cum ipſa medendi norma nullus vel obſcurior nexus intercedit, vitabant empirici, & ad id attenti, quod ſanaret morbum, non quod faceret, diſcernebant ſalutaria a perniciofis non ſimplici effectu ſed caute ad ſtatum ægri & morbi limitato. Primis certe medicis alia via iniri non poterat, ut hinc empirica medicina fuerit omnium antiquiſſima, deinde jam ſub ACRONE AGRIGENTINO cum philoſophis maxime EMPEDOCLE conflixerit, denique ſub PHILINIO COO Herophili diſcipulo, vel SERAPIONE ALEXANDRINO, quod mavult CELSUS, novæ ſectæ nomen ſumſerit *n*). Si GALEMO fides habenda eſt, candor illorum hominum medicinam a minus neceſſariis repurgantium non fuit ſine bile ab adverſariis commota. Legimus enim SERAPIONEM inſultaſſe HIPPOCRATI, GLAUCIAM tripodem jactaſſe, MENEDOTUM δριμυλέοντας & δριμυμώρυς reliquos medicos adpellaſſe *o*). At præterea quod hæc teſte minus favente nitantur, mirum videri non

m) In ſcrutin. ingenior c. 19. p. 408.

n) PLINIUS hiſt. nat. L. 28. c. 1. ſub Acrone, GALENUS in ſagog. ſub Philinio, CELSUS in præf. L. I. p. 3. ſub Serapione ortum conſtituit, quæ facile conciliantur, cum GALENUS de ſubfig. Empiric. c. 1. Acronem quoque primum appellet diſciplinæ empiricæ ſcriptorem & l. c. a Philinio dicat Serapionem floruiſſe.

o) GAL. de ſubfig. Emp. c. 13.

non debet, in ortu ſectæ magis exæſtuare diſtractos animos, & crudos adhuc dolores mutuo convitio teſtari. Videndum vero non minus eſt, quid æquioris teſtimonii GALENO veritas exprimat. Minime negare audet, eo empiricos obſervationibus devenire, quo dogmatici cauſſarum indicationibus, & easdem ſæpe medelas in iisdem morbis utrinque convenire *p*). Quin & alio loco *q*) teſtatur, ut ob multa alia ita ob id empiricos ſe probare, quod accedere, quantum licet, ad ægrorum proprietatem conentur. Rationem vero & ipſe fatetur *r*) non leve quidem momentum obtinere ad experientiam juvandam, ſed nec leve ad corrumpendam, ita ut quantum recta ratio adjiciat ornando, tantum imo amplius erronea detrahat. Id ipſum vero eſt, ad quod tantopere provocant empirici, rationem, ſi experientiæ congruat, eſſe ſuperfluam, ſi repugnat, erroneam, adeoque ejus opera in eruendis cauſſis carere medicum poſſe. Moderationem demum plerisque eorum familiarem non ſolum ex inſtituto eorum ab omni controverſia alieno videor mihi deprehendere, ſed & GALENUM *s*) lego in HERACLIDIS TARENTINI ingenua modeſtia, quæ nec decreti confirmandi cauſſa unquam mentita ſit, & aliorum qui opere quam verbis peritiam ſuam teſtari maluerunt, laudibus verſari. Hujus ingenii empiricum ſcribit ad ſectionem in ægro inſtituendam aliquando acceſſiſſe, cum alius intervenerit furens medicus, & multa rationum mole oſtenderit, ſectionem rejici debere. Tum alter placide, *recedo*, inquit *t*) *donec deliberetis, utri magis credere conveniat, mihi operibus, an illi, verbis artem profitenti.* Sed ſatis dictum pro præſenti ſcopo de ingenuitate veterum empiricorum, qui rationi fluctuanti conſtantiam experimenti oppoſuerunt, & in crebris tentaminibus, cum damno vel commodo ægrorum per tot ſecula factis, quibus accuratæ morbi decur-

p) GAL. de Sect. c. 4.
q) De meth. med. c. 7.
r) Ib. p. 25.
s) In HIPP. de artic. L. 4. §. 42. Conf. laudatiſſ. SCHULTZIUM in Hiſt. med. P. II. C. IV. §. 24. ubi pariter de probitate veterum empiricorum agit.
t) De ſubfig. Emp. c. 13.

decurrentis obſervationes accedunt, artis decus conſiſtere docuerunt. Quæ ſane in multis veſtigia feliciter noſtro ævo preſſit Thomas Sydenham, parcus in ratiocinando, ſolers in obſervando & morbi & medicamenti genio. Medicinam his fultam ſubſidiis non tangit querela Plinii *u*), qui *nullam*, ait, *artem aut inconſtantiorem fuiſſe, aut etiamnum ſæpius mutari, cum ſit fructuoſior nulla.* De hodiernis Empiricis & faſtu & inſcitia ridiculis non attinet dicere, quod ab antiquorum moribus & maſculo illo experientiæ robore plane deſciverint. Fovenda certe ingenia ſunt, in quibus arti medicæ addictis matura elucet proclivitas lectulos ægrorum frequentandi & ad omnia in morbis mutationum momenta, ad omnes cauti experimenti conditiones attendendi. Non fruſtra ominatus eſt Plato modo id præeunte magiſtro recte fiat, præſtantiſſimos medicos evadere, qui ab ineunte ætate inter plurimos ægros verſantur.

u) Hiſt. nat. L. 29. c. 1.

PROLUSIO
DE
NÆVIS THEORIÆ MEDICÆ
PANEGYRI
GEORGII MATHIAE
D. 31. MENS. JUN. 1741.
PRAEMISSA.

Veremur omnes, qui ingenuæ mentis ſumus, ne plus operæ omni ævo impenſum fuco & lenociniis ſcientiarum, quam ſolidis earum fundamentis. Habet illecebras ſuas inaniſſimarum quoque ſpeculationum amor, quibus tanquam tot ingeniorum ſuorum tropæis temere auctores exſultant & efferuntur. Viam certe & ſalutarem artem inter has ſpinas nimis aſperam ſentiunt, quorum ante oculos verſatur inſana plerorumque libido, inviolabilem ubique nexum, cujus vix umbra adparet, inter futiles conjecturas ſuas & firmiores medendi leges reperiundi. Tantum abeſt, ut quam inter tot mollimina accommodandæ ſuis erroribus medicinæ perſuadere aliis volunt, ſibimet ipſis perſuaſerint ſententiam, ut ipſam cum morbis pugnam non ſuis tantopere laudatis, ſed alienis & antea contemtis armis, quoties aqua hæret ingredi videantur. Neminem inter veteres novi, qui a ſimplicitate Hippocraticæ ſapientiæ pleniori virium ſuarum fiducia deſcivit, quam HEROPHILUS, major PRAXAGORA præceptore diſcipulus. Quod non in morbis præſagiendi acumen ab eo expectandam erat, qui ſcrupuloſſima ſubtilitate omnem doctrinam pulſuum *a*) in ceteros modulos legesque metricas redegerat? Quod non robur judi-
di-

a) Plin. H. N. L. 25. C. 1. L. 9. C. 37.

dicii de ſede morborum & partium adfectarum indole ab eo proficiſci poterat, qui anatomicæ rei culturam in ipſorum hominum corporibus ſub tutela primorum Ptolomæorum ad ſummum apicem teſte Galeno *y*) deduxerat? Ipſas denique medicamentorum *z*) tanto numero abs ſe inventorum virtutes & agendi vires quam intime ei perſpectas fuiſſe oportet, qui illa in ſe conſiderata negavit alicujus momenti eſſe, tum vero Deorum manus referre, ſi a medicis experientia & ratione fultis miniſtrantur? *a*) Adde dialecticum hominis ingenium, quod teſte ſexto Empirico, *b*) ſubtiliſſimi Philoſophi Diodori Croni aliorumque argutias diſcuſſit & quod in univerſos diſcipulos ſuos ſe effudit, qui impares licet magiſtro; ſophiſtarum tamen nomine *c*) ornabantur. Ab his omnibus præſidiis quam vacua & inermis erat Hippocratica medicina, licet uno tantum ſeculo antiquior! Nihilo minus tamen interno robore tutior potuit merito ſectatorum ſuorum erigere animos, ut phaleras illas contemnerent Mitiſſimam proinde Galeni *d*) cenſuram adpello, qui inter hæc ipſa artis nova adminicula ſemi-empiricum Herophilum dixit. Neque enim ignarus cenſor hic fuit, tantillum lucis, quod rei anatomicæ Herophilus affundit, minime penetrare ad ipſam medendi normam illuſtrandam, illam vero novorum medicamentorum farraginem non locupletaſſe medicinam, ſed eam ſub prima egeſtate, qua ſolo fere victu ægris conſulebat, fortaſſis feliciorem, iſtis empiricæ jactantiæ ſpoliis oneraſſe & hominem ſui ævi, maxime *Eraſiſtrateorum*, ludibriis expoſuiſſe. Mirum inde non eſt, ex ipſa Herophili ſchola Empiricorum principem Philinivm Coum prodiiſſe, qui vitam ultimam magiſtri ſui ſoli experientiæ patentem unice tuendam eſſe, ſed attentiori ad omnia offendicula & ſcopulos animo, cenſuit; viam priorem in conquerendis ratiunculis ambi-

y) de diſſect. matric.
z) eum Celſus ait L. V. præf. nullum morbi genus ſine medicamentis curaſſe.
a) Gal. de compoſ. medic. Sec. Loc. c. 6.
b) Pyrrhon. hypotyp. II. C. 22. S. 245.
c) Loquaces & ſophiſtas Galenus vocat. C. II. in Epit. III.
d) Gal. meth. med. II. p. 63.

biguo ſucceſſu occupatam, quod mutuis diſſidiis ſcinderet animos & artis progreſſum retardaret, vel rejecit omnino vel non majori, quam eruditæ ſpeculationis prætio æſtimavit. Circa hoc ipſum autem moneo, duplicem labem eſſe, quæ artis exercitio metuenda ſit, alteram leviorem, quæ veritates quidem, at ſparſas nec ſuis limitibus reſtrictas, nec perpetuo fidæ demonſtrationis filo ducentes, incaute & præmature ad artem eruendarum indicationum medicarum adplicat, alteram deteriorem, quæ ipſos errores adſcititia forma inſidioſis medendi regulis immiſcet. Ibi hominum candori, diligentiæ ac bene merendi ſtudio parcere convenit, nec dubitare, in veritatibus illis repurgatis, limatis, collectis & ſenſim auctis verum latere artis præſidium. Nihil iis objicere fas eſt, niſi feſtinantem in medendo manum & concluſiones ex cognitis veritatibus ultra momentum virtutis ſuæ deductas. Hic vero, ubi errorum meretritia forma allicit, eo parcendum minus eſt, quod aliquam a vero ſimilitudinem mutuata & integrorum interdum ſeculorum adplauſu nocentior decus artis contaminet. Theoriam ejusmodi medicam, nunc a veritatibus ſed mutilis, nunc ab erroribus ſed ad fallendum compoſitis, natam illuſtremus exemplo venæſectionis & olim damnatæ multis & hodie. ERASISRATUS *e)* nec ævo nec gloria meritorum HEROPHILO impar, ex vana perſuaſione, aërem pulmones ingreſſum patente aditu in cordis ſiniſtrum ventriculum admitti, & inde per arterias diſtribui, ſanguinem vero e cordis dextro ſinu per venas dif-

e) Hauſit hanc ſententiam a præceptore CHRYSIPPO CNIDIO, at ſuo ingenio perpotivit, v. GAL. c. 9. de V. S. contra ERASIST. Quod non omnem rejecerit venæſectionem, diſerte ſcribit C. AURELIANUS L. II. Morb. chron. c. 13. edit. AMMANN p. 415. atque id ipſum in ſuis cum GALENO controverſiis ERASISTRATEI oppoſuerunt; præterea vero quod negat GALENUS l. c. in ullo ERASISTRATI libro conſilium mittendi ſanguinis occurrere, ne in angina quidem & ſimili caſu, ad STRATONEM etiam c. II. provocat, præcipuum ſcholæ illius vindicem, qui omnes a magiſtro morbos ſine hoc remedio ſanatos dixit: vero ſimile eſt quosdam tantum ERASISTRATEOS tempore GALENI nimis in anguſtias redactos nec veritati luculentius adſerte repugnare auſos, omnem ſpretæ V. S. maculam a ſe & Magiſtro removere voluiſſe idque ex eorum ore AURELIANUM repetiiſſe.

diffundi, morboſum corporis ſtatum haud in vitio humorum, ſed viarum permutatione quæſiverat, *f)* quod nempe utraque vaſa, tum quæ ſanguinem in venis, tum quæ aërem ſeu ſpiritus ab aëre ſegregatos, in arteriis veherent, ſenſim magnitudine diminuta, propaginibus aucta & in omni extremi corporis puncto ſine ulla terminorum confuſione concurrentia, inciderent ſubinde vi quacunque illata in *παρέμπτωσιν*, id eſt, liquidum alienum admitterent. Palam inde erat, ſanguinem, in quo vitii nihil eſſet, eo majori valetudinis noxa ex ſectis venis elici, quod has vacue factas ſubeat protinus alienum vicini vaſis, ſcilicet arterioſi, fluidum cui locorum errori febrium & inflammationum ortus ſit tribuendus. Atque hic metus tam inanis longo ſeculorum decurſu Eraſiſtrateis omnem tam eximii remedii uſum eripuit, nec GALENO acrior facile quam iis conflictus fuit. Ubi illud maxime mireris, everſis novarum operationum robore & convulſis tam levium ratiuncularum machinis non tamen odium illud venæſectionis, quod nimis diu hominum animis inſederat placabilius evaſiſſe, ſed inter novos commentorum fucos exarſiſſe. Omitto Chinenſes, qui negant, ſanguinis impetum & æſtum ſecta vena plus minui quam æſtum bullientis aquæ, cujus pars effunditur, & Indos, qui abſtinentiam a cibo ſubſtituunt. *g)* Sufficit ad quærelas noſtrorum hominum reſpicere. JO. BAPT. HELMONTII, CORN. BONTEKOE, JAN. ABRAH. A GEHEMA, HEIDENR., OVERCAMPII, LUC. ANT. PORTII aliorumque, qui Balſamum illum vitalem, cujus nunquam plus natura quam corporis uſu conficiat, improbe prodigi vociferantur. Hos vano ſtrepitu inſurgentes illud potiſſimum juvit, quod ab adverſariis in contrarias vias non minus

nus

f) Rejectis cacochymiis humorum a PRAXAGORA & HEROPHILO ſtabilitis ſecundum GAL. de atr. bile p. 153. cœpit primum de errore locorum, ubi ſanguis in arterias aer in venas erumpat, tanquam cauſſis morborum diſſerere v. GAL. de V. S. adv. ERASISTRATUM, it. Eraſiſtrateos Rom. it. in libello an ſanguinis natura in arteriis contineatur?

g) Sinas & Lapponenſes V. S. exſecrari, tanquam quæ vitam abbreviet teſtatur WILH. TEN RHYNE in mantiſſæ ſchematicæ proœmio, fuſius GRUNDLERUS in medico Malabarico.

nus redarguendas iretur, & tantum non in omnibus morbis venæ iterum iterumque ſecandæ poteſtas ſequeretur. E qua re magis pôterat deſultorius medicæ theoriæ genius elucere? Illos tenaces ſanguinis hoc prodigus error compoſitus committebat, qui intermedia via ad mutuam pacem & veritatis utrinque diviſæ conſortium perveniſſent. Poſt LEONH. BOTALLI *h*) tempora primum Gallia tam ſævis mittendi perpetuo ſanguinis legibus ſuccubuit, ubi fere nunquam de ejus rei neceſſitate ſed ſolo loco vulneris infligendi controverſum eſt. Incidit hic in mentem agitata inter ſimilia ſententiarum divortia de venis pleuriticorum incidendis quæſtio. Detraxerant Arabes multorum ſeculorum conſuetudine ex latere pleuriticorum oppoſito ſanguinem, PETRUS BRISOTTUS veterum Græcorum contrariam doctrinam, a qua ſolus Archigenes deſciverat, inter idonea argumenta renovabat. *i*) Poſt ferventiſſimas lites, quas academiæ ſalamantinæ auctoritas primum illi, deinde huic dogmatum propitia, componere non poterat, quamvis in arbitri jus vocata delatum tandem ad imperatorem Carolum V. & accuſatum BRISSOTTI dogma eſt tanquam impium & ſaluti humanæ infeſtum, quod non minorem corporibus perniciem, quam ſchiſma Lutheranorum nuper exortum animis inferret. Hinc inter convitia erat, aſſeclas BRISSOTTI medicorum Lutheranos, *k*) id eſt temeratæ medicinæ reos adpellare. Adeo diſtrahere animos poterat ſpeculatio, utrum oportunior eſſet παροχέτευσις, quæ per vicina loca hærens liquidum derivat, an antiſpaſis, quæ per contraria loca fluentes humores revellit. Quam

h) Qui V. S. non modo in pueris ſenibus, quartanariis, podagricis, ſed & cachecticis, hydropicis, tabidis extollit, v. Oper. Leyd. Ed. p. 208. 218. Si decolorationes corporis, deliquia animi & languores ſequantur, ob id ait V. S. tam immerito coargui, quam ob ebrietatem vina & abſicarios tela &c.

i) Arabum caſtra A. C. 1515. deſeruit frementibus maxime Luſitanis v. Renat. MOREAU de ſanguinis miſſione in pleuriticis p. 17. & ipſam apologiam BRISSOTI de inciſa vena in pleuriticis Pariſ. 1622. 8. edit. a MOREAU p. 27.

k) v. vitam BRISSOTI a R. MOREAU ſcriptam p. 103.

Quam a GALENO *l*) petitam diviſionem etiamſi minime omni nervo deſtitutam judicemus & agnitæ hodie circulationis legibus adverſam, potius παροχέτευσιν BRISSOTO adſertam præſens pleuriticis levamen adferre, non noſtra ſolum experientia ſed & uberi teſtimonio ingenuorum virorum, atque inter hos viri elegantiſſimi docti DAN. WILH. TRILLERI, ARCHIATRI NASSOVII, *m*) facile convincamur; vereor tamen, ne inter inteſtina illa diſſidia, quæ ex neutra parte in ſolis veritatum vindiciis ſubſiſtunt, nimis periclitetur artis tanquam ambiguæ & inſtabilis gloria, imo ab ipſis vindicibus ſuis, quales ſe jactant conculcetur. Sed ad aliud digrediamur cum ingenti ægrotantium damno fallentis theoriæ medicæ ſpecimen. Non eſt frequentior medicorum quærela quam de craſſitie humorum. Quæ fortaſſis eo videri juſtior poteſt, quod languens æque corporis motus quam nimis increſcens humores noſtros ultro ad coagula pronos inviſcare videatur. Ibi per quietem coëunt partes laxius in viſcidum pituitoſum, hic per motum compingentium vaſorum & diſſipantium denſantur tenacius in viſcidum inflammatorium. Alterum comprobat ſanguis e venis hominum debilium morbo aliquo chronico decumbentium, alterum ex venis robuſtorum acuto morbo laborantium extractus. Quodſi porro omne ſanitatis præſidium libero humorum per vaſa motu, hic vero illorum fluxilitate, quæ tenuiorum partium beneficio remoram in progreſſu non inveniat, potiſſimum nititur; vix mirum eſt inter multos præcipuum, CORNELIUM BONTEKOE, qui tot potulenta, tot etiam quæ ſanguinem attenuarent, ſalia volatilia magno fervore animi in uſum ægrotantium invexit, ævi ſui, ex parte etiam noſtri, adplauſum meruiſſe. Ita vero argumentantur, qui ad aliquam rationis ſpeciem magis auſcultant, quam ad vocem ſolidæ experientiæ. Hæc enim repugnat lucu-

l) v. meth. med. L. 5. c. 3. & L. 4. c. 6. it. de arte curatio ad Glauc. L. 2. c. 2.

m) Qui in eximio libello de pleuritide quem liberali manu veteris amicitiæ memor ad me nuper transmiſit c. I. §. 33. & 34. de ſalubritate venæſectionis in latere adſecto primum inſtitutæ & in plus quam quadraginta pleuriticis notatæ luculenter teſtatur, & in ſubjectis hiſtoriis pleuriticorum III & IV. nova luce colluſtrat.

luculenter, iſta vero facile evaneſcit, ſi cauſarum momenta penitius inſpicimus. Duplex nempe dilutioris ſanguinis noxa eſt, præmatura vaſorum majorum vacuitas, & quæ inde oritur, virium propellentium inertia. Nemo peritiorum neſcit, a ſanguine, qui vaſorum ſuorum parietes vi cordis diſtendit, eorumque renixu propellitur non ſolum ſuppeditari minoribus vaſis materiam, ſed & motum. Opus igitur eſt, ut denſior ſanguis intra vaſa ſua coërcitus haud protinus diffluat, cum ab eo premente ſuorum vaſorum latera & repreſſio pendeat ſepàrati fluidi ſubtilioris ingreſſus in minora vaſa & diſtributio. Quodſi non fit, vel cito exhalare ſanguinem adeo ſolutum, vel in minora delabentem ſine vi urgentis retro motus hæreri & accumulari, ægrotosque ejusmodi languentes, pallentes, tumentes leucophlegmaticos, vel ſimili in minoribus colluvie & corruptione oppreſſis. Juſtius hodie querimur, ſub copia potulentorum, inprimis calidorum infuſorum theæ & ſimilium, quorum effuſiſſimus præco fuit Corn. Bontekoe, elangueſcere noſtri ſeculi homines, & viſcerum robore, quod ſibi ipſius ſtructuræ non cibi beneficio ſanguinem parat chylo, lympha ſero denſiorem, quippe ex his coagmentatum, privari manifeſte cœperint, maxime ſi homines ſpectas, ab teneritudinem partium & ſedentariam vitam injuriis cauſarum relaxantium nimis expoſitos. Ad liquidum res perducitur intuitu ſanguinis hominum ſaniſſimorum & probe exercitatorum, qualis ruricularum eſt. Is enim ſemper denſus compactus ponderoſus & ſaturate rubens, ſimul vero blandiſſimus, ſaporisque & odoris fere expers reperitur, qualem tamen in naturali & reciproco vaſorum motu, qui fluidi transeuntis ſitum & puncta contactuum mutat perpetuo, mobilem manere, &, quod majus eſt, moventem fortiter mutantemque & ſecretionis excretionis, nutritionisque in univerſi corporis uſum operas vegetius ſuſtentantem, multis modis prodeſſe facile intelligitur. E contrario ſanguis eorum, quorum imbecillius corpus eſt, ut feminarum pallidularum chloroſi adfectarum, dum effluit e vena dilute rutilans, per quietem quidem leviter cohæret, at mox liqueſcens & diſſolutus, ſimul etiam acris ſalſus & olidus adparet, qualem intra vaſa meantem concipere non poſſis, quin vel ſubito diffletur, vel ob debi-

biliorem motum hæreat in minimis & erodat. Quantum igitur in plerisque morbis chronicis noceat copia diluentium uti & attenuantium humorumque ubivis crepare viſciditatem, obſcurum attentioribus eſſe nequit. Non eſt, cur theoriæ medicæ frequentes fallacias ulterius coarguam; certe ex tædio illarum, tot ſemper litibus implicitarum, natos eſſe empiricos & omnem artis gloriam ſola notitia ſalubrium & inſalubrium ad certos ægrotantis corporis conditiones adſtricta, æſtimaſſe, nuper adverſus eos monui, qui ingenio abutuntur. Quod non ita intelligo, quaſi a tergo cognoſcere medicinæ formam decentius putem, quam a facie, ſed quod hic, ubi nimium jubar oculos præſtringit, pleroſque neceſſe ſit, hallucinari, niſi modeſte & reverenter obtutum figant. Paucis contigit, tam circumſpecta res omnes trutinandi ratio, ut nihil in medicina niſi certo ſenſuum teſtimonio compertum ad proprias communesque corporum agentium leges caute revocent, harumque legum venuſto vinculo, quod tot ſæculorum egregia inventa ſuis ubique ordinibus inſerit, artem fulciant & ab errorum contagio defendant. Cum vita tam brevis ſit, ars tam longa, tantum vero ubivis ſalebrarum ac lacunarum; vix ſocia longi ævi opera perfici poteſt, quod perpetui incrementi eſt capax. Eorum nihilominus operam collaudamus, qui veræ theoriæ medicæ, nec in vanis nec ſuperfluis occupatæ, ſtabilem nexum cum ipſo artis exercitio inveſtigare omnibus viribus contendunt.

PROLUSIO
EXHIBENS
BREVEM DE VOCE ΚΟΙΛΙΑΣ DISQUISITIONEM.
PANEGYRI
CONR. MAVRIT. CHRIST. BUSMANNI
d. 19. MENS. AUG. MDCCXLI.

PRAEMISSA.

Κοιλίαν non modo ventrem, licet hujus etiam ſenſus latius pateat, ſed quodvis corporis noſtri profundius cavum, *n*) *ἐγκεφάλȣ, καρδίας, ἥπατος καί τῶν ἄλλων* Philotheo teſte indigitare, vix hæſitant linguæ periti, neglecta etiam omittendi articuli conditione, quam Galenus *o*) in tali ſenſus ambitu obſervatam ſcribit. Ita Hippocrates ipſum uterum *ἐυεπαίσθητον κοιλίην*, *p*) cavum exquiſiti ſenſus adpellat, & Erotiano judice ipſa ulcerum cavi-

n) Vi vocis, qua *κοιλία* eſt *τό κοῖλον* cavum. Hipp. de aere loc. & aqu. Vol. I. Edit. Linden p. 329. mutari ait cum temporibus *κοιλίας* ſ. ſingulares internarum partium cavitates. conf. Aph. 15. L. 1. Imo non has modo ſed tropice ipſas quoque animæ latebras & receſſus intelligi, colliges ex Jobi c. 15. v. 35. *venter eorum* בטנם *κοιλία pariet dolum.* Ad quæ Olympiodorus in catena in Jobum p. 298. addit, ventrem vocari *regionem omnem corporis internam & animam ipſam.*

o) ad Hipp. Aph. 20. l. 6. Quod tamen Galeni monitum perpetuæ veritatis non eſſe, exemplis evincit Foeſius in Oecon. Hipp. p. 210.

p) Hipp. de morb. muliebr. p. 456. n. 65. Eodem ſenſu occurrit Luc. 1, 42. Luc. 2, 21. Act. 3, 2.

cavitas eodem nomine exprimitur. Atque cum græcæ voci *κοιλίας* reſpondeat hebraica בטן, mirum non eſt, ſententiam Petalossi, *q*) medici Lugdunenſis, qui Ionæ ſedem in faucibus balænæ adſtruxit, amplo patentibus hiatu & vitali auræ expoſitis, ad quas ſæviente tempeſtate confugiant balænulæ (Jonæ magnitudinem ſuperantes) non ſolum celeberrimi viri, Theodori Hasaei, ſed & perſpicaciſſimi noſtri Christ. August. Heumanni *r*) ſuffragium meruiſſe, ac lamiam Rondeletii, quæ vulgo canis carcharias audit, cujus per dentium ſerratam aciem anguſtior rictus nihil detrudere in ventrem quam miſere diſſectum mutilatumque poteſt, niſi de Hercule fabulam objicias, etiam ſub patrocinio ſummorum virorum, Lamii, Bocharti aliorumque cauſſa ſua fere cecidiſſe. Sed ne a græca voce diſcedam, illius ambiguitati optime video dictatorem noſtrum multis locis proſpexiſſe, qui *τήν ἄνω καὶ τὴν κάτω κοιλίαν* diſtinguit, & utriusque limites ſepto transverſo tam accurate deſcribere videtur, ut ipſum ventriculi oſculum ad *κοιλίαν ἄνω*, partem inferiorem ad *κοιλίαν κάτω* *s*) referat, & quando illam hac fluidiorem, *ἐυροωτέραν* ponit, maxime thoracem deſignet, quod vel inde adparet liquido, dum pleuriticos ſcribit *ἐμπύϋς* fieri *κατὰ τὴν ἄνω κοιλίαν.* *t*) Quæ ipſa tamen non impediunt, quo minus *κοιλίαν* noſtram, ſive *τό κάτω* addatur, ſive ob evidentiam rei omittatur, ſtrictiori & frequentiori ſenſu alvum denotare, idque ex adjectarum vocum ſocietate lectoribus palam fieri exiſtimem. Nunc enim illam Hippocrates *ὑγρὴν* nunc *σκληρὴν* nunc *ςερεὴν* ſeu *κατάπυκνον* nunc *ἀπειλλημμένην* nunc *ἐκφυσημένην* vocat, id eſt, humidam, duram, adſtrictam, ſuppreſſam, flatu diſtentam. Idem dum alvum laudat ſtatis temporibus morigeram,

ἀγα-

q) Ejus diſſertatio Critica, *Ionas dans la balaine* reperitur dans les memoires de Treuoux du mois ſept, 1719.

r) v. nova litteraria Lipſ. A. 1720. p. 116. vid. pariter Cel. Haſæi Leviathan.

s) Aph. 29. L. 6. Epid. S. V.

t) de morbis L, I, p. 14. 6. Galenus Comment. IV. de rat. vict. in morb. ac. *παλαιοὶ* inquit, *τόν θώρακα ὀνομαζϐσι τήν ἄνω κοιλίαν.*

ἀγαθάς κοιλίας ait ὑπακέειν πρὸς τὰ ἐπιτηδεύματα *u*) auſcultare ad inſtituta vitæ. Haud adverſatur GALENI *x*) teſtimonium, qui ſola inteſtina craſſa & ex his præcipue colon a multis fatetur nomine κοιλίας innui. Quin etiam tam pro alvo quam ipſis contentis fecibus uſurpari, poſſis ex illis HIPPOCRATIS verbis elicere, quæ alicubi *y*) οὔρησιν καὶ κοιλίαν modice decoleratam deſcribunt. Quis enim hæc niſi de lotii & fecum colore accipiat? Apud Matthæum *z*) ſervator ſuperſtitioſam gentis ſuæ in cibo capiendo munditiem ſpernens negat τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα κοινοῖν τὸν ἄνθρωπον id autem omnino facere τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ στόματος, ſive quod hic idem eſt, ἐκ καρδίας. Rationem, cur ibi nihil inquinamenti metuendum ſit, hanc ſciſcitantibus diſcipulis ſubjungit, quoniam cibus χωρεῖ εἰς τὴν κοιλίαν *a*) καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται, cedit in ventrem & in latrinam ejicitur. Manifeſtum eſt, id de parte cibi immunda capiendum eſſe, adeoque de illa, quæ feratur ad alvum, non autem chyloſa & coctionis ſubſidiis repurgata, quæ ſane ad cor & reliqua viſcera ſalubriter transfertur. Etiamſi vero κοιλία propriiſſime alvum hoc loco notet, quia ejicere dicitur, quidquid ingeſtorum inquinare poſſit, nolim tamen chyli vias rigidius excludi. Præterea enim, quod HESYCHIUS κοιλίαν vertit ὀχετὸν rivum, vel quo is vehitur, canalem, quidquid autem in corpore rivorum canaliumque occurrit, ſine prima illa ſcaturigine vacuum eſt aut ſubito areſcit, tum quoque ſcaturientes illi ex inteſtinis rivuli, inque progreſſu variis atque oppoſitis viis coaleſcentes, & adfluente undique lympha dilutiores, ad ciſternam lumbarem latiori meatu, qui κοιλίας voci magis congruat, explicantur, quamvis de amplitudine ciſternæ hujus non uno ore auctores differant. Neque eſt, cur dictas vias cum ipſo ductu thoracico latuiſſe veteres, adeoque κοιλίαν quoties nominant, fruſtra in illum ſenſum detorqueri, moroſius contendamus. Maximam ſine dubio veterum inventorum partem nobis injuria temporum ſurripuit, nec tuto concludimus ex ſuperſtitum aucto-

rum

u) in podagrico juvene laudat prædictor. L. II. p. 498. 15.
x) Com. IV. de rat. vict. in morb. ac. it. C. II. in L. de hum. ſent. 37.
y) L. IV. Epid.
z) C. 15. v. 11 & 18.
a) C. 15. v. 17.

rum ſilentio ad priſci ævi ignorantiam: Sed & antiqua ſatis ſunt, quæ ex HEROPHILO & ERASISTRATO in hanc rem dicta GALENUS *b*) concinnavit, qui etiam ipſe ſolemniori vocis *κοιλίας* ſenſu *πᾶν τῆς τροφῆς ἀγγεῖον μετὰ τὸ διάφραγμα* comprehendit. Nec deſunt, qui veterum auctoritati addictiores uberem ejus rei notitiam in verbis Salomonis deprehendunt, quibus homines ante ingruentis ſenectutis faſtidia, ubi neglecta reparare difficile ſit, cultui divino aſſuefaciendos eſſe docet. Non ſunt quidem verba illa ſine omni caligine, at ut ſcopum conſiderandi in ſuis incommodis ſenii agnoſcas, ſatis in iis lucis eſt, quamvis ſint, qui in ipſa luce titubanter greſſum figere ingenioſum putent. Recte vero HERMANNUS WITSIUS *c*) monet, ſapientiæ Salomonis & ſermonis elegantiæ convenire, tam exquiſita verba ſuis momentis ponderare, id eſt, meo judicio, nihil ab iis alienum judicare, quo noſtra ætas tanquam recens inuentis exſultat. Hæremus eo in loco, *d*) quo חבל הכסף ſive ſecundum LXX interpretes *σχοινίον τοῦ ἀργυρίου* funiculus argenteus elongari in ſenibus ac diſſolvi dicitur. Per illum, qui medullam ſpinalem vel nervos tendinesque per totum corpus tenſos intelligunt, haud facile dixerint in ſenibus diſſolvi, cum in iis contractiores omni cauſſæ elonganti diſſolventique fortius reſiſtant. *e*) At ductus Pequetianus, quem vulgo thoracicum adpellamus, chyli ac lymphæ plenus neque argentei funiculi diſſimulat formam, neque veræ ſolutionis & rupturæ expers eſt, documento oriundi interdum hydropis chyloſi & lymphatici. Quam clariſſimi PRAUNII ſententiam adeo contineri nihil, quod adſenſum remoretur, cenſet vir magnus JO. JAC. SCHEUCHZERUS, *f*) ut iis etiam nolit repugnare, qui omnem lacteorum vaſorum ſeriem argenteo huic funiculo, cujus exortus ſit ad inteſtina, terminus ad venam ſubclaviam, adpenſam velint.

Patet

b) de uſu part. L. IV.

c) Exerc. de officio juventutis & incommodis ſenectutis, quæ eſt VI. in T. II. miſcell. ſacr. p. 180. §. 24.

d) Eccleſiaſt. XII. v. 6.

e) niſi *fortaſſis* keri *pro cetibh* ירתק *pro* ירחק *contra ſententiam Guſſeti Geieri* aliorumque, *idque ſenſu* etiam nunc *ambiguo admittere malint.*

f) Phyſic. ſacr. ad Tab. 193 & 194. p. 826. &c.

Patet vero cum his ipſis ſubſequentium verborum ratio, גלת הזהב, aureum laticem, videlicet ſanguinis, qui ſubſiſtere ſine noui chyli miſcela nequit, corrumpi, & כר על-המבוע cadum ad ſcaturiginem rumpi, hoc eſt, cor, quod inſtar cadi ſive amphoræ a ſcaturigine chyli haurit, hauſtumque ſimul cum ſanguine venoſo in arterias effundit, ſenſim in opere ſuo ſuccumbere, denique הגלגל אל-הבור rotam ad ciſternam deſtrui, hoc eſt, motum inteſtinorum periſtalticum, qui fere ultimum moriens eſt, & progreſſum chyli per funem in cadum ſive per ductum thoracicum ad cor adjuvat, cum reliqua vi urgente ſepti transverſi & muſculorum abdominis elangueſcere. *g*) Hæc igitur ſumma eſſet verſiculi: increſcente ætate chylum, inde & ſanguinem, cum viribus utramque moventibus & elaborantibus deficere, quod apte omnino ſeneſcentis corporis ultimas mutationes adumbrat. Non nimis tamen harum conjecturarum tutelam ſuſcipio.

g) tranſitur a latice argenteo ad aureum, a chylo ad ſanguinem, Scheuchzero rurſus Praunii conjecturis adſentiente. גלה plerumque lenticulam interpretantur, hinc cum Witſio cerebrum, cum Wedelio cor, cum Grotio bilem intelligunt, plerique ſolidi aliquid & cohærentis poſtulant, unde ad ſanguinis fibroſam texturam Praunius recurrit. At laticem quoque vel ſcaturiginem indigitari, ex Joſ. 15, v. 19. adparet.

PRO-

PROLUSIO
DE
REPENTINA MORTE HOMINUM SPECIE SANORUM

PANEGYRI
JO. CAROLI CROMII
D. 15. MENS. SEPT. 1741.
PRAEMISSA.

A Quam tenui filo vita humana pendeat, quam levi injuriarum quaſi adflatu ſuccumbat, tot mortes ſubitaneæ loquuntur. Haud veneno eſt opus ad deſtruendum corporis & animi vinculum, haud ferrum acui debet, ſed ubi nihil interni morbi ſuſpicaris & vegeto faciei colori optime ominaris, inter riſus & gaudia exſtingui celeriter homines videas. Status ancipitis valetudinis noſtræ infidum mare refert, quod ſubinde in momento vertitur, ut eodem die, quo luſerunt navigia, mergantur. Pauli Crassi *a)* examen exſtat mortis repentinæ cum præſagiendi & præcavendi regulis, at has mutilas & dubia fide monentes ingenui medici adgnoſcunt. Non eſt tam perſpicax humanus oculus, ut cuniculos, quibus ſalus noſtra oppugnatur, in tantis tenebris omnes perſpiciat. Ille etiam medicus, cui acre & exercitatum judicium contigit, perſæpe fallitur, & iis, a quibus ſe tutum

a) Exiit Mutinæ 8vo. 1612.

tum putabat, periculis ipſe aliquando opprimitur. Guil. Ballonius *b*) duos Pariſienſes medicos rupta vomica ſubito interiiſſe teſtatur, cum nec febris, nec cibi inappetentia, nec ſimile quid prægreſſum tam præcipitis fati metum injeciſſet. Mirum videri non debet, ita ſine ullo inſidiarum ſuarum indicio latentem vomicam per plusculos annos & ægri ſenſum & medici effugiſſe judicium. Id enim non inconcinne Hippocrates explicuit, qui ob craſſitiem vel puris vel loci ad exemplum aliorum cyſticorum tumorum & ipſius ſubinde calculi latere in corpore ſuppurationem docuit, neque habitu ſuo ſalutares humores protinus inquinare. Quam ipſam vero craſſitiem vel leviſſima febre ingruente attenuari, & hinc, dum nihil metuis, occultum hoſtem e carceribus ſuis in vitalia viſcera admitti adeoque ſuſtentatam temere ſpem ſalutis ſubito jugulari, triſtis experientia crebro evincit. Haud ſtatim, quod Galeni judicium eſt, in loco, qui malignos vapores coërcet, ἐξοχὴ τῦ σηπεδόνος ſequitur, at inter exiguos vitæ errores oriens accendit febriculam, alit dubio typo incedentem & ad ultimam corporis conſumtionem renovat. Acciti ad ejusmodi ægros medici famæ ſuæ naufragium tanquam ad ſcopulos formidant, nec ſola præſentis mali & ſub mitiſſima ſpecie orientis magnitudine periculum æſtimant, probe edocti, tertiam fere chronicorum morborum partem ex hoc putri fomite oriri, & quos invaſerunt, clanculum magna ex parte perimere. Illorum vero ſic peremtorum nunc hepar nunc alias partes refertiſſimis vomicis obſeſſas reperiunt, quarum originem non niſi ignari morbis poſtremum genitis tribuunt. Nec pulmones, in quibus ſine difficili anhelitu vix ullus videtur obſtructioni locus eſſe, vomicas ſuas certiori indicio ſemper produnt, jamque Galenus inexplorato inæquali Antipatri medici pulſu notavit *c*), & ſine

b) Conſilior. medicinal. L. IV. in adjectis hiſtoriis morborum n. 46. p. 307.

c) De loc. affect. IV. Edit. VIII. Juntin. p. 28. E. Senſit Antipater, ſe non febrire, nec reſpirare ægrius, tamen manſit pulſus inæqualitas, quam explorandam Galeno ſubjecit, qui eum poſtremo difficillima derepente oborta ſpiratione exſolutum ſcribit.

ſine febre & ſine anhelitu non aſperæ quidem, certe vero lævis arteriæ propagines obſideri, obſeſſasque & ruptas exitu non minus celeri & funeſto terminari. Hic ubi ſemiſepultum hoſtem excitare multis religioni eſt, natura interdum ſibi ultro conſulit, & apud Jo. Fernelium *d*) in adoleſcente vomicam laudabili pure plenam & acri tuſſi ſolutam ad integram magnitudinem ovi columbini excuſſit ac ſubſequentis cruentæ excretionis impetum pari beneficio compeſcuit. An talia naturæ premere veſtigia integrum fuerit? Haud ſane par eſt, inter naturæ & artis molimina ſapientiæ gradus? An fortuiti caſus normam agendi præſcribant? Qualis ille Pheræi Jaſonis fuit *e*), cujus vomicam remediis fruſtra tentatam ictus gladii ſalubriter aperuit. Verum enim vero nihil arti commercii eſt cum eo, qui ſub legem & rationem vocari nequit. Satius inter duos magiſtros erit majorem reverenter imitari ſapientiam, qualis Naturæ, quam minorem vel ſæpe nullam, qualis caſuum fortuitorum. Ibi inquam referenter & caute imitari fas eſt, cum illam viam, ad quam natura cum certo morbi levamine tendit, ars ſubinde per nebulas conjecturarum cognoſcat, certe antequam illa tendit, non debet hæc ambigui ſucceſſus operam anticipare. Heroes medicinæ excipimus, quibus arcaniores & ſalutares naturæ vias acutiori oculo diſcernere conceſſum eſt, veluti Hippocratem *f*), qui mature ipſas pulmonum vomicas opportune rumpere & ſolertiſſime repurgare magno animo in peripneumonicis docuit.

d) C. 10. L. 6. pathol.
e) Cic. de nat. Deor. L. III.
f) II. de morb. 44. Edit. Linden T. II. p. 69.

PROLUSIO

DE

VIRTUTE STOMACHICA VINI CALIDI

PANEGYRI

JACOBI NICOLAI MARCARDI

d. 16. MENS. SEPT. 1741.

PRAEMISSA.

Moderatum vini uſum, qui nativum calorem excitet non obruat, tetrici cenſores fruſtra vellicant. Quodſi præterea vel dilute vel calide bibitur, metuendæ noxæ calumniam certius declinat. Prius ſive Staphylum Sileni filium docuiſſe cum Plinio, ſive Amphictyonem, qui hinc Baccho & Nymphis ſocias aras exſtruxit, ſive Melampodem primum ſuaſiſſe cum Athenæo ſtatuamus *a*) barbari certe græcis *b*) habebantur, qui tam ſalutare aquæ connubium ſpernerent. Neque æqualis vini & aquæ miſcela, nec ſesquimajor aquæ ſobriis probata fuit, ſed parti uni vini duæ, vel quod ſalubrius Heſiodus cenſuit tres aquæ addebantur plerumque *c*), ratione tamen tum vini tum bibentium habita,

a) Plin. hiſt. nat. L. VII. c. 57. Athen. dipn. L. II.

b) Id illis erat ἐπισκυθίζεσθαι Scytharum more bibere, apud quos meracius bibenti Cleomeni, Regi ſuo, ſubſecutam inſaniam tribuebant Lacedæmonii. Conf. Athen. L. X. ex Herod. & Cham.

c) Aequalis vini & aquæ miſcela Euſtathio Odyſſ. κ. τέτταρα, Hippocrati ἴσον ἴσω dicitur. Reliqui tres memoratæ miſcelæ gradus erant hemiola, diapaſon, & diateſſeron. Græcum adagium de modis miſcendi v. ap. Plu-

bita, ut velut juvenibus calidisve non niſi imbecillius & dilutius vinum permiſſum erat, ita nec viciſſim imprudenter Achilles apud Homerum Phoenici & Vliſſi ſenibus infundi meracius juberet. Erat autem aqua, quæ temperaret, frigida quidem aliis at etiam permultis calida, quæ cœnantibus ſemper parata generoſi laticis ſpiritus extenuabat. Hinc calices, qui Varroni a calido nomen habent, ſemipleni penes Apulejum *d*) exſpectabant aquæ ferventis temperamentum, & ex myrrha confecti augere ardentis falerni gratiam Martiali *e*) videbantur. Imo, quoties apud veteres aquæ calidæ ad potum miniſtratæ incidit mentio, præcipuum fuiſſe vini miſcendi ſcopum arbitror. Non quidem nego, aquam illam ſine alterius rei acceſſu tum valetudinis tum voluptatis cauſſa aliquibus potam & in thermopoliis venditam eſſe, nec Turnebo & Lambino, qui dulces liquores hic venales fuiſſe malunt, nec Baccio, Mercuriali, Augenio aliisve adſentior *f*), quibus ridiculum eſt, aquam calidam, quæ ſine vomitu & faſtidio ſumi vix poteſt, inter ſalutaria remedia & ipſas gulæ delicias referre. Attamen error eorum, qui hunc in modum thermopotarunt gutturem, ut cum PLAUTO loquar, aut ideo aquam calidam biberunt ante vini potum, ut hujus vis magis domita per venas diffunderetur, quæ Pleiſtonici apud Athenæum *g*) ſententia fuit,

Plutarch. III. Synopſ. Lib. IX. Longe ultra hos gradus dilutum fuit Maroneum, vinum præ ceteris potens & calidum, cui tantum aquæ vicies miſcendum Homerus prodidit, & tamen divinus adhuc odor a cratere ſpiravit v. Plin. hiſt. nat. L. XIV. C. IV.

d) L. II. Metam.

e) L. XIV. E. V.

ardenti myrrha falerno
Convenit & melior fit ſapor inde mero
Opinio erat, pocula illa ſaporis odorisque gratiam augere & ebrietatem imprimis arcere.

f) Conf. III. Gebaueri diſſ. de Caldæ & Caldi potu apud veteres, ubi imprimis Lipſium adverſus Baccium defendit, & ab hoc traditam thermopoliorum ſtructuram correxit. Legi etiam præ ceteris hic merentur Ant. Perſius del ber Caldo de gli Antichi Venet. 1593. & Vincent Butius de calido frigido & temperato potu antiquorum Rom. 1653.

g) Dipnoſ. L. II.

fuit, non adeo multos videtur contagio ſuo infeciſſe. Ipſa vero calide bibendi conſuetudo ſua in oriente veſtigia reliquit, quandoquidem ex Riccio teſtatur TRIGAUTIUS *h*), etiam in ſummo æſtu Sinenſes fervido potu uti, ſive ſit vinum, ſive decoctum cia, ſive aqua, hinc vitæ diuturnioris eſſe & valetudinis conſtantioris, quæ morborum & imprimis calculi injurias neſciat, Europæis a potu frigido frequentes. Habet certe ætas noſtra, cur venenatas nivis & glaciei delicias extimeſcat, quas fœdere inito damnare medicos jubet LUD. ANT. MURATORIUS *i*). Habet, cur Athletarum virium robori ſtudentium, & ab omni frigido potu abſtinentium exemplum *k*) intueatur. Bene JO. BAPT. DAVINIUS *l*) depulſo a poculis frigore ſalubritatem potus vindicavit, & uſum imprimis calentis vini eximiis experimentis illuſtravit, in quibus dubium fuit, miranda magis eſſet ſanationis celeritas an conſtantia? Sic illum morbos expugnaſſe ſola quotidiani potus mutatione omnibus officinarum pyxidibus indomitos ad ANT. VALLISNERIUM ſcribit Homobonus Piſo *m*). Dignum omni majori attentione remedium videtur, a quo & noxæ & tædii & fallacis pompæ metus abeſt, quodve neutiquam inter opinionum fluctus enatum obvia medendi ſimplicitate ſe commendat. Laudavit GUALTERUS HARRIS *n*) vinum ut ſummum medicamentum, imprimis ventriculo languenti faſtidioſo & cruda illuvie ſcatenti deſtinatum, imo emaciatis magis, quam lac aſininum congruens. Tuetur ſane hanc ſtomachicæ virtutis laudem apud infinitos auctores, modo de calente intelligas. Quemadmodum merito JO. BAPT. SYLVATICUS *o*)

Gale-

h) L. I. C. VII. Exped. Chriſt.

i) In Epiſt. ad Davin. v. Valliſnier Op. T. II. p. 537.

k) Mercurialis de arte gymn. L. I. C. 15. it. L. 2. C. 8. Ceterum diſſidia gulæ nunc frigidum nunc calidum adpetentis lepide Athenæus in binis feminis ex Antiphane deſumtis exprimit. Altera aquam inquit in olla mihi qui fervefaciat, neminem adſpicere ſuſtinebo. Altera ita imperat: Maximam arytenam parate demerſam in aquæ ferventis lebetem. Ego ædepat, quæ libera & mei juris ſum, aquam frigidam nunquam biberim.

l) In diſſert. de potu vini calidi Mutin. 1720.

m) Hæc Epiſt. occurrit in T. II. op. Valliſn. p. 54.

n) Diſſert. medic. & chirurg. V.

o) Hiſt. 46.

Galenum laudat, qui ſervo imbecilli ſtomachi vinum præbuit aqua calida temperatum, ita a Jo. COSTAEO p), cui in flatibus & doloribus ventris tantopere extollitur fervens vinum ſe primum, ut ad illa attenderet, excitatum fatetur cl. DAVINIUS, qui ipſe cum inter alios ægrotum haberet plane extabefactum & ſuo fato relictum, eum brevi poſt vini calidi uſum vegeto vidit & ſucculento corpore occurrentem ac dubitanti adclamantem: *annon agnoſcis vini calidi alumnum? q)* Virtutem vero illam ſtomachicam, de qua additurus nonnulla ſum, maxima ex parte calori, amicas vires magis explicanti, debemus. Haud enim nullius momenti querelas eſſe arbitror, qui perpetuas calidi potus & frigidi cibi in una cœna miſcelas non minus coctionis negotium lædere putant, quam variæ tempeſtatis vis hac illuc depulſam naviculam a curſu ſuo deturbat, vel pingentis manus a ducta linea aberrans formam imaginis confundit. Nunc enim denſari laxata, nunc denſata laxari, nunc attolli calentia, nunc frigefacta ſubſidere, & implicari iterum partes in conatu ſolutionis, novoque, quo evolvantur, molimine, indigere neceſſe eſt. Hippocrates r) morbos autumnales inæquali frigoris & caloris per eosdes dies actioni tribuit, quid non de alternis illis calidi frigidique in ventriculo diſſidiis quotidie metuamus? Horrent externa ad frigoris ſenſum an mollior internarum partium textura & ab ipſo naſcendi primordio calens minus occurſu frigidi offendatur? Naturalem illam temperiem, qua calet ventriculus & calentes rivulos in omni ambitu ſuo admittit, quid celeri magis mutatione pervertat, quam ſi frigido potu toties permadeſcit? Ventriculus, quanto frigidior eſt, inquit Valleſius s), tanto minus commutat cibos, ut crura, quanto frigidiora ſunt, tanto pigrius incedunt. Quo ſpectat ratione febrium, quod cum magno medentum commodo Martianus t) inculcat, potu nempe calido contra Galeni & Hippo-

p) De potu in morbis L. I. C. V.

q) v. Davini Ep. ad Lud. Ant. Muratorium de ſanatione patris Capucenſis in Op. Valliſn. T. II. p. 524. & 525.

r) De humor. N. 4.

s) Controv. L. V. C. II.

t) De morb. Sect. II. v. 94. Et ſane Hippocrates de loc. in hom. 39. eximi-

Hippocratis monitum rejecto crudeſcere morbum, & criſes prohiberi, quæ hinc antiquis crebriores. At ne a ventriculo recedam, ad tria illa coctionis adminicula provoco, impulſum fibrarum, & ambientium viſcerum, lympham in officina coctionis ſcaturientem & fotum denique caloris. Fallor aut ſine hoc ſiſtitur lympha adfluens, vel ultro in concretionem prona ſpiſſeſcit, ac ſolidi virtus hebetatur, adeoque in illo calore ſumma pars præſidii latet. E contrario juſti caloris ſtimulus fibras morices refovet, irritatas demulcet, languentes excitat, meatus ciborum, ut facilius ſolvantur, ſubit, & oſcula glandularum, ut plus halituum coctioni faventium exſudent, aperit. Ita vero glutinoſa & glandulis obducta eliquat, implicata liberat, cruda in ipſis natalibus ſubigit, bilem viſcidam *u*) acuit, ſuccorum chyloſi ſervientium virtutem exaltat, obvias reſiſtentias motu auctiori vincit, torpentis alvi obſequium reſtituit, & elaboratiorem chylum ſublatis coctionis impedimentis in venas infundit. Neque id omittendum eſt, vino calido arceri intemperantiam, & ſorbillando per moras plus imbui cibos & omnia permiſceri. Sunt fortaſſis, qui ipſiûs naturæ inſtinctu animalia & primos homines frigidam bibiſſe objiciant. At illi non attendunt, pecora ipſa haud raro thermales aquas, carnivora etiam ferventem ſanguinem adpetere. Neque id cogitant, ſenilem jam mundi ſtatum, labefactatas naturæ vires & creſcentis luxus errores plus præſidii poſtulare. At ſuus, inquies, frigido vino calor ineſt, quid eo adventitio opus? Jam peſſundari puto ventriculum, cui ad primum frigus ſuperandum non eſt virium ſatis. Haud dolerat nativa inertia novas moras, ob quas frigide hauſtum vinum aceſcit, chylum acore inquinat, fibras ſpaſmo corripit, motum humorum turbat. Promtius coquit calefactum vinum, & judice P. Martiano *x*) plus dat

eximiam rationem addit calidi potus, quia plus detrahit lotio & ſudoribus. Plus etenim aqua calida elicit in febribus, quam quidquid eſt bezoardicorum.

u) Illam vim vini viſcidam bilem attenuandi transfert Valliſnieri ad calculos veſicæ felleæ vino ſolubiles. v. ei. diſſ. de uſu & abuſu baln. & potus frig. ac calid. Mut, 1725.

x) De hum. uſu. N. 9.

dat caloris ad coctionem neceſſarii, quam multa vino calidiora. An vero vappam relinquet vinum calefactum meliori ſpiritu orbum? Sunt, qui illud ab igne plus virium lucrari, quam perdere reſpondebunt, vel qui ipſa hac jactura manſuetius fieri & ſalubrius exiſtimabant *y*). Mihi non vacat, illam litem inſpicere, ſufficit vinum, niſi per menſes ſoli aut aliis caloribus exponatur, ſenſibilem jacturam vix experiri, nec ab affuſa tam celeriter fervente aqua ſpiritus avolare, potius fixiores explicari & agiliori motu diffundi. Erunt, qui laxitatem & mollitiem fibris a calore inductam metuant. Merito fortaſſis ab aqua tepida metuerent, at vinum aqua eſt in vite cocta, ſive ab interna ejus actione novis viribus impraegnata & ſpiritibus turgida, *ὕδωρ σάπὲν εν ξύλω*, ut Plutarchus ex Empedocle vocat. Erunt denique, qui bilem exaltari & incendia viſcerum foveri objicient. Sane quibus acrior bilis, calidior temperies, robuſtior ætas & fortior ventriculus obtigit, illis omnino fas erit ob omni vino abſtinere. Quævis ſalubritas ſuos limites habet, curandum eſt, ut menſtrui ſtomachalis ſalia nec jaceant depreſſa, nec nimis evoluta noceant. Si freno opus eſt, non minoris ſapientiæ eſſe largimur, demere caloris gradum & moderari. Senibus, frigidulis, aſthmaticis, hypochondriacis, flatulentis, qui cruditate ventriculi, humorum lentore, virium imbecillitate laborant, hæc calentis vini præſidia commendamus, ut languentem calorem & ſemiobrutum ſuſcitent, & attriti ventriculi vires reficiant, ac ſolidato coctionis robore ſpiritus ad vigorem ſuum ac concentum revocent. Notetur illud vini de ſe ipſo apud Mneſitheum:

Ingens his donum,
Qui recte utuntur, aliis peſtis ſum.

Circa ipſas vini ſpecies, quæ non omnes calorem ferunt plura moneri poſſent. Vinum bonæ notæ & gene-

y) Lectu hic non injucundæ ſunt Ant. Monturſii, Hortenſii Benedelli & Franc. Bernabei conjecturæ v. Op. Valliſn. T. II. p. 532.

generoſum requirimus, rubrum maxime, quod fixiores ſpiritus vehit, eo gradu caloris, qui ferri commode poſſit, bibendum inter levis exercitationis & moderati victus commoda. De hujus ſingulari virtute multis mihi experimentis comperta & ventriculi maxime vitiis ſuccurrente certos lectores meos eſſe velim, ſed non eſt, ut in præſenti de his uberius exponam,

PRO-

PROLUSIO
DE
PURPURAE ANTIQUO ET NOVO PIGMENTO,

PANEGYRI

JO. CPH. LUDOV. SEIP.

D. 12. MENS. SEPT. CIↃ IↃ CCXLI.

PRAEMISSA.

Solem, Auroram, vinum, uvas, roſas imo & virginum genas ac ſimilia improprie purpurea adpellari, nemo facile ambigit, at erunt, qui de ſanguine ſecus ſentiant; non quod poëtarum moveantur auctoritate, quibus ſanguis itentidem purpureus & mortifero decumbentes vulnere purpuream vomere animam dicuntur, ſed quoniam non ignorant, quidquid vere purpuræ eſt, ex ſanguine confici, vel certe humorum animali non multum abſimili. Sinenſes ex ſimiarum ſanguine purpureum magni pretii pigmentum parare, auctores *a*) tradunt. Loccum vermiculum *b*) baccis, vel granulum ilicis aculeatæ inhærentem, cui Arabum Ker-

a) Eraſmi Franciſci *Oſt- und Weſtindiſcher Luſtgarten* p. 390.

b) Κόκκος & vermem notat & fruticem, in cujus baccis latet, & antequam avolare poteſt, tincturæ aptus eruitur. Convenit hebræorum תולע, quod pariter vermem notat, unde תולעת שני cocchineum bis tinctum Exod. 25, 4. Hæc purpura coccinia dicta cum illa celebri veterum ſæpe permutatur. Ita purpuram ſervatori per ludibrium injectam Matthæus *χλαμύδα κοκκίνην*, Marcus *πυρφυραν* Johannes *ἱματιον πορφυροῦν* adpellant.

Kermez *c*) reſpondet, & cochinillam, ſcarabeolum Americanum *d*) opuntio ſpinoſo majori innutritum, lucidioris purpuræ eximiam tincturam præbere haud dubia fide nititur. Gummi laccæ peculiari inſecto apud Indos tribuit GODOFREDUS junior. *e*) Ipſam denique nobiliſſimam veteris ævi purpuram nil eſſe, quam concharum ſanguinem adparet. Atque hunc, de quo promere quædam conſtitui, Herculem reperiſſe Tyrii fingunt, *f*) indigenæ puellæ Tyros amore captum, quæ ad conſpectum canis, qui pereſæ purpureæ conchæ caruncula os venuſto colore infecerat, repulit ab amplexu Herculem, donec veſtem ei mitteret labris canis ſui ſplendidiorem. Antiqua hæc fabula eſt, at non ipſa inventa purpura antiquior, cujus notitia velut in latium ex Græcia ita in hanc ex oriente tranſiit, & non Homero ſolum ſed & ſacris ſcriptoribus mermorata Herculis ævum longe anteceſſit. *g*) Nec facile nomen eſt, quod per plures linguas majori in re & litteris conſonantia ſe diffundit *h*) certo antiquitatis ſuæ argumento. Ne-

c) Alkamus Armenium colorem ex vermibus paratum vocat Alkermez, Sariph addit animalculum eſſe ilici inhærentem, ut omnino idem ſit ac græcorum *βαφικη*. Conf. Marſigti annation intorno alla grana de Tintori della kermes.

d) Cochenilia quod Scarabeolus ſit, optime evicit illuſtris viri, Hans Sloane, natural hiſtory of Jamaica Vol. II. p. 208. Conf. transact. philoſ. Nr. 176. & 193. it. Merian. metam. inſect. Surinam. p. 2. adde Leeuwenhoecii Ep. ad regiam Lond. ſoc. 1687. 28. Nov.

e) Ut favi ab avibus ſtruuntur, ita hanc ſpeciem ceræ eſſe ab inſectis productam, v. memoires de l'Aacademie Royal. des ſc. 1715.

f) Ex Polluce citat. Polyd. Virgilius L. III. de rer. invent. c. 6.

g) Purpuræ uſus jam Romulo in trabea fuit. Plin. H. L. N. 9. C. 39. apud Homerum varia hujus nominis occurrunt ut *πορφύρεον κύμα θανατος πορφυρεος*. In ſacris ארגמן occurrit, quod Bocharto colorem ſyriæ notat, cui Tyrus vel inſerta olim fuit, vel vicina certa de dubia voce, כורית deinceps.

h) Nam purpura *πορφύρα* בירית & Suecorum pirith aliave multa rem unam notant, v. Rudbeck ichthyol. bibl. de porith follonum p. 67. Qui ab hebræo אור de græco *πῦρ* derivant, igneum purpuræ ſplendorem ſpectantes, ingenio indulgent. Major intercedit rei & vocis cum כורית cognatio. Verſio quidem noſtra Jerem. II. 22. per ſaponem ex- preſ-

Neminem autem fugit, præcipuo vocis ſuo hujus ſenſu concharum reginam intelligi, quæ ob aculeatam plerumque teſtam muricis nomen accepit, & ſacri quidem, utpote cujus ſucco elegantiſſime rubro, quem ſub faucibus ſtagnare Plinius tradidit, *i*) eminentioris fortunæ faſtigium revulget. Ars etiam ipſa veterum pretioſam hanc ſaniem, quam oſtrum VITRUVIUS, florem ARISTOTELES, alii ob inſignem illam vim parva mole penetrandi virus adpellarunt, pannis ac linteis inducendi quo fato interciderit, negant multi cum Cardano ſe divinando adſequi, cum faſtus & avaritia, cui res illa tantopere favet, omnium potuerit animos adverſus jacturam illam attentos vigilesve reddere. Nec magni iis momenti eſt NIERENBERGII conjectura, *k*) quæ Turcis & Barbaris Syriam vaſtantibus & omne artium nomen delentibus tanti Theſauri diſpendium tribuit, cum ejus poſſeſſio jam ad Italos aliasve gentes tranſiiſſet. Hinc enim purpuræ non Afræ ſolum & Tyriæ, ſed & Laconicæ Puteolanæ, Formianæ, Tarentinæ aliæque in ſimiles uſus colligebantur. Nec tamen negare velim, illo circiter ævo ut Syriæ, tanquam præcipuis purpuræ

preſſit, at præterea, quod ſapo res nova ſit, & judice Plinio Gallorum inventum, neque alias, ubi lavandi purgandique leges ex inſtituto traduntur, in ſacris hoc ſenſu legitur, rectius dicto loco maculæ intelliguntur, quas fucus tegit, non quas ſapo extergit, At ſatis evicit cl. Rudbeck בורית pretioſum rubri pigmenti genus Hebraici fuiſſe, & inter coſmetica præcipuum, velut per ipſum בר oleum coloratum intelligit, pro quo Jobi IX. v. 30. paraphraſtes Chaldæus אחלה ſubſtituit, qua voce & Gemara pro בורית uſa eſt. Colligas ex dictis purpuram antiquiſſimo ævo rariorem, ubi ars eam eliciendi incultior fuit decorandæ potius faciei, quam feſtibus ſerviiſſe. Qui Malach. III. 2. ad ſenſum בורית attendit, ubi fulgens irati Meſſiæ vultus cum igne fuſorio comparatur, certe digniorem in purpura quam in ſapone vel in herbis vilibus *Mich. Langii* ſimilitudinem reperiet. Non hic dicam de iis, qui meritum Meſſiæ in ſanguine ſpectant, ob quod ſolium ejus purpura vocatur Cantic. III. 10. tanquam regni ſanguine parti ſimulacrum.

i) Hiſt. nat. L. 9. C. 36. florem tingendis veſtibus expetitum in mediis; ait, habera faucibus. Sedem inter papaver & cervicem Ariſtoteles deſignat.

k) v. ei miraculoſ. terræ prom. C. 93.

puræ natalibus, ita & omnibus ſenſim moratis gentibus communem ingeniorum caliginem incubuiſſe, & nobilium inventorum memoriam inter univerſales illas bellorum calamitates facile exſtinxiſſe. Lectæ ex hoc naufragio veteris doctrinæ tabulæ tria potiſſimum continent, quæ novis circa hanc rem inventis congruunt. Primum eſt ſuccum illum ſub colore candidæ membranæ latere, nec ullo ſtatim vel animalis vel teſtæ rubore ſe prodere, ut omnino fallantur, qui hujus indicio nixi ad exemplum ADAMI OLEARII *l*) purpuram ab aliis conchiliis diſcernunt, Non opus eſt, inquit Jo. DAN. MAJOR, *m*) ut illa oſtendabunda damum pingat eo, quo gaudet, latice. Alterum æque hodiernis reſpondet obſervationibus, hunc videlicet laticem in mortuis imo imbecillis purpuris vitiari, unde moris fuit ſubito, fracta teſta necare animam. Quod ipſum palam facit, quid per purpuream mortem Homerus intellexerit, nempe non aliam, quam quæ ſubito & uno impetu infertur. Tertium eſt *n*) exemtam cum ſuo ſucco venulam, inciſam tritam mortario modico vapore aquæ vel etiam lotii & longinquæ fornacis cuniculo maceratam coctamque ejeciſſe ex ſuo ſinu ſpumam, quæ nomine purpuriſſi mixtis aliis fuco deinceps ſervierit, atque ſic depuratam ulterius & conſummatam immerſis lanis, pannis, ſericis colorem tam pulchram & indurabilem induxiſſe, quem nulla ſaponis & nulla coctionis vis elueret, adſperſi quoque olei macula haud perſiſteret. Quæ coloris conſtantia egregie illuſtrat momentum divini promiſſi *o*) in abolendis peccatorum maculis, ut ſi purpureæ ſint, hoc eſt, ad quas extergendas nulla ſpes enitatur, nulla humanarum virium poteſtas ſufficiat, ad candidum tamen colorem, qui lanæ nondum infectæ proprius eſt, divina clementia redeant, hoc

l) Qui in deſcriptione Cameræ Gottorp. Tab. 29. Fig. 3. p. 61. teſtam bivalvem, quæ purpureo colore micuit, pro purpura habuit. Nam hæc more cochlearum univalvis eſt.

m) In annot. ad purpuram Fabii Colonnæ p. 9.

n) Poſt Plinium conf. Vitruv. Archit. L. 7. C. 13. Longinquæ fornacis cuniculum deſcripſit Libau. Alchem. V. II. P. I.

o) Jerem. 1, 18,

hoc eſt, perfecta animi mundities reſtituatur ceterum duplex erat purpureus color, alter ex rubro in cœruleum, alter ex cœruleo in rubrum tendens ſeu violaceus. Ille Tyrius, ſeu Sarranus *p*) dictus majeſtatem expreſſit magis, unde rubores Tyrios Virgilius, veſtes Tyrio ſanguine fulgidas Claudianus, lanam tyrio murice rubentem Ovidius jactant. *q*) Alter mœroris & gravitatis index conchylii nomen retinuit, unde & teſtes conchyliatæ dictæ. Uterque color vario temperamento dilutus ſaturatusque nunc cum malva nunc heliotropio nunc viola montana nunc amethyſto nunc aliis comparatur. Valde ſaturata purpura dibapha erat, cum repetita rubores lana bibiſſet, ut Seneca ait, *r*) vel Afro murice bis tingeretur, ut cum Horatio loquar. *s*) Atque hic tantus color par Margarithis pretio, paludamenta imperatoribus, togas triumphantibus dedit, faſcias & prætextas principum juventutis ornavit & ab equite curiam diſtinxit. Dianæ & Veneri ex poëtarum judicio moris erat:

Purpureas alte ſuras vincire cothurno.

Ob quos cothurnos in ſacris *t*) etiam notatos, motus eſt munere ſub Isaaco Commenio, Conſtantinopolitanus, vetuitque lex *u*) alias veſtes hoc colore tingere, aut imperatorias adulterare. Neque vero lautiorum veſtes tantum ſed & epulas inſtruxerunt purpuræ, unde earum apud Martialem querela:

Sanguine de noſtro tinctas ingrate lacernas
Induis, & non eſt hoc ſatis, eſca ſumus.

Par-

p) Sar ipſa Tyrus, quia in petra exſtructa, unde & Syriæ nomen. Eidem natales debet vox Sarlach, vel pro Arabum dialecto Scarlach, licet veteribus & recentioribus haud una res ſit. v. Sandyſ. Itiner. L. 3.

q) Virg. III. Georg. V. 307. Claudian. in nupt. Honor. V. 114. de art. am. L. III. v. 170.

r) In Hercule Oet. v. 663.

s) L. 2. Od. 6.

t) Ezech. 16, 10. Cant. 7, 1.

u) in Corp. jur. Civ. C. 3. de veſtibus hol. LII.

Partem nempe calloſam, cui reliqua caro nititur, & quam τράχυλον vulgo ſeu cervicem vocant, gulæ luxus delegit, quem non improbat iis GALENUS, *x*) quorum cibi ob vitioſos ſuccos in ventriculo corrumpuntur. Verum ad colorem redeo recentiorum experimentis inveſtigatum. Ipſum quidem animal tanquam a nemine traditum nec forſan a quopiam recentiorum viſum ex notis Plinii & Ariſtotelis eruit FABIUS COLONNA *y*) & docte per ſingulas partes illuſtravit J. D. Major, neque aliorum opera in his quievit, at de ſucco animali tam ſuaviter tingente nihil conſtitit exploratius. Sub finem elapſi ſeculi cl. Anglus Wilh. COLE *z*) hominem vidit in maritima Hiberniæ ora degentem, qui liquore e conchis extracto varias litteras figurasve lucidi, coccinei & durabilis coloris induxit linteis. Hinc ipſe ad explorFanda multa teſtacea eorumque ſingulas partes ſcrutandas attentior poſt multas operas incaſſum collocatas incidit in ſpeciem littoribus comitatus Sommerſetenſis obvias, quam ideo litteralem vocat ſeu Tenienſem parvam turbinatam, atque inter illas refert, quibus ad veſtes oſtro colorandas antiqui fuerint uſi. Fracta duriori teſta venam candidam transverſim prope caput in ſulco quopiam jacentem reperit, ex qua contentum liquidum vario gradu mucoſum penicillo rigidiuſculo e pilis equinis mucronato elicuit, quod materiam prolificam eſſe ex viſciditate ſua ac fœtore conjecit, aliquando etiam pro motus vitalis ſede habuit. Serico igitur vel linteo albo illitum hunc ſuccum coloris primum lucide virentis eſſe, deinde ad ſolem per varios gradus colorum nunc obſcurius viridis, mox thalaſſini, hinc cœrulei celeriter purpureſcere, ſique a prima lotione ad ſolem vel ventum ſiccatur, colorem pulcherrimum nulli vi ſaponis & coctionis obnoxium tueri animadvertit. Noſtro ſæculo REAUMUR *a*) no-

x) VIII. de compoſ. medic. ſec. loc.

y) De purp. C. I. §. 26 & 27. ubi eam a vulgari purpura Rondetii diſtinguit.

z) v. Transact. Angl. An. 1685. n. 197. Ipſam quoque cochleam varii coloris & magnitudinis exhibent Act. Erudit. Ao. 1686. p. 620.

a) v. Memoires de l'Ac. Royal. de ſciences Ann. 1711.

novum purpuræ genus detexit veteribus incognitum in granis ovalibus liquore ſubluteo plenis, quæ certis adhæreſcunt lapidibus, ubi purpuræ genus detexit ſe congregat, Hæc grana in linteo albo coacta brevi vidit ad liberi aeris attactum purpureas maculas gignere, quam obſervationem tanquam rei tinctoriæ fortaſſis utiliſſimam ſua aliorumque perquiſitione dignam cenſuit regius medicus Fagon. At paucis abhinc annis præcedentium induſtriam vicit cl. du HAMEL, *b*) qui in repertis ad littora provinciæ gallicæ conchis viſcoſum fluidum eduxit, & ſoli expoſitum a gradu viridi coloris per multos inter medios ad ſaturate & jucundiſſime rubrum evehi vidit. Sciendi cupidus a calore ſolis an lumine id penderet, in umbra & aere aperto, at ſole non colluſtrato, per varios ignis artificialis gradus experimenta fecit, ita vero potitus non eſt optato colore. Imo vidit in loco calente, cum partem tincti lintei tegeret, partem ſoli obverteret, non in hac ſed ſola illa purpuram effulſiſſe. Jam dubius lumen ſolare adderet aliquid an diſſiparet, vel ut clarius dicam pars radii luminaris num fingeretur in ſucco, quemadmodum chemici docent, multa corpora calcinata ab igne intra poros fixo rubere, an vero diſpergeret lumen, quod forte partem rubram occultaret, ut ipſe fœtor arguere videtur, propterea nunc ardens ſulphur admovuit, nunc radios priſmatis a camera obſcura tincto linteo illuminando objecit, at ſine exſpectata coloris mutatione, quæ ilico ſecuta eſt, cum linteum illud cum vaſe vitreo, licet duorum, vel trium digitorum craſſitiem haberet, ſoli objiceret. Quod ipſum tamen neque ad ſummum ſplendorem lunaris luminis, neque aliud arte productum lumen ſucceſſit. At his omnibus ſimilibusque experimentis nondum vera antiquorum tinctura potiri licuit. Videntur multa non unius generis eſſe, quæ eo incertis paſſibus perducant, ſed guttularum colorantium & paucitas terret & tingendi difficultas. At merito res ne-

b) D'une eſpece de Coquille qu'on trouve abondamment ſur les cotes de Provence. v. Memoires de l'Ac. Roy. de ſciences Anno 1736. P. 67. Edit. Amſtel.

negligitur, cum alia ſe hodie offerant ſimili lucro & minori impenſa, veluti cochinilla, quæ coloris ſui præſtantia veteris purpuræ gloriam facile obfuſcat, deſiderium certe merito infringit. Mirum ex dictis videri poteſt, cum purpuræ non unus fuit color, ut vidimus, imo ſint, qui eam cum Reizio pro re alba & nigra ſumant, vel cum Lochnero candorem potiſſimum ſplendoremque requirant, *c*) quod moverit medicos, ut miliari morbo nomen purpuræ impoſuerint. Dubium tamen non eſt colorem ſaturatæ rubrum purpuræ præ reliquis familiarem eos intelligere, ſub quo ſane erumpentes maculæ quæcunque corporis non vacant malignitatis ſuſpicione.

c) Reilei de ambiguo & Lochner de papavere ex antiquitate eruto p. 27.

PRO-

PROLUSIO
DE
MATERIA ET SEDE PODAGRAE
PANEGYRI
JOACHIMI FURSENI
d. 18. MENS. SEPT. 1741.
PRAEMISSA.

Podagram veteres Græci tendiculam vocabant, pedibus irretientem animalia. Medici ob ſimilem pedis humani capturam deſignarunt hac voce articularem morbum, qui primum pedes inter atrociſſimos dolores occupat, mox alios etiam artus infeſtat, denique in ipſum internorum viſcerum focum cum præſentaneo vitæ periculo labem ſuam effundit. Hoc opulentis imprimis ac laute viventibus familiare malum ars fovere ac placare in artuum latibulis conſuevit, arma obvertere, quæ expellant, non audet. Miri ingenii morbus eſt ad nulla artis experimenta miteſcens, qui non ſanari, ſed conſervari, quin & pulſus revocari velit, triſtem ubique ægris patientiam moroſa lege injungens. Timidi quidem & parum fidentis medici eſſe, qui ejus ſuperandi ſpem omnem abjiciunt, inter recentiores cl. T. BENNETUS *a*) cenſet & æque proſperum in eo ſanando ſucceſſum promittit, quam in febre ad uſum corticis fugiente conſpicuum. At tum ipſe neutiquam inficiatur, adſultus podagricos actionem natu-

a) An eſſay on the goût Londini 1734.

naturæ eſſe, quæ ſapientia nulli arti imitabili per illas artuum vias profundiſſimam inſtituit, ex Hippocratis judicio ſenilis ſanguinis purgationem, ab aliis adminiculis, imprimis poſtquam perſpirationis præſidia cum ætate cadunt, fruſtra expectandam; haud ſane medici eſt, ſuis remediis tam ſalutare molimen reprimere ac cohibere. Spernimus proinde Paracelſi, Helmontii, Rulandi aliorumque jactantiam, nec celebre illud ſenis medici legatum *b*) plus ſpei inſpirare fatemur. Potius cum illuſtri viro P. G. Werlhofio *c*) negamus in promtu eſſe, quæ ipſam ad hunc morbum diatheſin tollant, & cum eodem diætas amaras, tonicas lacteas, ſcarificationes & alia nimio applauſu excepta arctiores, poſtulare laudum ſuarum limites exiſtimamus. Quantum veri ſententiæ huic ſubſit, non poteſt plenius cognoſci, quam cauſſa & ſede explorata. Hujus autem examen dum ingredior, vereri vas eſt, ne ipſe in tam ſpinoſo tramite pedes offendam. An enim excrementa cerebri per foramen medullæ ſpinalis defluere, & intra nervorum tendinumque tunicas in cava articulorum exonerari cum tot auctoribus Galenici ævi ſtatuam, idque ex gravitate capitis, horore ac frigore ad dorſum, ſenſuque flatus per femoris carnes deſcendentis colligam? An potius ab excrementis, quæ a ſingulis partibus proveniunt, illam quæ artus inundat, illuviem cum Demetrio Pæpagomeno *d*) deducam?

b) The ancient phyſician's legacy Ed. IV. Lond. 1733. ubi præmiſſo leni purgante & diæta tenui præſcribit opii unciam 1. nitri & tartari vitriolati invicem in mortario detonati ana uncias 4. Ipecacuanh. unciam 1. Hujus g. XL. ad LXX. ſumere & cubitum ire ſudoremque expectare jubet, & intra trihorium ab omni dolore artuum immunitatem promittit. Is eſt auctor, qui pleuritico, donec dolor punctorius evaneſceret, uncias CCXL. detraxit, & in plethorici aſthmate mercurii crudi unc. 1. cum portione ſulphuris quotidie adhibuit, in calculo etiam renum debellando eundem Mercurium ad unciam 1. per menſis ſpatium quotidie adſumere ſuaſit. v. Nova Acta Erud. 1735. M. Aug. p. 356. & 357. Non nimis timidum in uſu medicamentorum bonum ſenem eſſe oportuit.

c) V. ei. Caut. med. de limit. laud. & vituper. morb. & remed. a. p. 23 ad 39 paſſim.

d) In Ep. ad Imp. Michaelem Palæologum, ubi de podagra agens ex Freindii judicio Alexandrum Trallianum ſequitur.

ducam? An cum Hermanno Conringio *e*) ne parum ſit una ſpurcitie inquinari, utramque conjungam? Nec indolem utriusque excrementi, nec vias nec modum inquinandi perſpicere me cum viris ingenuis fateor. An igitur ſatius erit, cum Paracelſo accenſum in ſynovia ſulphur, vel cum Helmontio, Tachenio, Williſio aliisque infeſtam acidi ſaburram inſectari. Ibi verba fere ſine ſenſu, hic ſine idoneis rationum momentis reperio, cum præſertim hodie illæ de acido intra corpus geniti querelæ penitus conticeſcant. Majori veritatis ſpecie doctiſſimus Anglus, Jo. Colbatch *f*) alcalini aliquid in ſero podagrico adſtruxit, ſiquidem viriditatem conciliavit ſyrupo violarum, & cum ſpiritu vitrioli efferveſcere deprehenſum eſt. Alterum quidem, tanquam momenti parum adferat, contempſit, alterum in dubium vocavit adverſarius ejus, F. Tutchill; at ille tum veritatem tum robur obſervationis ſuæ doctæ vindicavit *g*) ſimulque ex analyſi chemica ſanguinis ſani & podagrici magnum eliciti utrinque alcalini diſcrimen reperit *h*). His inſiſtens veſtigiis laudabilis induſtria Mich. Pinelli *i*) negat, ſæviturum tanta ſtrage hunc morbum eſſe, ſi ſanguinem, ſudorem, lotium & tophos podagricorum curatior ignis chemicus evolveret, & inde ad oppoſiti remedii notitiam deduceret. Ipſe ex una ſanguinis podagrici libra ſalis volatilis alcalini drachmam & grana octo, ipſiusque ſalis fixi drachmam dimidiam eruit, & latere hic fermentum podagræ, inter errores vitæ lautæ & otioſæ exæſtuare ſtatuit. Quemadmodum nemo dubitat, ultro humores noſtros cum primis in mora ac ſtaſi poſitos ad alcalinam corruptionem proclives eſſe, ita fieri tamen

e) In diſſ. de podagr. Helmſt. 1678. hab. §. 14.

f) A treatiſe of de goutt Lond. 1697.

g) The doctrine of acids in the cure of diſeaſes farther aſſerted. v. Act. Erud. 1698. p. 525. ad 528. Objicerat Tutchill, ſerum quoque bene valentium ſyrupum violarum viridi colore tingere, & quod virideſcat color ſine alcalinis, patere in infantibus, qui citra culpam alcalini viridia dejiciunt. Reſpondet noſter, ſanos quoque aliquid ſed parum alcalini habere, nec mirum, cum raro perfecte ſani ſint, infantum vero feces a bile affine alcalinis tingi.

h) Ut 4. ad 6.

i) Nuovo ſiſtema dell' origine o principio della podagra Rom. 1734.

tamen poteſt, ut externo examini deſtinata ad aëris attactum longe citius in eam ruant, ipſo etiam igne chemico præcipitentur. Suſpecta proinde multis ſunt ignis tentamina, quæ ad aliam, quam inducunt, mutationem minus attenta, quidquid reperiunt novi, in ſinu corporum illorum latuiſſe perſuadent. Alii cum Nathanael Lacy *k*) ſal mediæ poteſtatis inter fixum & volatile agnoſcunt, quo imprægnata lympha in fibras nerveas articuli impingat, & interſtitiis ſpaſmo prehenſis ſalina ſpicula relinquat. Multi coagulum ſalis tartarei cum mucilagine glandularum congredientis artubus podagricis adeo infeſtum accuſant, & igne non minus Kerckringiano *l*) quam illuſtris Fried. Hofmanni *m*) demonſtrationibus nituntur. Idem fere ſentit Rich. Boulton *n*) qui craſin oleoſæ mucilaginis inverti metuit, at omiſſo tartarei ſalis nomine generatim acre cum pituitoſo mixtum coarguit. Et certe opus non eſt, podagricæ materiæ genium in ultimis partium ſuarum figuris ſcrutari, cum omnino ſufficiat, illud, quod omni humorum maxime ſtagnantium corruptioni commune eſt, hic concipere, illos ſcilicet in vaſorum anguſtiis hærentes ab impetu retro urgente denſari, denique continuo attritu ad aliquem acrimoniæ ſenſim alcaleſcentis gradum evehi. Qui genium inflammationis & pendentes a vitali motu ſtagnantium humorum mutationes probe attendit, ſimiliter in omni vaſorum & fluidorum decreſcentium ſerie conſiderandas, perſpectam in ſenſibili normam merito ad inſenſibilia extendit. Nolim ultima vaſcula, in quæ reliqua terminantur, ab hac labe fluidi viſcidi & acris immunia cenſere, quandoquidem & leges motus conveniunt, & canaliculorum & liquidorum ratio ad ſe mutuo relata nihil diſcriminis fere involvit. Quin etiam hic, quamvis cum paucis adeo in expugnabilem podagræ ſedem collocare auſim. Ipſe etiam videtur olim cognoviſſe Aretæus Cappadox *o*), qui dolorem podagri-

k) De podagr. Venet. 1692.

l) Spicil. Anat. O. 28.

m) Med. ſyſt. T. IV. P. II. S. II. C. XI. §. 6 ad 13.

n) In Libr. de arthrit. ſtrum. & lue venerea.

o) ἐν τοῖσι νεύροισι ἔισω μιμνει p. 67. Edit. Boerhav. ſimilis locus eſt morb. diuturn.

dagricum in intimis nervis demorari ſcribit. Galenus *p*) fluctuantis magis quam pertinacius negantis ſpeciem habet, cui vero ſimilius eſt, chordas & nervos in podagra non inflammari, ſed tantum ab iſta cum articulis tenſione dolore, ideo quia non viſus ſit podagricus convulſionem pati. Hæc enim ratio, quæ ipſum negantibus procliviorem reddit, nec plane univerſalis eſt, nec ob tantam ab origine nervorum diſtantiam adeo mirabilis, nec Galeno, ut nervos a tanta irritatione, quamquam externa, non convulſos explicet, faventior. Spaſmorum certe hic ſatis eſt, quod omnis illuſtris F. Hofmanni doctrina evincit, licet non totum corpus ſimul tam facile corripiant. Inter recentiores vir æterni nominis, Hermannus Boerhave, diſſertis verbis minima adeoque nervoſa vaſcula tum ratione ſolidi anguſtioris ac rigidioris tum ratione fluidi contenti tenacioris & acrioris docuit in podagricis adfligi. Nec dubitavit ille aliis locis pro vera nervorum inflammatione, quæ crudeli dolore eosdem in cineres vertat, podagram interpetrari *q*). Pleno cum aliis adſenſu hanc excepit ſententiam Clifton Wintringham *r*), qui viſcidius & acrius fluidum vaſis nervoſis inhærens, & nec cultro nec microſcopio, at omnino ratiociniis patens in hoc morbo confirmat. Haud ratione vacuum

diuturn. L. II. C. 12. p. 36. ἔστι δὲ ἁπάντων ξυλλήβδην τῶν νευρῶν ἡ πάθη eſt omnium ſimul nervorum ægritudo. De cetero hanc frigiditati tribuit. Neque tamen in controverſiam de latiori nervorum ſenſu apud veteres ingredi vacat.

p) Comm. VI. Aph. 49. Exerc. 52.

q) Ut pus & ichor ab inflammatis ruptisque vaſis ſanguiferis & lymphaticis naſcuntur, ita ruptorum nervorum ramenta cum pauco liquido effuſo, cujus maxima pars exhalat, in calcem tophaceam cogi perſuaſum habuit, quod ibi, ubi ſemper plus liquidi diluentis ſe miſcet, æque concipi non poteſt. Conf. Leuwenh. arc. nat. Leyd. 1696. p. 43. ubi ſub microſcopio calx podagricorum ſimilis fuit pilis equinis in fruſtula conciſis, quorum millia non æquant pilum capitis. Id quod bene deſtructas minimas nervi fibrillas delineat. Neque vero negamus, ſanguifera etiam & lymphatica vaſa, quæ nervorum integumenta copioſe perreptant, pedetentim in podagricis adfecta laborare, idque vel ipſo externo tumore ac rubore teſtari.

r) In libro de podagra edito Eborac. & Londin. 1714.

vacuum fas eſt ſuſpicari, quod tantis patrociniis nititur. Conſidera dolores antequam loca podagrica tument, ſævientiſſimos, cogita illos ſævire circa juncturas artuum & ligamenta, ubi minimis nervis omnia ſtipata *s*) ſunt, nec præcedentes neglige cauſſas, quæ manifeſtam vim nervis inferunt, ut ſunt mentis perpetuæ meditationes & lucubrationes, ira, venus, potus ſpirituoſi & ſimilia. Reperies præterea non alios huic morbo obnoxios, quam quibus nervoſi generis magna eſt imbecillitas, major hinc in extremis. Neque vero efficacius argumentum eſt, quod adſentiri cogat, quam facilis ex dictis intellectus morbi tam rebellis & extra omnem quaſi teli medici jactum poſiti. Quid enim eo usque integris viribus perveniat? cum in tam longinquo itinere occurrat perpetuo, quod multa ſeparet, quædam expellat, alia miſceat, mutet omnia & nova dote imbuat. Suggeſſit nobis Th. Sydenham, qui & ipſe ſpiritum *αταξίαν* hic arguit, vocem indigeſtionis, tanquam principem cauſſam nervini hujus mali *t*). Non eſt iſta vox tam ſterilis & bonæ mentis vacua, uti plures earum, quas paulo ante recenſuimus, quia diatheſin maxime in ſolidis definit, quæ ſuſtentat podagram, ejusque per intervalla renovat adgreſſionem. Nempe quod ſalubris alimenti forma impendi minimis vaſis debet, ſalubritatem hanc a tot coctionum præſidiis, tot internorum humorum miſcelis, tot circumagentium vaſorum & nunc mutantium nunc ſeparantium nunc effœta eliminantium actione nanciſcitur. Quam facile hæc mutationum momenta alicubi deficiunt, ut inde fluidum minus ac par erat elaboratum, ultimas illas ſedes crudo impleat! Quam liquido ex his conſtat, evacuantium uſum merito podagricis ſuſpectam haberi! Nam ſecta vena, quid ex vaſis tam remotis ſubducat? vel purgantium virtus quid illic locorum corrigat & eliminet? Utraque ob labefactata viſcera ſuſpendunt paroxyſmos, ſed cum interitu ægri, cujus inde vitalis vigor, noxia ad artus excutiens ſuccum-

s) Ibi proprie dolor urget, ſed ita ut nec vicinis nervorum propaginibus parcat. Hinc jam Aretæus l. c. p. 66. *τὴν ἐπιπρὸσω πτέρνην και τὸ κοῖτον* dorſum plantamque pedis ſimul ait infeſtari.

t) v. Op. Edit. Leydenſ. 1726. p. 446.

ſuccumbit. Decepti ægri dum externi hoſtis induciis exſultant, ab interno opprimuntur, & credulitatem ſuam ac medici imprudentiam poſt liminis damnant. Etenim ſi vires frangere & naturæ in ſuam tutelam intentæ arma extorquere velis, nunquam non erit in tua poteſtate, ſufflaminare paroxyſmum. Merito igitur cum Sydenhamo *u*) intempeſtivis illis venæ ſectionibus & purgantibus ſuccenſemus, non immemores, purgans illud tantopere jactatum Horatii Augenii fallaci lenimine fatum multorum præcipitaſſe, & hermodactylos toties podagricis adhibitos Gregorii I. patriarchæ Antiocheni funeſtam reddidiſſe podagram *x*). Neque vero illud jam patet minus, cur victus, qui bene alit & coctu facilis eſt, ſalubrius quidem ſuſpendat paroxyſmos, at fomite morbi ſuperſtite. Ita nimirum lac a Greſſelio, Waldſchmidio, Dolæo, & infinitis aliis antiquis & recentioribus vehementiſſime dilaudatum, cum quo animalis chylus toto jam ſanguine circumactus venas podagricorum ſubit, neque exſtirpat malum, neque renovat viſcera, ſed quod ipſa virtus corporis podagrici parare nequit, ad tempus promens ſalutem fruſtra videtur attuliſſe. Vix enim ab hoc victu recedunt ægri, cum redeuntis mali ſenſu admoneantur, non poſſe corpus proprio virium adparatu nervos ſalutari fluido implere, adeoque diatheſin morbi ſanari non poſſe. Sane ſi in ſanguiferis lymphaticisque vaſis hæreret malum particulari tantum viſcerum auxilio, cui promtior aditus pateret, opus eſſet, hic vero univerſalis eorum opera requiritur ad elaborandum defecandumque illud, quod ultimæ in noſtris humoribus perfectionis eſt. Quodſi igitur illa labes ſemel in ſolidis hæret, naturæ laudamus ſollicitudinem, quæ hoſtem quem arcere nequit, ad illos imbecillium pedum carceres ablegat. In quibus etiamſi indigna-

u) L. c. p. 446. damnat venæ ſectiones p. 447. & 450. purgantia p. 449. ſudorifera.

x) v. hiſt. chronol. Boſch. inſert. Act. Erud. ſupplem. T. IX. S. II. p. 70.

dignabundus hæreat, & multum creet moleſtiarum, ſalus tamen ægri in vado eſt. Verum ſi languentior per ſenectutem & vitæ errores natura expellere eum huc nequit, vel ſi remeat expulſus, & nervos per ſedem vitalem diſperſos corripit, ſpei vix levis umbra ſupereſt. Hoc fatum omnibus podagricis, quibus pereundum eſt, imminet, & quod jam olim Aſam regem ſuſtulit *y*), cujus pedibus adfecti morbum עד--למעלה ſecundum LXX *ἕως σφοδρα*, vel *ἕως ἄνω* usque ad ſupra creviſſe legimus, quod morem retrocedentis podagræ concinne exprimit, noſtrorum certe temporum luxu & mollitie certiorem ſtragem edit.

y) 2. Chronicor. 16. 12.

PRO-

PROLUSIO
DE
MANIA EROTICA.
PANEGYRI
FRIDERICI GOTTL. MEYERI
D. 30. MENS. DEC. 1741.
PRAEMISSA.

Mulieres hyſtericas, etiam inſontes, perpetua fere ferventis Veneris premit ſuſpicio. Quam etiamſi juſtam eſſe in multis largiar, mihi tamen majoris verecundiæ muliebris quam laſciviæ fidem parit. Viri fortaſſis, quod ſtimulo eidem obluctentur minus, ejus ad interiora redundantis injurias minus ſentiunt. Hinc PLATO, *a*) qui uterum *ζῶον ἐπιθυμητικὸν*, partem, qua viri ſumus, *ζῶον ἔμψυχον ἀπειθὲς καὶ αὐτοκρατὲς* ſapienter adpellavit. Non id moror, quod animal dixerit, ferri enim in omni parte animata & adpetente poteſt, quidquid id nominis eſt, ſed quod notas mutui diſcriminis tam concinne ſuggerens timidum ibi adpetitum expreſſerit, hic imperioſum & omnis repaguli, quod pudor objiciat, negligentem. Mirabilis ille morbus & immanis furor, qui PLUTARCHO *b*) teſte Mileſias virgines occupavit, ut ſibi gulam laqueo fregerint, non fuit, ut aliqui ſuſpicati ſunt, contagium ab aere diffuſum, ſed veroſimiliter ipſum illud pudicitiæ frenum cupiditatibus ſuis injectum, ut perire maluerint,

a) In Timæo p. 496. ſq.
b) de clar. mulier. it. A. Gellii noct. Attic. L. 15. c. 10.

rint, quam amorum illa incendia confiteri. Id comprobat adhibiti remedii ſucceſſus, cum ad compeſcendum furorem illum ſenatus eas, quæ ſibi manum intulerant, nudas per forum trahi & efferri juberet. An enim furor ex alia cauſſa hanc ignominiam metuiſſet? At metuit eadem verecundia, quam diffuſorum per venas igniculorum ſuorum puduit. Simili mentis exceſſu in ſe ipſas ſæviiſſe mulieres Lugdunenſes, coeundi œſtro percitas, Jo. BRODAEUS, *c*) & puellas Crotonienſes in puteos ſe præcipitaſſe, PETR. CRINITUS *d*) teſtantur. Mania igitur illa erotica, de qua olim, ſi SUIDAE credimus, quatuordecim libros ſcripſit CADMUS MILESIUS, magis parcit viris, in quibus eſt, ut ex PLATONE adduximus, *ζῶον ἀπειθὲς καὶ αὐτοκρατὲς*, at feminas e contrario corripit multiplici furorum uterinorum, *ὑστερομανίας*, *νυμφομανίας* ſimiliumque malorum nomine. Eadem non poſtrema cauſſa eſt, cur fere nihil, quod hyſterica ſymptomata referat, in viris deprehendas, qui ſtimulos omnes, antequam per ſpaſmos nervorum diſpergantur, ſalubrius quam verecundius plerumque excutiunt. At diſquiſitum eſt diu, ubi tandem illud virus lateat, & qua virium ſuarum facultate rationem de ſede ſua dejiciat? Multi tanquam libidinis ſedem accuſarunt renes, quos in ſalaci femina ſupra modum magnos ROS. LENTILIUS, *e*) in alia ad aliquot librarum pondus adſcendentes Jo. SCULTETUS, *f*) imo quaternis aliis pares PHIL. SALMUTH *g*) notarunt. At licet renes, dum incaleſcunt, judice Jo. RIOLANO *h*) accendant omnino libidinem, & per flagra lumbis incuſſa torpidi ad Venerem exardeſcant, id tamen non alio nomine renibus tribuendum eſt, quam quod calo-

c) L. 5. miſc. C. 27.

d) 3. de honeſt. diſcipl. c. 9. Hippocrates ſimile teſtatur: *κελεύουσιν ἅλλεσθαι, καταπίπτειν εἰς τὰ φρέατα, καὶ ἄγχεσθαι.* Ait quoque M. F. Lochnerus Eph. Natur. Cur. C. 8. §. 3. ſe cum horrore meminiſſe juvencularum, quæ ſe puteis profundiſſimis immerſerint ad flammas illas infelices exſtinguendas.

e) Eph. Nat. Cur. C. I. & II. p. 344.

f) ap. Bonet. in L. 3. ſepulch. Anat. S. 34.

g) Obſ. med. 23. C. I.

h) anthropol. L. 2. C. 26.

lore ſuo vel ingenito vel per artem excitato ſpermaticas arterias in ſuis confiniis ſitas expandant, & ad opus tum ſuſcipiendæ materiæ ſeminalis, tum in ultimis, quo tendunt, ramuſculis ſeparandæ reddant vegetiores. Dictis arteriis ſpermaticis ſæpe ſtructura favet. Bifidam in laſciva CASP. THEOPH. BIERLINGIUS, *i*) duplicem ex utraque parte JO. RUD. SALZMANNUS, *k*) quadruplicem ſine vena TH. KERCKRINGIUS, *l*) unam ſed binis vulgaribus decuplo majorem TH. BONETUS *m*) notant. Mirum non eſt, cum uberiori ſeminalis materiæ proventu majorem quoque in his ſalacitatem obſervatam fuiſſe. Cui ſi accedit non abundantia ſolum ſecreti, ſed & acrimonia, qualem in ſcorbuticorum Venere multi admirantur, alii a victu ſtimulante & condimentis natam deſcribunt, creſcunt ſine dubio prurientes ſtimuli. Licet vero ſemen feminarum improprie hoc nomine veniat, recentiores tamen cum veteribus adgnoſcunt, liquidum illud in proſtatis & glandulis vaginalibus ſcaturiens plurimum exæſtuanti libidini ſervire. Obſcura titillatio turgeſcentis hujus liquidi mire intendit voluptatis ſenſum, eo vel ultro vel ad frictum Venereum effuſo languet Venus, renovato novis viribus reſurgit. Hic focus eſt, inquit MICH. BERNH. VALENTINI *n*) ad JO. DAN. WIDTIUM, in quo muliebris morbona tragœdias ſuas unice ludit. Tentigo ex hoc fonte, clitoridis inſania, inſomnia Venerea, pollutiones nocturnæ naſcuntur. Negandum autem non eſt, vitium interdum in ipſis ovariis hærere, quæ non modo magna ſed & ovulis turgidiſſimis plena in ſalaciſſimis & ipſo furore uterino exſtinctis reperta eſſe legimus. *o*) Vidit MICH. FRID. LOCHNERUS *p*) in quibus ovaria turgida rupturam viſa ſunt minari, & ovula per orgaſmum Venereum in tantum diſtenta fuerunt, ut piſo-

i) Miſc. Nat. Cur. D. I. A. 2. O. 203.
k) in obſerv. Anat. a Theod. Wynants editis.
l) Spec. Anat. O. 32.
m) Sepulch. An. L. 3. S. 34.
n) Miſc. nat. Cur. D. II. A. 2. App.
o) v. l. M. Hoffmanni diſquiſ. C. H. Anat. Path. S. 9. §. 4.
p) Eph. N. C. C. 8. O. 3.

piſorum magnitudinem æquarent. Jos. Lanzonus *q*) in alia, quæ laſciva & febrili inſania occubuit, nil niſi inflammatum uterum fuiſſe ex medici Mantuani fide teſtatur. Igitur non minor eſt pruritus Venerei cauſſa, quæ ex ſtimulo turgeſcentium ovulorum & aliarum quoque partium oritur. Reperta interdum eſt inter vaſa ſua ſeminalis materia in gypſeam duritiem concreta. *r*) Copia certe adfluentis ſine conſumtione & per moram corruptio ſtimulos tandem illos voluptatum in furores convertit. Notant omnia, per ambitum partium generationi deſtinatarum ſerpentes arteriæ ſpermaticæ nervorumque propagines producere ſtimulos illos & exaltare, quoties cum magna ſpirituum ubertate turgeſcunt intra cancellos ſuos, ut vix continere queant, dicta liquida. Inde cerebrum, extra cujus limites ſenſus non eſt, a blandius tendente ſtimulo ad ſenſum voluptatis, ab acriori & infeſtiori ad eundem cum ferocia junctum inducitur, ut multæ laſciva loquantur, cogitent, petant, corpus nudent, & cum filiabus Paeti bacchantes obviis ſeſe procaciter & obtutu feroci geſtuque parum compoſito offerant. Quo magis in aliis admirandum eſt naturalis verecundiæ vinculum, quod contra ipſum furorem prævalet, & diutino mœrore lentaque tabe taciturnas conficit, vel ad mortem ultro potius obeundam, quam turpia admittenda compellit. Minime vero illum terrorem matricis, ut veteres adpellabant, tam facile naſci exiſtimamus, quaſi in ſpem obſcuram potiundi remedii ſuis natura ſtimulis cruciet. Vel ſi naſcitur, ſuppetere puto ſobriæ & exercitatæ vitæ auxilia, quæ ad naturæ fundum nondum excolendum adliciat nihil intempeſtive. Omnium minime arguendas ſtatim mulieres eſſe puto, quod ignes illos in ſinu ſuo geſtent, quoties ex cauſſa non protinus deprehenſa laborant. Uti olim a Marone adſperſas Didoni maculas eluit Aurelius Augustinus, Medeam vero & Helenam tanquam puras & incorruptas matronas Balthasar Bonifacius defendit; ita medici eas, quæ dubio morbo laborant, non modo ſini-

q) Miſc. N. C. D. 3. A. 5. o. 124.

r) Bonet. ſepulch. L. 3. ſ. 33.

ſiniſtro illo vacillantis pudoris judicio haud premant, ſed & ſontes illudenti aliorum cenſuræ ſubducant. Id quod ſæpe neglectum effecit, ut hyſtericæ aniculas potius quam medicos, famæ ſuæ metuentes conſulant, licet interdum ſæviſſima ſymptomata exitium minari videantur, & mirabiles illi ſpaſmi miſeras fere ſuffocent, tum focum caloris naturalis exſtinguendo, tum ſtringendo guttur, quem utrumque ſuffocationis ſenſum verſiculus vetus in catholico Joannis Genuensis exprimit:

Suffocat, exſtinguit: ſuffocat guttura ſtringit.

PROLUSIO
DE
VIIS
SPUTI PLEURITICORUM,
PANEGYRI
JO. CHRISTOPHORI LAMMERS
d. 2. MENS. APR. MDCCXLIV.
PRAEMISSA.

In fabula exornanda verſari videntur, qui pleuriticis ſputa ſua vindicant, & quibus fontibus per quos meatus emanent? argutius diſceptant. Quid quod inter recentiores Jo. FREINDIUS *a*) operam illam non modo ut inanem ſed & ineptam rejiciat, pleuriticisque ſine acceſſu peripneumoniæ immunitatem ab omni ſputo tribuat. Verum hæc ipſa res multa torſit ingenia & perquam ſuſpenſa tenuit, annon tam frequens omnium conſenſu pleuritidis & peripneumoniæ connubium præſtet pro perpetuo & indiſſolubili habere, adfectusque illos, qui ad perniciem vel ſalutem ægrorum mutuam ſibi operam navant, congeneres fraternosque cum Jo. RIOLANO *b*) nuncupare, vel etiam communi pleuro-

a) *De febr. Comment. V.* Haud mitius eſt *Joh. Bapt. Vernae* judicium, qui rem dubiam nimis vocat, & valde obſcuram, & fortaſſis phantaſticam, *de nat. pleurit. P. I. C. II. p. 4.*

b) *Enchirid. Anat. L. 3. C. 4. p. 205.* ubi ſimul doctrinam vocat *Hippocratis, Herophili & Corn. Celſi*, veram pleuritidem eſſe, ſi acceſſerit peripneumonia unius lateris. Ceterum inventum pleuripneumoniæ nomen ſibi ante *Vinc. Baronium* tribuit ib.

ropneumoniæ nomine cum VINC. BARONIO *c*) complecti? Certe in veterum ſcriptis pleuritidem, quæ peripneumoniam comitem non habeat, nusquam niſi ſemel apud HIPPOCRATEM legi, ultro largitur JO. FREINDIUS; *d*) & quidquid CAEL. AURELIANUS HEROPHILO, ſedem pleuritidis in pulmone ſtabilienti, objicit, infirmum & nugatorium adpellat. Ipſius vero HIPPOCRATIS *e*) verba in dictam ſententiam proniora ſic ſibi video ab interpretibus in contraria euntibus adcommodari, ut partem nullam oraculorum ejus ſavore deſtitui velle adpareat. Recentiorum certe plerique commune vinculum & non niſi graduum diſcrimen in utroque morbo adnoſcunt, & juxta eum aliis HENR. REGIUS *f*) ſemper in pleuritide externam pulmonis tunicam ſimul inflammari, idque omnium pleuriticorum ſectionibus plenius evinci docet. Nec deſunt, qui non ſolum adfecti pulmonis reos pleuriticos pro-

c) Cujus de pleuripneumonia librum Forolivii 1638. editum *Jo. Rhodius* inter illos libros numerat, qui in certis materiis excellunt.

d) *De febr. Comment.* 5.

e) *Hippocrates*, ſi varia loca inter ſe conferantur, in pleuritide pulmonem unius lateris, in peripneumonia utriusque adſectum putat *de loc. in hom. n.* 24. *Edit. Linden*, *T. I. p.* 378. hinc inter alia pro cognoſcendo utroque malo conſiderare jubet τὰ ὀδυνήματα τῦ ἑτέρυ πλευρῦ ἢ ἀμφοτέρω:. *de vict. acutor.* §. 52. *Ed. Lind. T. II. p.* 310. Nempe pulmonem ſibi concipit materia morboſa oppletum vel ambo extrema ſua dilatare & utrumque latus ſimul adficere, vel unum extremum ſuum & unum latus, ibi peripneumoniam, hic pleuritidem naſci, adeoque a pulmone ut cauſſa etiam latus adfligi, & in hoc quidem humeros, coſtas, ſpinam &c. v. I. *de morb.* §. 24. *Ed. Lind. T. V. p.* 30. Vix diſſident ab *Hippocrate F. Platerus L.* 2. *de corp. hum. ſtruct. p.* 168. & I. *Zechius in conſult. med. c.* 26. *app.* qui in pleuriticis pulmonem unius lateris laborare, ajunt. Ipſe *Jo. Jac. Wepfer in hiſt. de apopl.* 15. *ſchol.* §. 5. *in pleuritide* inquit, *alterutrum pulmonis latus inflammari Platerus, & plerique Italorum hoc ſeculo rationibus & ſenſibus permoti ſtatuerunt, quibus quoque noſtra anatome calculum præbet.* Manifeſtius *G. Baglivio* Prax. med. L. I. c. 9. pleuritis vocatur inflammatio pulmonis.

f) L. II. inſtit. c. 11. Ipſe *Sydenham* S. 6. c. 5. *veram*, inquit *peripneumoniam ejusdem plane indolis cum pleuritide arbitror & in eo tantum differre, quod peripneumonia pulmones univerſalius adficiat.*

pronunciant, ſed & membranam illam, quæ thoracem interne ſuccingit, & quæ pleura vulgo dicta pleuritidis ſedes DIOCLI, ERASISTRATO, ASCLEPIADI, *h)* inprimis autem GALENO, *i)* & pleriſque recentioribus habita eſt, ab omni fere hoc crimine abſolvunt. Nec contemnendæ eorum ſunt rationes, partim quod pleura peritonæo, ut cum TH. BARTHOLINO *k)* loquar, quodammodo craſſior & robuſtior vaſa habeat ob perennem & alternum thoracis motum minus ad ſtaſin contentorum proclivia, partim quod dolor, quem inſpirato aere creſcere pleuritici ſentiunt, huic membranæ, quæ dilatato tunc pectore, coſtisque a primo ad ſeptimam propius ad ſe adductis, laxatur potius quam tenditur, minus conveniat, partim quod in multis pleuriticis diſſectis incolumis & illæſa reperta ſit. Ita JO. ZECHIUS *l)* medicus Romanus in plurimis cadaveribus, quæ pleuritide periiſſe judicabantur, non membranam illam ſed pulmones læſos offendit, & P. SERVIUS, *m)* vel in trecentis pleuriticis Romæ poſt mortem diſſectis, ſemper locum pulmonis corruptum, pleuram vel intactam vel leviter vitiatam vidit, ne ſimiles FEL. PLATERI *n)* & VINC. BARONII *o)* aliorumque obſervationes attingam. Quod etiamſi

g) Πλευρὰ, πλευρὸν, *Hippocrati* & antiquiſſimo ævo notat ſecundum *Erotianum*, *Ruſum & Gazam* Latus, vel etiam ex Sophoclis aliorumque mente coſtam, unde Latini pleuritidem verterunt dolorem lateralem vel coſtalem, ut *Corn. Celſus de med. L. 4. c. 6. & Cæl. Aurelianus Ac. Morb. L. 2. c. 13.* Membrana vero, quæ illo hodie nomine venit, prorſus ignota *Hippocrati*, judice *Vinc. Boronio de pleurip. L. I. c. 6. p. 36.* olim ὑπετωκὼς vel ὑμὴν audivit. Hinc *Jo. Lindanus* maluit cum *Aretæo & Ruſo* membranam ſuccingentem vocare *Phyſiol. L. I. C. 6. A. 9.* Hoc vero eſt oſſa corrodere & nucleum guſtare nolle, ait *Diemerbroeck* Anat. L. II. de thor. C. 4.

h) Vid. *Cæſ. Aurelian. ac morb. L. 2. c. 9.*

i) *de loc. affect. c. 3. contra Eraſiſtratum.* Fruſtra hinc *I. C. Claudinus deciſ in reſp. 15. Galenum Hippocrati* conciliare adnititur, concuſſitque ſatis argumenta ejus *V. Baronius l. c. p. 32. ſq.*

k) *Anat. ref. L. II. de thorac. c. 4.*

l) *Conſ. med. c. 26. app.*

m) *H. Welſch. Dec. I. Curat. IV.*

n) *L. 2. de corp. hum. ſtruct.*

o) *l. c. p. 8 & 9.*

ſi ita ſe habeat, ex ubertate tamen exemplorum univerſalis regula inconſultius ſtabilitur. Minime enim auſim ISBR. DIEMERBROECKIO *p*) non adſentiri, qui pleuriticorum crebra ſectione pleuram ſolam, quoties pulmo ab ejus nexu liber fuit, ſi non, pleuram & pulmonem ſimul laborare cognovit. Fretus obſervationum ſuarum fide acerbius in REGIVM invehitur, quem ſecuiſſe pleuriticos negat, ſectis interfuiſſe dubitat, mitius in PLATERUM, cui in ſectionibus ſatis verſato pleuriticorum utriusque ſpeciei paucos occurriſſe ſuſpicatur. In hoc autem, quod DIEMERBROECKIUS exinde cum aliis concludit, ſine ſputis pleuriticos eſſe, quorum pulmo pleuræ non adhæret, ſimilem experimenti & rationis nervum non deprehendo. Quamvis enim id, quod bronchia ejiciunt, propius ex ipſo pulmone accedat, vix æque luculenter a latere, quippe pulmoni nec venis nec arteriis nec fibris ſecundum veterem Herophili doctrinam contiguo; viæ tamen, quas veteres λογοθεορήτας teſte Cæl. Aureliano *q*) adpellabant, mente videlicet magis quam ſenſu cognoſcendæ; in corpore tam arctis partium vinculis ubivis gaudente, temere negandæ non ſunt. Dictis igitur ſententiam meam & de ſede & ſputis pleuritidis hunc in modum ſubjicio. Primum haud plane abnuo, ſolitariam & exquiſitam pleuritidem dari, ſolo laterum *r*) nullo pulmonis vitio decurrentem, quæ pulſu duro & do-

p) *Anat. L.* 2. *c.* 13.

q) *L.* 2. *c.* 16.

r) Laterum nomen cum veteribus præfero & intercoſtalia loca, arterias ſpeciatim muſculosque intercoſtales, in pleuritide arguo. Non illud igitur *Helmontii de pleur. fur. n.* 23. multum improbo, qui culinam pleuræ in continua ſibi carne intercoſtali potius quam membrana quærit. Quemadmodum vero dicta intercoſtalia vaſa longius repunt, & inter duplicem quoque pleuræ membranam incedunt copioſe, eaque ſtabiliuntur, hinc *Adr. Spigelius Anat. L.* 9. *c.* 3. maxime ea inflammari cenſet. Ad membranas etiam humeri & juguli excurrere vitium notat *Tulpius L.* 2. *O.* 1. *Jo. Matth. de Gradibus pract. med. c.* 53. in mediaſtino & ſepto transverſo non minus exquiſitam pleuritidem locat. Riolano in Ench. An. L. 3. c. 4. p. 203. majores etiam muſculi ut pectoralis, ſerratus major, minor, latiſſimus & muſculi dorſi arguuntur.

dolore pungente a peripneumonia, quippe pulſus mollioris & doloris hebetioris, ſpiritus autem arctioris & ferventioris, ſe non obſcure attentioribus diſtinguit, at ajo rariſſimas *s*) eſſe has pleuritidis ſpecies, plerasque vero, licet iisdem ab initio locis ſævientes progreſſu temporis in ſocietatem mali pulmonem rapere, non tam ob contactum pleuræ adhærentis vel quamcunque metaſtaſin, quam cohibitam ex dolore reſpirationem, qua ſanguinem pulmonalem in tranſitu per venas ad cor ſiniſtrum ſiſti palam eſt. Jam Hippocrates notavit, retenta anima hominem uno momento funeſtam ſibi peripneumoniam arceſſere poſſe, idque Afrorum mancipiis confirmatum legimus, quibus dominorum ſuorum ſævitia offenſis in more eſt repreſſo ſpiritu mortem ſibi ex ſubita peripneumonia accelerare. Dolor certe in pleuriticis ad inſpiratum aerem acrius inſurgens facile in pulmone ob cohibitam ex mollitie animam ſimilia mala parit, ut vel eo nomine non pleuritici ſolum, ſed & quacunque alia viſcerum inflammatione cum iisdem in reſpiratione doloribus conjuncta laborantes peripneumonici obeant. Ad ſputa vero quod attinet, enarratæ jam difficultates me non movent, ut conſtantiſſimæ veritatis eſſe credam, illos ipſos, quos exquiſite pleuriticos dixi, ſputis vexari & repurgari omnino nullis. Inter divortia opinionum, quibusnam viis ſputa illa ad bronchia enitantur, GALENO *t*) & turbæ adſeclarum vero videtur ſimillimum, morboſum in loco inflammato pleuræ exſudare in cavum thoracis, ex hoc ad mulſæ tenuis exemplum a pulmone tanquam ſpongia imbibi, & tuſſi deinceps eliminari. Pondus

s) De rara pleuritide exquiſita v. *Act. Berol. D. I. V. 3. p. 33.* Mallem laudatis accedere viris, & maxime amiciſſimo *Trillero* meo, qui in eximio libello *de pleurit. p. 2. n. 4.* non pleuram ſolam ait, ut temere hactenus creditum eſt, ſed ipſam quoque pulmonis ſubſtantiam infeſtari. At moram in adſenſu injiciunt pauca illa exempla, quæ in nimia luce verſantur. Præter dicta *Diemerbroeckii* loca v. *Vern. l. c. P. I. c. 3. River. pract. L. 7. c. 2. Vesling. Obſ. 36. Bonet. ſepulch. T. I. L. II. S. 4. O. 14.* in quibus pleuræ corruptæ pulmone integro fit mentio.

t) *De loc. affect. c. 3.*

dus quoddam huic ſententiæ Th. Bartholinus *u*) ex eo addit, quod pulmonis follibus inflati extima & pertenuis membrana amplos ad recipiendum poros exhibeat, Walæo ad piſi magnitudinem in vivis notatos. At ut recte Dan. Sennertus *x*) negat, a mulſa tenui injecta ad craſſa illa & ſubcruenta, ſtatim ſub morbi ortum ejecta, concludi poſſe, ut æque tam anguſtis meatibus, quos jam nullus follis expandit, penetrent; ita Diemerbroeckio *y*) aliisque non ſatis menſura illa pororum probatur. Quo magis mireris, Laurentium Bellini *z*) veſtigia Galenicorum hic ſecutum rem illuſtrare ex ſuctibus voluiſſe, quibus in ſuperficie cutis livor oritur & ipſe prolicitur ſanguis. Præterea enim, quod ſimilis ſugentis pulmonis niſus locum non habeat, patet ſimul, partem inflammatam non alio quam denſo & nulli ſuctui auſcultante ſanguine oppletam eſſe. Rupturam vero ut inflammatio non niſi ſerius producit, ita celeriorem ſine pleno gurgite introrſum liberius ruentis & ſuffocantis ſanguinis concipere vix licet. Et cur empyici, ſi ex cavo thoracis tam promtus in pulmones illæſos ingreſſus eſt, pure in cauo thoracis accumulato non liberantur? certe ſputa non prius ejiciunt, quam maceratus in ambiente pure & tabefactus ſit pulmo. Nec ſatisfaciunt nobis, qui pulmonem pleuræ coaleſcere loco adfecto, & illud quod quaſi e manu in manum ſuſcipitur, ſic propius per bronchia expelli ſtatuunt. Omitto, quod præcipuo loco J. B. Verna *a*) urget, pleuriticos a pleura adfecta ſine nexu cum pulmone ſputatores tamen eſſe, ſane ſi paululum indulgentior nexum illum ubivis concedam, non ideo longe commodius mihi videntur rem difficilem explicare. Neque enim levis illa per membranaceos nexus cohæſio parit ſtatim communionem vaſorum, ſive exhalet unum, alte-

u) *L. II. de thorac. c. 9. Hinc ſanies*, inquit, *thoracis penetrare poteſt & per tuſſim exire.* Conf. *Bauhin. Anat. L. 7. c. 26.*

x) *De pleurit. qu. 3.*

y) *Anat. L. II. de thor. c. 13.*

z) *De morb. pect. p. m. 553.*

a) *De pleurit. c. 2. p. 9. n. 33.* ubi patentiori campo cum adverſariis confligit.

alterum imbibat, ſive rumpatur unum, alterum ſuſcipiat, & ad juſſa loca deducat. Nam contra rupturam tam celerem in loco inflammato, primis ſputis reſpondentem, jam pugnavimus, at longe plus a vero abhorret, tam craſſum & glutinoſum integris utrinque vaſis exhalare & reſorberi. Sputum illud ſæpe ἀσαπέως ſ. ἀπέπτως καταγλιχραινόμενον, ut cum HIPPOCRATE *b*) loquar, quis vias illas & ſine noxa quidem eluctaturum eſſe ſperet? Si vero ſtagnans corruptumque exedit, deſtruit & transfert labem, quis non in molli viſcere neceſſarium corruptelæ progreſſum & imminentem pulmoni praevidet conſumtionem? Propius a vero abeſt J. B. VERNA, *c*) dum obice ad loca inflammata poſito impetum cordis urgentis liberiori flumine in vicinas arterias exundare putat, bronchialem maxime (cujus ramuli in bronchia hiant, imo ex parte per œſophagum producuntur) ut & ſubclauiam dextram carotidesque, ex quibus ante ingreſſum in cranium laryngi, linguæ & faucibus multi ramuli implantantur. *d*) Quo ipſo naturæ molimine hæmorrhagiæ ſpeciem naſci intelligo, cum aliquo fortaſſis in plethoricis morbi levamine, neutiquam vero, quod tamen maxime requiro, id liberari & per dictas vias expelli, quod in locis inflammatis impactum hæret. Quod ſi HIPPOCRATES pleuriticorum dolores remittere ait, *e*) ſi largiter cœperint

b) *v. Gal. in l. Hipp. de vict. rat. c.* 1.

c) *P. I. c.* 8. *p.* 32. Trahit in partes ſuas *Dan. Sennertum*, qui l. c. cruentum ab initio ſputum a vaſis, quæ aſperæ arteriæ nutriendæ ſerviunt, derivat. Plus exſultat adſenſu *Eraſiſtrati, ap. Gal.* 5. *de loc. affect.* qui *ab arteria*, inquit, *quæ ſpinæ adjacet*, (aorta) *vaſa ad latus dextrum & ſiniſtrum* (intercoſtalia) *procedunt & diſperguntur, ſanguis in has vias incidens per concavam arteriam* (bronchialem) *ad loca, quæ circa pulmones ſunt, atque ad eos nexus, per quos pulmo apud ſpinam arteriæ* (aſperæ) *conjungitur, adſcendit nonnunquam.* Hæc contractius. *Galenus* incredibilia dixit, ipſe tamen *c.* 9. *de diſſert. ven. & art.* non obſcure bronchialem deſcripſit. Verna pretioſiſſimam & auream gemmam vocat, detectam a Galeno & non cognitam, abs ſe vero effoſſam & expolitam. *l. c. p.* 35.

d) Ib. *p.* 35.

e) *De vict. acut.* §. 7. *Ed. Lind.* T. II. *p.* 273.

rint πτύειν καὶ ἐκκαθαίρεσθαι, & alio loco addit, *f*) ſputa in principio morbum contrahere, ſi poſtea, producere, & utrumque ex recentiorum quoque obſervatis inconcuſſæ eſt veritatis, neceſſe erit ex ipſa ſede morbi materiam ſputi emanare, hac autem in anguſtiis ſuis perſiſtente prorſus inane erit ſcenam novi morbi fingere, quo ſanguis reliquus intemeratus a loco inflammato repulſus nixu ſuo per alia vaſa emergit. Magis mihi adridet circuitus vitalis via regia, quæ ad nulla loca, quibus morboſum ejicitur, aditum intercludit. In omni nempe inflammatione reſolubili illud, quod in finibus arteriarum hæſit, vel blande ac penitus ſolutum ſine relicto ſuo vel vaſis ſui vitio priſtinas remetiri vias incipit, inſtar reliquorum ſalutarium humorum, vel ſolutum quodammodo & coctum non omnem exuit, quam ex ſtaſi contraxit, peregrini ſtimuli dotem, hinc ex anguſtiis eluctatum & reliquis humoribus permixtum ope motus febrilis, quem ſuo fomite alit, per emunctoria corporis, cutem, alvum, renes eliminatur, aut ad loca alia, ut crurum auriumque decumbit. Altera reſolutio perfecta eſt & ſine criſi, altera imperfecta per criticas excretiones aut decubitus terminatur. Pleuritis utroque ſæpius beneficio ſolvitur, ibi morboſum naturæ plenius reconciliatur, hic a commercio ejus excluditur, inter dubias non raro moliminum criticorum turbas. Ita VALERIOLA *g*) per fluxum alvinum, RHODIUS *h*) per lotium, STAHLIUS *i*) per ſudores, RIEDLINUS *k*) per lochia, alii per hæmorrhoides, ut plurimum vero per ſputa pleuritides ſolutas eſſe teſtantur. Ad quas vias tam varias materiam morboſam ſedibus ſuis excuſſam non niſi communi circulationis lege admitti concludimus, huc expeditius, difficilius illuc, prout indoles expellentis organi & materiæ expellendæ plus minusve congruunt. Frequens inde pleuritis eſt ſine

f) 1. *Aph.* 12. *extr. ord.* 5.
g) *L.* I. *O.* 45. it. *Spindler O.* 26.
h) *C.* I. *O.* 13. it. *Hildan. C.* II. *O.* 31.
i) *O. med. pr. Cl.* 1. it. *Rhod. C.* 2. *O.* 15.
k) *Lin. med. A.* 2. *Jan. Obſ.* 31. *p.* 50.

ſine tuſſi *l*) & ſputo, aliis quippe, quas recenſuimus, viis levata, familiarius tamen & conſtantius illud naturæ levamen reputamus, quod ob viciniam & cognationem vaſorum tum obſtructarum tum liberantium per ſputa medetur. Quemadmodum nemo dubitat, id quod in obſtructis arteriis intercoſtalibus hærere & pedetentim ſolvi concipimus, per venulas arteriis illis ſubjectas & mox quidem per venam azygon, *m*) quæ circa quartam thoracis vertebram in cavam ſe exonerat, celeri progreſſu ad dextrum cordis ſinum remeare, ita nec illud cognitu difficile eſt, cordis ſiniſtri impetum, qui morboſum illud per varia ſolutionis intervalla reliquis humoribus vitalibus mixtum quaquaverſum diſpergit, proximam vim, ſi paucas forte arterias excipis, ut coronarias & pericardicas, ad ipſas ſtatim intercoſtales, adhuc obſtructas ex parte adflictasque, dirigere, ibidemque nonnihil tanquam ab obice repulſam, haud agere propius in aliam quam bronchialem arteriam, cujus ut plurimum geminæ ramus dexter ab ipſa intercoſtali dextra prima aortica, ſiniſter a proximo aortæ trunco enaſci communiter ſolet. *n*) Evicit autem F. Ruyschius *o*) ceram arteriæ bronchiali injectam omne punctum pulmonis pervadere & cum extremis ramuſculis tum arteriæ aſperæ tum pulmonalis, imo cum ipſo cavo æreo communicare, ut adeo materiæ pleuriticæ exturbandæ vix propior & opportunior via

l) Tuſſis vel ſicca, vel quod multis contra Galenum placet, nulla. An enim ab acreta pleura? hæc reperta in multis a tuſſi liberis nec unquam pleuritidem vel peripneumoniam expertis? an ab accumulato ſanguine in pulmone? videas curſu fatigatos, quibus a ſanguine accumulato livet facies & reſpiratio fere ſuffocatur, at ſine tuſſi. An ab irritatis muſculis intercoſtalibus? his irritatis & contractis dilatatur pectus, at inſpirans nunquam tuſſit.

m) *Riolanus in anthrop. L.*3. *C.*8. ſæpe credit pleuritide tentari, quorum vena azygos unicam tantum valvulam habet. Alii ideo pleuriticos ſiniſtri lateris in majori periculo verſari putant, quod difficilior ingreſſus ſit ex latere ſiniſtro in illam venam. Conf. *Lomm Obſ. med. L.*2. *Sydenh. de morb. ac. S.*4. *c.*3.

n) v. ill. Collegæ *A. Halleri* Diſp. *de bronchial. & œſoph. arteriis venisque* hic 1743. *habitam* §.4.

o) Cat. rar. p. 162. &c.

via ſit quam per ſputum. Non tam igitur ratione ultimarum quam primarum viarum a J. B. Verna diſſideo, uterque bronchialis arteriæ officium laudamus, ego etiam longe magis, quod ipſam materiam pleuriticam ſolutam prius & in ſanguinem revolutam, ibidemque ſubactam ulterius, & quia contracta ejus noxa elui penitus nequit, ejiciendam cum certo morbi levamine transmittit. At cur, inquiunt, in phrenitide vel paraphrenitide vel alia etiam externa inflammatione, ſi regia illa via agnoſcenda eſt, bronchialis non æque officioſa ſputis liberat? Futiles argutias dicerem, niſi ipſi Jo. Freindio placerent. Raro externa inflammatio & quæ magnum vaſorum adfectorum ambitum non habet, cum criſi ſolvitur. Sive vero externa ſine interna illum exitum ſortiatur, certum eſt, ſancitis ſtructuræ corporeæ legibus plus patere expulſioni vias alvinas, renales, cutaneas aliasve, quam tenuem bronchialem, ubi undam ſanguinis, niſi in vicino loco ſiſtitur, facile præterlabi neceſſe eſt.

PROLUSIO

EXHIBENS

CENSURAM NIMIAE LAUDIS HAEMORRHOIDUM

PANEGYRI

GEORGII CONRADI WOLFII

d. 26. Mens. April. 1744.

PRAEMISSA.

Hæmorrhoides multi ut ultimum laborantis naturæ in ſumma morborum ataxia aſylum conſiderant, & inter quasvis corporis turbas, maxime in imo ventre orientes, hæc ejus in vindicias ſuas molimina eſſe ajunt, aureamque venam, quæ ſpurca & corrupta educit, adpellant. Dum ſæpe ſine ſucceſſu, aliquando cum diſpendio vitæ, ſcalpendo, rodendo, fricando, ſugendo, illinendo partes illas, in quas vim morbi decumbere ſibi aliisque perſuadent, adſiduo opere adfligunt, infelices culi medici non citra culpam ſuam audiunt, quo ille apud J. G. Hoyerum *a*) ægrotus medicum ſuum inſignivit, qui toto iſto remediorum adparatu diu adhibito nil niſi tetram & exitialem fiſtulam in loco adfecto reliquit. Haud iis moroſæ obnitor, qui ſalubritatem hæmorrhoidum certis adſtrictam limitibus, uberi experientia nec imbecillis argumentis niti exiſtimant. Scio enim ipſius Hippocratis

a) v. Act. phyſ. med. nat. cur. V. III. O. 71. p. 70.

cratis judicio hæmorrhoides nephriticis & melancholicis perquam oportune ſupervenire *b*), easdem inſanientium deliria ſolvere *c*), ſique poſt diuturnum fluxum ſupprimuntur, periculum aquæ iutercutis & tabis imminere *d*), eos autem, quibus mature fluunt, nec laterum nec pulmonum inflammatione, nec phagedæna nec furunculis nec lepra fortaſſis & vitiliginibus tentari *e*). Imo illud Galeni, hæmorrhoides hominem ſervare *f*), minime improbo, modo eundem audiamus alio loco, ne natura huic excretioni adſueſcat, prohibentem *g*). Etenim homines etiam cum ſummis conflictatos morbis nunc vomitus, nunc abſceſſus, nunc ulcera aliaque ſervarunt, quorum tamen laudes tam effuſas nusquam reperio. Quemadmodum vires ingeſta coquendi adſimilandique vaſorum maxime viſcerumque motui & contentorum miſcelæ tribuimus, ita vires ſuperflua & attrita eliminandi a viis alvinis, renalibus & cutaneis naturaliter expectamus, ſique aliæ viæ non minori valetudinis commodo expellunt, ut tutas minus nec ſtabilitis naturæ legibus æque congruentes cum aliquo dubii ſucceſſus metu conſideramus. At nemo temere ſpeciem morbi inducit, nemo incendium viſcerum per ruinas partium exſtinguit. Et quis cum hæmorrhoidibus morboſi aliquid corpori accidere dubitet? Ubi ſanguis a tardato vel intercepto reditu per venam portæ regurgitans, unde fluxit, collectusque vim infert vaſis hæmorrhoidalibus, donec per eorum turgeſcentiam referata oſcula manare incipiant. In magnis illis naturæ luctibus, ut verbis utar Nath. Highmori *h*), vel inter graves illas decubitus preſſionisque injurias tanta ſenſim dictis vaſis debilitas & atonia inducitur, ut in iis, qui nimio hæmorrhoidum fluxu occu-

b) Aph. XI. S. VI.
c) Aph. XXI. S. VI.
d) Aph. XII. S. VI.
e) VI. popular. S. III.
f) De cura permiſſ. ſangu. contra Eraſiſtratum. C. 5.
g) III. de fac. not. 8.
h) Diſp. An. L. I. P. II. C. 6.

occubuerunt, triplo interdum ampliora reperta, imo pollice majora & inſtar venarum parturientis uteri tumida Andr. Veſalio *i*) viſa ac deſcripta ſint. Notatu digniſſimum eſt judicium Jo Walæi *k*), qui cum melancholicorum fluxu illo ſanatorum tot exempla exſtent, non negat quidem, primum humores illos atros craſſosque effluere, addit tamen, bonum ſanguinem arterioſum ſequi, nec has venas ſemel apertas facile claudi. Fieri vix poteſt, quin etiam utiliſſimus ille fluxus, ſueto tempore ordine & menſura ingruens, a ſua ſenſim ſalubritate deflectat, vitæque ſæpius & virium pabulum effundat. Neque tantum debilitat relaxatque vaſa illa ſanguis eo decumbere ſolitus & mole ſua premens ac diſtendens, ſed idem, dum ſæpius nec regredi recte, nec egredi vacuarique poteſt, in mediis viis hærens tumensque & corruptione creſcens erodit, peſſimumque fiſtularum genus producit. Ita hæmorrhoides, quæ aliquando ſpeciem remedii præ ſe ferebant (diſſerto ore illuſtris medici J. G. Bergeri *l*) loquor) multum incommodi & periculi habent, & ipſæ poſcunt remedia, ac mortis cauſſæ fiunt, tantum abeſt, ut eam fluxionem elegans & abſolutum naturæ bene valentis munique ſua recte adminiſtrantis opus cum R. Solenandro *m*) cenſeamus. Plures certe notavi validos vegetosque ſenes, quibus nullum cum hæmorrhoidibus commercium fuit, plures e contrario invalidos & levioribus vitæ erroribus ſuccumbentes, quibus lubricum hoc valetudinis præſidium perquam familiare fuit. Sed luculenta, inquies, illa commoda ſunt, quibus hæmorrhoides totum corpus cum euphoria purgare Gu. Rolfincius *n*) cardialgiam & arthritidem ſuſtuliſſe

i) De fabric. Corp. hum. L. III. C. 5. Ipſe J. G. Bergerus l. c. ſub n. (2) §. 12. p. 18. in corpore illuſtris JCti C. Ziegleri venam vidit ejusdem magnitudinis, ſanguine partim liquido, partim craſſo & grumoſo plenam. De varicoſis & velut cancroſis illis vaſis v. Mereat. L. I. de int. morb. curat. c. 17.

k) Med. pract. L. II. c. 15. p. 195.

l) Diſp. de hæmorrh. ultra modum prof. §. 2. p. 5.

m) Conſ. med. 20. S. 4.

n) Med. conſ. L. 8. C. 4. p. 731.

ſtuliſſe P. Foreſtus *o*) hemicraniam ſolviſſe J. J. Wepferus *p*), hæmoptyſin inhibuiſſe J. R. Foreſtis *q*), hyſtericas ſublevare F. Hoffmannus *r*), ſuppreſſis menſibus opitulari Zac. Luſitanus *s*), ophthalmiam & ſcorbutum imminuere, humidumque aſthma mitigare J. Ph. Nenterus *t*), maxime autem hypochondriacis nephriticis melancholicis & quartanariis prodeſſe, innumeri auctores uno ore loquuntur. Rem magis confirmare videtur, quod ex ſuppreſſo fluxus illius beneficio hydropem J. Rhodius *u*), arthritidem P. Monavius *x*), vertiginem paralyſin & fiſtuloſa ulcera G. F. Hildanus *y*), melancholiam ipſe Galenus *z*), apoplexiam & paralyſin medici Berolinenſes *a*) adeoque largam ubivis ſobolem malorum unico hoc fonte obſtructo natam eſſe teſtentur. Nihil eſt, cur de fide tantorum hominum dubitem, cum Guarino *b*) tamen dixerim, præter naturæ rationem id fieri, & flebiles eſſe ambiguæque fidei illas naturæ aberrantis ſuppetias. Fateor fluxum illum ſub prudenti moderamine conſervandum eſſe, verum non aliter quam inveterata pedum ulcera, quibus intempeſtive conſolidatis & tanquam ſpiraculis, per quæ corpus fuligines ſuas expellere conſuevit, occluſis myriades internorum malorum oriuntur. Quibus igitur dira lex incumbit, malum ejusmodi in ſinu ſuo alere, ne majora germinent, haud equidem nimis gratulor. Anomalus hic fluxus, qui nunc guttatim ſtillat, nunc ad libras;

o) L. 13. O. 4.

p) Obſ. p. 168.

q) Conſ. & reſponſ. med. T. I. c. 2. C. 28. Conf. Amat. Luſit. Conſ. 3. Cent. 5.

r) Med. Syſt. T. IV. P. III. p. 249.

s) Prax. admir. L. I. O. 28.

t) Med. Fund. P. II. p. 48. 235. 312.

u) C. 3. O. 5.

x) De ſe ipſo in ep. ad Crat. 236.

y) Op. p. 645. it. C. 2. O. 52.

z) L. 3. de humor. C. 26, Conf. R. Carr. Ep. med. 10.

a) D. 2. V. 7. p. 22. & 24.

b) Conſ. 512.

libras, nunc ſanguinem craſſum, grumoſum; nunc tenuem, ſeroſum & ichoroſum, nunc floridum laudabilem, diſſimili ſine dubio effectu fundit, in paucis ad conſtantiam aliquam periodi & ſalubritatem menſuræ revocatur. Jo. Schenkius *c*) quidem & Marc. Donatus *d*) exempla cumularunt, quod ſingulis menſibus, uti feminis uterini fluxus, ita viris hæmorrhoides acciderint, mulierem quoque C. F. Garmannus *e*) refert ſingulis pleniluniis menſes, noviluniis hæmorrhoides habuiſſe, imo Dom. Panorolus *f*) ſenis alicujus mentionem facit, in cujus poteſtate fuit, ex arbitrio fluxum illum vel ſiſtere vel excitare. Verum in his omnibus, quomodo progreſſu annorum ſcena ſe mutaverit, animadverſum non eſt, multum vero haud obſcure ornandæ materiæ datum. Fuſius J. C. Frommannus *g*) de incommodis malefici hæmorrhoidum ſtatus diſſeruit, etiam in dextro ſucceſſu multis moleſtiis ſtipato. Meminit quoque noxii hujus fluxus W. Gabelchoverus *h*), & ipſam inde hypochondriaco maniam ortam eſſe teſtatur Fr. Hildesheim *i*). Suſtulit hoc malum, ut paucis adjiciam, quam male de litteratis meruerit, Sethum Calviſium & Jac. Horſtium, patetque ex vita, quam Theod. Beza ſcripſit, ipſum Jo. Calvinum hæmorrhoidibus ulceroſis occubuiſſe. Quod ut aloeticis maxime medicamentis aliisque cauſis irritantibus tribuitur, ita cum ab his etiam prudentiſſimi cavere ſibi perpetuo non poſſint, patet ſine periculo nunquam eſſe mali hujus contubernium, & iis maxime, qui laxi ſpongioſi & plethorici lautiorem & pleniorem

c) Obſ. L. 3. O. 3. p. 358.

d) Hiſt. med. mir. L. 4. c. 9.

e) Eph. Nat. cur. D. I. A. 4 & 5. p. 299.

f) Pentec. c. 2. O. 47. H. Meibomius in Diſp. de Hæmorrh. Helmſt. 1670. ex eo illuſtrat, quod vaſa, quæ ſanguinem fundunt prope muſculum ani orificia poſita habeant, ut eo conſtricto ſtringantur, laxato laxentur, & ſic in eodem niſu voluntario exſtillent ſanguinem.

g) D. hæmorrh. P. I. probl. 48.

h) Cent. 1. Cur. 25.

i) Specil. 2. de cap. morb. p. 242.

niorem victum cum otio conjungunt, ſpeciem aliquamdiu auxilii præbere, mox reſtitare, & per alias vias, os, palatum, aures, veſicam, penem, mox iis, quibus debebat, vaſis vel dilatatis vel eroſis & exulceratis, idque tam effuſe erumpere, ut inter perpetuas curas reprimere jam an ciere oporteat, ægros una cum medicis ſuis angi videas, Adeo verum eſt, quod jam olim Aetius *k*) ſcripſit, hæmorrhoides deformitatem & vitam miſeram inducere, multosque vita privare. Scenam enim plerumque claudunt agmina malorum, pedes oedematoſi, hydrops, macies corporis & hectica conſumtio.

k) Tetrabibl. 3. Serm. 2. c. 5. Conf. Paul. Aeginet. L. 3. C. 59.

PROLUSIO
EXHIBENS
BREVEM INQUISITIONEM
IN
HIPPOCRATICAS SCORBUTI ANTIQUITATES
PANEGYRI
HERMANNI CHR. SARTORII
d. 9. MENS. MAJ. 1744.
PRAEMISSA.

Conſtantiores Naturæ ſunt quam humani arbitrii leges, hinc morbos non ita in corpore humano uti res in civitate innovari cenſuit Athenodorus apud Plutarchum *a*). Valeant, inquit Jo. Langius *b*), qui in infinita illa morborum multitudine novos excogitant, tales enim oriri pernego, quorum non ante adparuerint veſtigia. Haud temere dixeris, nihil ſub ſole novi fieri, eandem ac olim eſſe corporum noſtrorum fabricam, eandem ambientium cauſſarum actionem, easdem ruinæ leges, neque ad antiquitatis, cujus perexigua ad nos monumenta tranſierunt, de multis morbis ſilentium tuto provocari. Ego quidem regulæ huic id cum ceteris commune eſſe arbitror, ut exceptiuncularum non

a) V. Sympoſ. Qu. 9.
b) Ep. med. 15. L. II. p. 620. 621.

non penitus expers ſit, has ipſas tamen non indulgenter nimis ſed nunquam niſi luculenta ratione evictas admitto. Viciſſitudo quædam eſt in ortu occaſuque morborum, aliquid interdum augmenti vel inſuetæ miſcelæ habent, nunc ſi tempeſtas faventior, elangueſcunt, deſinunt & latent, ad ſimilem deinde cauſſarum intemperiem tanquam ex novis inſidiis erumpunt, & ſub alia ſpecie ob anguſtias obſervationum noſtrarum fallunt. Verum nec vehementiæ impar gradus nec diſſimile in multis ſymptomatum ſatellitium aliave mutant ipſius morbi naturam. Scorbutum in præſenti ſiſto, quem alii pro re veteri, alii pro nova, alii etiam pro commentitia habent. Nullus dubito, eundem ob graviſſimas in corpus noſtrum injurias huic veterique ævo male audiiſſe. Mireris ſane morbum, quem BONTEKOE radicem & cauſſam omnium morborum vocat, & cui Gladbachius inter quatuor cardinales morbos ſecundum locum tribuit *c*), poſſe aliquibus novum vel fabuloſum videri. Solertem tamen in diſcernendis corporum ægritudinibus virum P. Foreſtum *d*) potuit morbi nova nuper ſævitie exorti forma fallere, cum veteri illa & ſimpliciori haud penitus conſpirans. Excuſatius etiam falli potuerunt Georg. Fabricius *e*) in annalibus urbis Miſenæ & Andr. Angelus *f*) in chronico Marchiæ, qui ad annum 1486. inauditi mali hujus ori-

c) Bontekoe *vom menſchlichen Leben* P. II. §. 12. Gladbach in idea prax. med. In dictos tamen viros eorumque ſimiles incidere paulo juſtius poterat cenſura G. E. Stahlii in Op. phyſ. chym. med. p. 601. qui in extendendis ſcorbuti limitibus ipſum Dan. Sennertum peccaſſe, & ut incognita quævis huic morbo tribui cœperint, effeciſſe exiſtimat. Nobis videtur admirabilem Sennerti in hoc morbo pingendo curam non juſte nimis redarguere. In mentem venit innocentiſſimum, quod fidem optimi viri confirmet, teſtimonium cujusdam ſcorbutici haud indocti, quocum Kilonii mihi familiaritas aliqua interceſſit. Is ea, quæ corpus ſuum adflixerant, diu in libris medicis ſcrutatus & nulli deſcriptioni adquieſcens tandem in illis Sennerti lineamentis exactam morbi ſui imaginem luculentius quam in ſpeculo vultum ſuum ſe agnoſcere faſſus eſt.

d) Obſ. XI. L. 20. p. 301.

e) L. II. ſub A. 1486. Conf. Cyr. Spangenberg. Chron. Sax. c. 343. & I. Binhart. Chron. Thuring. L. 3. circa A. 1486.

f) L. III. p. 233.

origines referunt. Nolim enim, quæ aſperior C. F. Paulini *g*) cenſura eſt, infantes protinus adpellare, qui vetuſtiſſimos mali hujus πεντηκοντακεφάλυ natales vel neſciunt vel negant. Iis nihilominus, quibus curæ ſatis & otii fuit veterum recentiorumque teſtimonia inter ſe conferendi, haud puto difficile eſſe, in illis etiam vetuſti habitus laciniis morbum adgnoſcere. Antiquiora ejus veſtigia nemo deprehendit, quam in ipſo Jobo Th. Bartholinus *h*). Nam velut moeror ob amiſſa bona, aër ad loca maritima Syriæ & pravus victus ex inopia rei familiaris cauſſas præcedentes ſcorbuti, ita inquietudo perpetua, lancinantia ulcera cum oris vitiis, ejusdem jam nati indolem adumbrare videntur. Similiter ſervum paralyticum centurionis in urbe Capernaum, qui δεινῶς βασανιζόμενος in ſacro codice dicitur *i*), haud ſimplici paralyſi, quippe dolorum experte, ſed ſcorbutica laboraſſe ex A. Mollenbroccio defendit C. F. Paullini *k*), nec diſcrepat multum ab eadem ſententia G. W. Wedelius *l*). In his ipſis tamen, quibus una interdum vox ambigui ſenſus militat, tenue nimis eſt argumenti robur. Majus in Hippocratica doctrina ſub nomine magnorum lienum & ilei hæmaticis latere multorum judicium eſt, hoc loco nonnihil excutiendum. De lienoſis quidem diſerte divinus ſenex teſtatur, quod κακόχροοι fiant καὶ κακελκέες καὶ δυσώδεες ἐκ τῦ ςόματος καὶ λεπτοὶ *m*). At quis non videt, præcipua hic ſcorbuticorum ſymptomata indigitari, nempe pravum colorem, mala ulcera, ora fœtentia, tenue & friabile corpus, inprimis cum paulo poſt addat, hydropem ſequi, quo multi hodie ſcorbutici occumbunt. Alio loco, ubi ſplenis tumentis & dureſcentis noſter meminit, hæc ejus ſunt verba, quæ dictis quaſi adjiciunt, quibus ad conſummandam morbi ideam opus erat:

γαςὴρ

g) Obſ. med. D. II. O. 4.

h) Morb. bibl. 7. p. 50.

i) Matth. 8. 6.

k) Eph. Nat. Cur. D. II. A. 7. App. 143. ubi provocat ad Mollenbr. proëm. arthrit. vag. ſcorb. p. 6. ſq.

l) Exercit. philol. D. 5. E. 2. p. 11. Valet tamen vox βασανίζειν de omnibus morbis gravibus, non ſolum torquentibus.

m) De affection. §. 21. Ed. Linden. T. II. p. 174. 175.

γαστὴρ φυσᾶται, ὀδύναι ὀξεῖαι ἐμπίπτουσιν ἐς τὸν σπλῆνα, ἡ δὲ χροιὴ τρέπεται -- καὶ τὰ οὖλα κακὸν ὄζει, καὶ ἀπὸ τῶν ὀδόντων ἀφίσαται, καὶ ἐκ τῶν κνημέων ἕλκεα ἐκρήγνυνται n). Quid autem rurſus ſcorbuticis familiarius, quam ventrem inflari, doloribus vagis eundem maxime infeſtari, colorem mutari, gingivas male olere & a dentibus ſecedere, ex tibiis etiam ulcera erumpere? Forte adhuc fluxus illos & ſtillicidia cruenda requiras ob friabilia vaſa in atro illo infarctu facile crepantia. Id ipſum vir ſapientiſſimus, poſtquam variis morborum ſplenicorum formis conſideratis dicta hunc in modum vel repetit vel explicat magis: ὀδύναι ἐμπίπτουσι- ἡ χροιὴ τοῦ γύου μολιβδοειδής, καὶ ἀμυχὰς ἐν τῇσι κνήμῃσι λαμβάνει, καὶ ἕλκεα μεγάλα γίνεται ἐξ αὐτέων o), ſubjectis ſtatim verbis innuit, ea quæ ſecedunt, αἱματώδεα eſſe καὶ ἰώδεα, cruenta & æruginoſa. Quemadmodum etiam ſcriptores noſtri de diviſo dictorum malorum contubernio agunt, ita noſter, ubi in morbis magnorum lienum οὖλα πονηρὰ καὶ στόματα δυσώδεα eſſe pronunciavit, tum vero, ſi hæc non adſint, nec ſanguinis eruptiones fiant, αἱ κνῆμαι inquit ἕλκεα πονηρὰ ἔχουσι καὶ οὐλὰς μέλαινας p). Quæ res eximie licet conveniens morbis, qui in varia loca decumbere ſoliti, ſi a quibusdam excluduntur, reliqua mulctant gravius, occaſionem tamen dedit J. Wiero q) ut Hippocratem, ideo, quia divelleret, quæ in perpetuo nexu eſſent, adfine potius malum quam ſcorbutum dictis locis deſcripſiſſe judicaret. Nos cum B. Ronſſeo r) aliisque hodierni etiam ævi ſcorbuticos nunc toto dictorum ſymptomatum nunc diviſo agmine infeſtari adſeveramus, nec aliam niſi hanc Hippocrati mentem fuiſſe. Ipſum nomen

n) De affect. int. §. 34. Ed. Lind. T. II. p. 239.

o) Ib. §. 35. p. 239. & 240.

p) Prædict. II. §. 43. Ed. Lind. T. I. p. 518. Quæ C. Celſus L. 2. C. 1. totidem fere verbis repetit: quibus magni lienes ſunt, his gingivæ malæ, & os olet, aut ſanguis aliqua ex parte prorumpit, quorum ſi nihil evenit, neceſſe eſt, in cruribus ulcera & ex his cicatrices nigræ fiant.

q) Obſ. rar. L. I.

r) De ſcorbut. in Ep. ad C. Heyde p. m. 47.

nomen magnorum lienum concinnius forte eſt quam vox nova ſcorbuti, cum doctior ſit a ſede mali quam ſymptomate quodam adpellatio. An conſtans illa ſedes ſit, non diſputabimus, ſufficit frequentem eſſe & ex plerorumque recentiorum obſervatis viſcera maxime abdominis & inter hæc crebro lienem adflictum reperiri *s*). Docet Paul. Aegineta *t*), nec ſuo ævo illam de liene querelam conticuiſſe, cum & ipſe iis, quibus lien induratur, os ait graveolens fieri, gingivas corrodi, ulcera in cruribus cicatricem haud admittentia excitari. Nec aliter Avicenna *u*), cum duritie ſplenis, inquit, multiplicantur ulcera crurum & corroduntur dentes ac gingivæ. Fuſius C. Aurelianus *x*), poſtquam lienoſis oris fætorem, gingivarum putrefactionem & defluxionem tribuit, addit ſecundum principes ſectarum tenuari etiam cutem ventris, & venas nigras adparere atque craſſiores, & in cruribus ulcera, difficile in cicatricem vel indecenter venientia. Pulchre hujus doctrinæ memor Trajanus fiſcum cum liene comparavit, nempe ut hoc intumeſcente reliquum corpus, ſic illo creſcente populum tabeſcere. Et ſane craſſior acriorque victus, cujus uſus diuturnior naves & caſtra implet ſcorbuticis, cum lentum ſanguinem & immeabilem pariat, maxime circa hypochondria, ubi minus eſt in motu vitali præſidii, hærentem & diſtendentem, intellectu

s) Muſcoſa certe & ſpongioſa textura lienis, ſtaſi & infarctibus tam obnoxia, frequens omnino faber eſt cachexiæ ſcorbuticæ. H. Conringius in diſp. de ſcorb. §. 18. certiſſimum eſt, inquit, pleriſque ſcorbuticis magnos lienes eſſe. Conf. H. Brucæus de ſcorb. th. 11. I. Wierus rar. obſ. L. 1. ab initio Gr. Horſtius op. med. T. 2. L. 7. §. 367. Isbr. Diemerbrock ad magnitudinem capitis lienem 1647. vidit, Gerh. Blaſius O. 14. in femina ait totum hypogaſtrium occupaſſe. Cabrolius librarum quinque, Columbus ultra viginti reperit. Conf. A. Veſal. L. 5. de fabr. C. H. L. 5. c. 9. M. Donat. hiſt. med. mir. L. 6. c. 3. I. R. Fortis Cent. 3. O. 45, 46. At illi magni lienes etiam in non ſcorbuticis deprehenſi ſunt aliquando.

t) L. 3. C. 49.

u) L. 3. fen. 3. tract. 3. c. 5.

x) Morb. chron. L. 3. C. 4. Subjecta I. C. Ammanni notula hæc vocat cachexiæ ſcorbuticæ ſymptomata.

tellectu difficile non videtur, meabilius his locis excluſum non modo ad ſalivæ fontes redundare, ſed & ad illas inprimis lymphæ vias, quæ ob difficilem in corpore languente adſcenſum facile tument, ſpeciatim ad crura, reſtagnare, ibidemque nunc maculas & ulcera, nunc impotentiam motus & paralyſin gignere. Qui in Aeno, ut refert Galenus *y*) leguminibus veſcebantur, cruribus facillabant, qui erua edebant, genuum dolore infeſtabantur, ſeu quæ ipſa ejus verba ſunt, *ὀσπριοφάγοντες σκελέαν ἀκραγέες ἐγένοντο, ὀροφάγοντες γουναλγέες.* Sapienter certe Hippocrates ad claſſem craſſiorum atrorumque morborum noſtrum retulit, & ſic iis etiam ſatisfecit, qui id non ferunt, lienem præ ceteris viſceribus coargui, imo uſtionem ejus ſuaderi. His fortaſſis promtius erit in ileo hæmatite, in quo lienis nulla mentio fit, nec remedia niſi noſtris etiam ſcorbuticis ſalubria, ut lac aſininum cum melle, vel bubulum cum tertia parte aquæ mulſæ, vel ſuccum betarum aliaque ſolventia & humectantia ſuadentur, veriorem ſcorbuti formam adgnoſcere. Neque in nomine hoc eſt, quod offendat, cum ileus colicos aliosque ventris dolores *z*) ex veterum uſu comprehendat, & ſic novo ſcorbuti nomini reſpondeat, hæmatites etiam præcipuum ſcorbuti ſymptoma, quo friabilia vaſa ſanguinem in multis locis fundunt, apte exprimere videatur. Ita vero Cous præmiſſa *εἰλεοῦ ψυχροῦ καὶ ἰκτερώδους* hiſtoria *εἰλεὸν αἱματίτην* deſcribit: *ἐκ τοῦ στόματος κακὸν ὄζει, ἀπὸ τῶν ὀδόντων καὶ τὰ οὖλα ἀφίσταται, καὶ ἀπὸ τῶν ῥινῶν αἷμα ῥέει, ἐνιότε δὲ καὶ ἐκ τῶν σκελέων ἕλκεα ἐκφυνδάνει, καὶ τὰ μὲν ὑγιαίνεται, τὰ δὲ ἄλλα προσγίνεται, καὶ ἡ χροιὴ μέλαινα καὶ λεπτόδερμος* *a*). Quibus verbis non ſolum oris dentium, gingivarum, crurum, coloris cutisque vitia recenſet, ſed & memorabile illud ſymptoma, hæmorrha-

y) In L. II. de nat. hum.

z) v. Linden ſel. med. E. 8. p. 250. ubi tempore Hippocratis & ante ævum Tiberii ſub ileo colicam comprehenſam eſſe ait. Ipſe Hipp. toto ventre & hypochondriis ilei dolores circumſcribit. L. 3. de affect. Hac clave cognita inquit G. W. Wedelius l. c. D. 4. E. 4. mirandum non eſt, ſub volvulo ſanguineo notionem ſcorbuti occurrere.

a) De int. affection. §. 49. Ed. Lind. I. II. p. 256.

morrhagias, ſpeciatim narium, imo & laſſitudinem corporibus ſcorbuticis a primo ortu propriam, modo rite ſubſequentia verba interpretemur: *περιφοιτῆν δὲ καὶ ταλαιπωρέειν* (*οὐ*) *πρόθυμος*, æger ad ambulandum & laborandum (minime) promtus. Haud enim, ut adpareat, omiſſam eſſe in textu voculam *οὐ*, lynceis Foeſii, Dodonæi, Reusneri aliorumque oculis opus erat, ſed luſci etiam homines abunde perſpexerint, nullum vehementiorem morbum ægros ad ambulandum laborandumque promtos reddere, nedum illum, in quo crura ulceroſa ſunt & male adfecta. Res penitius patebit, ſi priores ilei ſpecies, cum quibus hanc noſtram reliqua ſymptomata communia habere ait dictator noſter, ponderantes in hæc verba incidimus: *τὰ σκελέα βαρέα αὐτοῦ, καὶ ἢν περιφοιτήσι, τρέμει, καὶ ἢν πρὸς ἦπος βαδίζει, πνευστιᾷ σφόδρα* *b*). Quidquid igitur B. Ronſſeus & S. Alberti objiciunt hoc loco Jo. Langio *παλαιοφίλῳ*, nullius momenti eſt *c*), fortaſſis illud majoris, quod credibile non ſit, ſub tam diverſis nominibus ejusdem morbi ideam Hippocratem tradidiſſe. Paucis hic reſpondeo, ſub magnis lienibus ſcorbutum ut primarium malum, ſub ileo hæmatite ut effectum alterius morbi, nempe laborantium inteſtinorum, deſcribi. Quando nimirum accidit, *τὰς τῶν ἐντέρων ἕλικας εἰλεῖσθαι*, quæ nativa magis nominis ratio eſt, & ſic convolutas inteſtinorum tunicas contenta remorari, in quo ſtatu tradita hoc loco clyſmata, & alia quæ blanda catharſi liberant, merito laudantur, fieri poteſt creſcente morbo ex ipſius Galeni *d*) judicio, ut tum hepar tum lien in conſenſum trahatur, atque viſcerum horum noxa in corpore diſpoſito recenſita pariat ſcorbuticorum ſymptomata. Nolim hic ad alia, ut oſcedinem Marcelli *e*), ſtomacacen & ſcelotyrben Plinii

b) Ib. §. 47. p. 254.

c) I. Langius ep. 14. l. 2. defendit, ſcorbutum eſſe ileon hæmatiten. Repugnat H. Reusnerus de ſcorb. c. 4. & S. Alberti hiſt. ſcorb. th. 169. favet Langio G. Horſtius in Op. med. l. 2. l. 7. T. 7.

d) Comment. 2. in l. 3. Epid.

e) De re med. c. II. Severo etiam oſcedo ulcus oris notat, alio ſenſu A. Gellius ſumſit.

Plinii *f*) & Strabonis *g*), vel ſtragem illam Athenienſium apud Lucretium *h*) delabi, cum Hippocraticis tantum oraculis a Langio, Ronſſeo, Horſtio aliisque excuſſis aliquantulum adhuc immorandi animus mihi fuerit.

f) Hiſt. Nat. L. 25. c. 3. Venuſte F. Taubmannus edito S. Alberti de hac materia libro luſit nomine Germanici:

Tunc tuus in lucem ſcorbutus debuit edi,
Cum meus ad Rheni flumina miles erat.
In Latium poterat dentatior ille reverti,
Et minus enervis cruribus ire domum.

g) L. 16. Geogr. p. 781. Conf. Vitruv. L. 8. C. 3.

h) L. IV.

PROLUSIO
QUA
ASSUETUDO VENENA FERENDI IN DRIMYPHAGIS EXPENDITUR.

PANEGYRI
JO. HENR. ENGENHAGEN.
D. 6. JUN. cIↃIↃCCXLIV.
PRAEMISSA.

Ambiguum eſt & inſtabile, quod alimenti vulgo vel medicamenti vel veneni nomine deſignatur, cum eadem res, quæ alit, lædat alios, quosdam etiam perimat. Nunquam illa licebit juſto limite diſcernere, niſi utriusque actionis, tum ab ingeſtis, tum a corpore noſtro pendentis, potiora momenta oculis noſtris ex æquo obſerventur. Vocamus autem, quæ adſumta a viribus corporis in alimoniam ſuam rejectis ſcybalis mutantur, alimenta, quæ partim mutantur a corpore, partim illud ſalutariter mutant, medicamenta, quæ mutant tantum ipſa immutabilia, & peregrinis ſuis dotibus vel ſubito vel lente deſtruunt, venena. Nemo non videt, fluctuantis judicii certam normam figi non poſſe, niſi qua virtute mutet corpus, qua e contrario reſiſtant ingeſta, probe cognoſcatur. Nullas hic judicii ſalebras laudo, cum ſufficiens boni alimenti index ſit conſtantia functionum in ſanis, medicamenti, inſtauratio in ægris, veneni, deſtructio in utrisque. Tutum tamen non eſt, factis in proprio corpore experimentis ita ingeſtorum in viribus ſuis diſcrimina diſcere, hinc merito plerique in eorum uſu ſubſiſtunt, quæ tot ſeculorum obſervatio ut innoxia & tuen-

dæ

dæ valetudini opportuna ſtabilivit. Quamvis enim in his ipſis certa ab omni errore immunitas non ſit, & creſcens gulæ luxus in eorum, quæ cibi potusque numeros augent, examen haud provide ſemper deſcendat; ipſa tamen natura contra plerosque errores vigilat, utpote qua nullas in medicamentis & venenis illecebras, nullam ſaporis gratiam poſuit. Neque in eo naturæ vigilantia minor eſt, quod admiſſam hic intempeſtive noxam per venas diffundi maturare prohibeat, & quidquid nocentioris genii ventriculum ſubit, partim adfuſa ex infinitis ſcaturiginibus lympha protinus debilitet, partim nato ad vomitum ſtimulo quaſi in limine expellat. Verum animus hic eſt ambiguitatem illam, qua adſumta, nunc ad alendum ſanandumque corpus, nunc ad lædendum deſtruendumque tendunt, adeoque ex alimentis nonnunquam medicamenta vel venena, ex his alimenta evadunt, acrium exemplo in *δριμυφαγοις* illuſtrare, inprimis adſuetudinem illam venena ferendi non nihil ponderare. Acria nempe totius corporis œconomiæ, quæ blandiſſimorum humorum placidum & æquabilem per vaſa circuitum poſtulat, & quidquid ad internum viſcerum focum rapitur, ex legibus fabricæ noſtræ ſubactum globulorum forma diſtribuit, ita plerumque repugnant, ut ſi vitali motu nequeant anguli eorum atteri, vel tota definitis viis eliminari, interdum quidem medicinam corpori glutine oppleto & admotum languentiori ſtimulis ſuis præbeant, at ſæpius longe corpus calidum biliosum agile lædant, quin & veneni inſtar corrumpant. Hoc ajo, in tribus quaſi caſtris & dubia fide acria militare, nunc enim inter condimenta ciborum alimoniam adjuvare, nunc cardiacorum vel ſimili titulo corpus ægrotum inſtaurare, nunc ſanum & ægrotum vehementiori actione in funeſtos morbos præcipitare. Neque id ſemper a diverſo acrimoniæ & quantitatis gradu pendet, ſed non raro ſub eodem gradu virtutem nunc ſalubrem nunc deletricem ſola prædiſpoſiti corporis ratio dirigit, vincentis injurias illas vel ſuccumbentis. Merito autem in omni drimyphagia, quam eſum ſalſorum ad Græcorum mentem interpretatur Cel. Aurelianus, *a*) unice ad ſalia, in formam iſtam glo-

a) Morb. chron. L. I. C. I. p. m. 277.

globulorum, qua humores noſtri gaudent, redegi inepta, & per miſcelam cum partibus oleoſis tenacius intra vaſorum meatus hærentia, per metallicarum vero partium connubium infeſtiori molæ incumbentia, adeoque ſummorum venenorum claſſes ſtimulis ſuis in noxam vel perniciem corporis armantia reſpicimus. Nihil in ſucco, qui viperarum morſu ſanguini immixtus necat, niſi ſalia in limpido vehiculo oberrantia & in cryſtallos tenues acutas rigidas coëuntia armatus oculus animadvertit. *b*) Araneus ad cujus ſpeciem Apulus ille araneus Tarantula pertinet, prope os eminente & pungente forcipe exſtillat ſimilem ſuccum auctore A. Leeuwenhœckio, vel ex tenui potius proboſcide effundit in locum puncturæ judice Rich. Mead. *c*) Ex ſtimulo ſcorpionum exſiliens guttula, æſtate penetrantior, vim ſuam non aliunde habet, luculentius vero apum ſtimulo exundans liquidum uberi copia ſalium ſeſe motitantium ferit ſub microſcopio oculos, notante præ ceteris R. Hookio, *d*) qui ſimilem in plantis aliquando fabricam deprehendit, & ex aculeis urticæ ſuccum urentem effundi docuit. In mineralibus quidquid veneni eſt, ſalibus æque debetur, quæ in mercurio ſublimato a pondere ſociatorum ſibi corpuſculorum mercurialium ingens actionis ſuæ momentum adepta violentiſſime corrodunt. Neque in arſenico ſive album vulgare factitium teterrimarum virium, ſive nativum flavum Latinis auripigmentum dictum, ſive rubrum ſandaracham Græcorum conſideres, aliud eſt, quam ſalinarum cum metallicis partibus vinculum, cum puriorem aquam ex ipſo antimonio regulum inde obtineas, *e*) vis vero ſolventis menſtrui aquoſi copiam ſalium evincat, ſulphure tamen, ut odor & facultas ignem alen-

b) Rich. Mead. expoſ. venen. p. m. 9. ubi ſales acidos ſtatuit, quia tincturam heliotropii reddunt cœruleam, licet non æque luculenter ſyrupum violarum.

c) ib. de venen. animat. p. m. 44. 45. de ſententia Leeuwenh. v. Act. Philoſ. Ang. N. 271.

d) Rob. Hook micogr. O. 34. it. 25.

e) Lemery Cours de Chymie P. I. C. 20. Conf. de arſenico R. Mead l. c. 105. ſqq.

alendi docent, ligatorum. Non aliter de vegetabilium plerisque venenis judicamus, quorum tamen virulenta vis in molliori materia latens plerumque lentius occidit, a viribus quoque adſuetorum corporum eluditur. Quæ ut jam propius ſtatui quæſtionis adcommodentur, nihil fere occurrit venenorum, quod non in quibusdam corporibus iners, nihil e contrario eorum, quæ venenis nemo adnumerat, quod non in aliis exitioſum aliquando deprehenſum ſit. Galenum *f*) de cicuta, cur ſturnos alat, homines occidat, argutius diſquirere video, fateri tamen ipſum, nutrire eandem aliquando homines, anui certe Athenienſi ſenſim uſui ejus adſuefactæ in majori etiam copia nihil damni attuliſſe. *g*) Quam copiam ab alia anicula ad drachmas triginta impune devoratam eſſe, Sextus Empiricus apud H. Mercurialem & Marc. Donatus referunt. *h*) At Socratem cui juſtius peperciſſet, ſuſtulit eadem cicuta ex Athenienſium decreto, uti Phædrus Platonis deſcribit, quem ſine lacrymis legere dialogum Scaliger non potuit. Napellus, quo puellam nutritam coëuntes ſecum infeciſſe, ex Rufo Avicenna *i*) narrat, ſine dubio dicta cicuta fuit, quam Arabibus napellum vocari Leonicenus *k*) oſtendit, nec obſcurius ex Averroe *l*) patet, qui pro cicuta, qua ſturnos ali communis ſcriptorum conſenſus tradit, nomen napelli ſubſtituit. Hoc vero vel alio veneno enutriti an venenato deinceps halitu vel ſputo vel coitu perdere alios poſſint, quam artem Mithridati cognitam fuiſſe perſuadere nititur Lud. Cel. Rhodiginus, *m*) & a veneficis hodie

f) Gal. L. 2. de al. fac. C. 6. it. L. 3. C. 6. & 18.
g) Gal. 3. de ſimpl. C. 8.
h) Mercurial. c. 6. de venen. & Marc. Donat L. 6. Med. hiſt. mirab. c. 3.
i) L. 4. fen. 6. Tr. I. c. 2.
k) De Plinii & Medicorum erroribus c. 38.
l) L. 5. Collig, c. 24.
m) L. 2. antiq, c. 13. Qualem feminam valde venuſtam Alexandro M. a quodam Indorum rege oblatam ſcribit *Ariſtoteli* ob ſcintilantes ſerpentum more oculos juſtam de ſe ſuſpicionem moviſſe; ob quam dixerit regi: *cave ab hac, exitium tibi paratur.* Similiter Cambaiæ regis filium veneno educatum ſputo ſolo accedentes interfeciſſe, coitu feminas, & ipſo halitu muſcas v. I. C. Scaliger Exerc. 175. Euſ. Nieremberg. cur. &

die excoli dubiæ fidei auctores pronunciant, ut rem fabuloſæ ſuperſtitionis plenam prætereo; id tantum adjiciens, nocentiſſima in alias formas varia coctione mutari, hinc coturnices, qui helleboro, ſturnos, qui cicuta, gallinas, quæ araneis, capras, quæ aliis venenatis herbis paſcuntur, ſine metu veneficii menſis noſtris inferri, & hic illud Lucretii *n*) valere:

Veratrum eſt acre venenum,
At capris adipes & coturnicibus auget.

Magni vero momenti veritas ex dictis ſequitur, nempe cum venena ſenſim naturæ concilientur, & actioni ejus ſuccumbant, longe facilius medicamenta ſubigi, hinc quod eximium eſt Celſi *o*) conſilium, cavendum eſſe, ne in ſecunda valetudine præſidia adverſæ conſumantur. Si poto, ut Martialis ait, ſæpe veneno *p*) Mithridates effecit, ut vitæ exitum quærens venenis illam exſtinguere nequiret, longe certius ſumti ſæpius pharmaci virtus, quippe debilior longe & mutabilior, hebeſcit ſenſim in corpore noſtro, ac omni ejus fructu excidimus. Hellebori integros manipulos ſine noxa devoraſſe paſtores Thraciæ Theophraſtus *q*) ſcribit,

& occult. philoſ. L. 2. c. 12. Lud. Barthem. Indic. rer. L. I. c. 2. Placet etiam doctoribus, veneficos educatione evadere v. *Mercurial.* L. I. *de morb. venen.* c. 8. Mizald. L. I. *memorabil.* c. 9. Jam crediderat Plinius Hiſt. Nat. L. 28. c. 3. a venenatis ſerpentibus morſos ſemper aliquid veneni retinere, ita, ut eorum præſentia & adſpectus non omnino ſit innoxius. Tales forte fuerint, quibus parcere ſerpentes, vel ſi inviti momorderint, ſtatim a morſu perire, cenſuit *Cardanus L.* 7. *Contr. T.* 2. *contr.* 7. Conjectura ſic nata eſt, non modo venenum, licet alia corpora lædere pergat, in adſucto corpore cicurari, ſed & illud a vi aliena vindicare. Quo fortaſſis fabula ſpectat, veneno peremtorum corda cremari non poſſe, eoqua ſolo argumento cordis non combuſti Germanicum veneno interemtum Vitellius probavit & Piſonem celeris reum peregit. v. *Suet. Calig.* C. I. *Plin.* H. N. L. II. C. 37. At miſſum facimus ſyſtema fabuloſum.

n) de Nat. hum. L. 4.

o) De medic, L. I. C. I. in fine.

p) 5. Epigr. 77.

q) 9. hiſt. plant. c. 18.

bit, & hujus conſuetudinis vitio Eudemum Chium nunquam vomitu & alvi dejectionibus purgari potuiſſe. Patet, quid ſpei ſit in mitioribus purgantibus, ſi draſtica toties adhibita alvi inertiam relinquunt. Qua ratione cum vis evacuantium majori ſtimulo præditorum elangueſcat, quid de medicina alterante expectandum erit? Hic nimirum licuit adſuetis opio ad drachmas imo uncias uti, r) & ipſe amicum & commilitonem Lipſiæ habui, qui omni mane ultra drachmam liquefacti opii hauſit, non niſi ſero ſatis a prava hac conſuetudine retractus. In qua re utplurimum cauſſam, cur talia a quibusdam ferantur, in corporum quorundam idioſyncraſiam rejiciunt. Ita enim ſunt, qui ad roſæ halitus animo vacillant, ad felis odorem tremunt, fuit olim Demophon, qui alſit in ſole, æſtuavit in umbra, fuit, qui ad proprii filii adſpectum angi ac ſudare cœpit, quod aliis viſa muliere contigit. s) Sed quid hæc adferendam vim veneni? Video in exemplis illis, quorum ex parte apud auctores ſit fides, imbecillitatem naturæ ad umbram injuriarum ſenſibilis, & ne umbram quidem. Robur ejus hic poſtulo & conſtantiam inter graviora mala, quam quibus par videtur, victricem. Id vero, inquiunt, in ipſis venenis illis ſubactis elucet, quorum ubivis plura exempla occurrunt. Sic totæ gentes fuerunt, quæ bufonibus vel ſcorpionibus veſcerentur, t) tenelli etiam, qui araneis paſcerentur, u) imo Cardanus x) Pontificem Leonem X. capitis pœna aliquem liberaſſe

r) v. P. Bellon. L. 3. mem. obſ. C. 13. 14. P. Alpin. L. 4. med. Aeg. Garc. ab Horto L. I. C. 4.

s) Qualem Joannem II. Ducem Moſcoviæ fuiſſe meminit H. Kornmann de mirac. viv. De viro ad filii adſpectum anxio ex G. Mylio ſcripſit E. Nieremberg P. II. Cur. phil. L. I. C. 52.

t) De ſcorpionibus, quibus Hydaſpis fluvii accolæ victitent v. *Mercurial.* L. I. de ven. C. 6. de ſerpentibus in cuba inſula Bemb. hiſt. Venet. L. 6. de bufonibus in India occidentali v. hiſt. navig. Braſil. Lerii & de Lybiæ deſertæ regione Buteri Rel.

u) De tenero puero *Arnald in ſpec.* C. 77. de puella trimula *Cardanus* & de cive ſuo Sennertus L. 6. P. 5. C. I. teſtantur,

x) L. II. Contrad T. 2. C. 7.

raſſe ſcribit, qui arſenici unciam ſine noxa devoraverit, nullis alexipharmacis præmunitus. Talia quamvis magna ex parte largiri & idioſyncraſiam agnoſcere nihil prohibeat, hanc tamen velim, ne vacuum nomen videatur, in viribus ſuis lædendi juvandique nonnihil adumbrari. Certam eſſe ſolidorum & fluidorum in ſingulis corporibus temperiem, aliter ſe vaſa inter ſe, aliter fluida, aliter utraque ad ſe mutuo habere, verum quidem eſt & mutationum forte ſecretionumque in corporibus diſcrepantium fundamentum, at remotior illa lux eſt, quam ut particulares veritates illuſtret. Ego quidem multum in eo momenti ſitum eſſe intelligo, ut pateat, quibus viis ea corpus noſtrum ſubeant, de quorum ancipiti virtute ſermo eſt. Illa animalium e. c. viperarum venena non niſi per vulnuſcula ſanguini mixta necare conſtat, in ventrem copioſe ingeſta nihil fere parere turbarum. y) At ſenſu hoc lac etiam venenum erit, quod venis infuſum ſuo ſtatim coagulo in corde & pulmonibus ſuffocat, quo tamen per primas vias ad ſanguinis laticem permeante poſt leviſſimæ mutationis ſpeciem nihil exiſtit mitius. Sic nempe peregrinam noxam abluunt liquida inquilina, adſumtis in ventriculo & inteſtinis adfuſa, & primum animalitatis ſignum imprimunt, ſub quo tutior ſit ad interiora progreſſus. Nec alio fortaſſis ſenſu in morbis contagioſis & peſtilentialibus prava miaſmata cum funeſto effectu intrant, quam quod vitalibus ſtatim ſuccis ſine illis præparationis & correctionis adminiculis miſceantur. A quibus tamen ipſis perrennis noxa non eſt, cum corporis ſalubriter perſpirantis ratio non ſit in ea expellenda, quam admittenda ſegnior, ne de ipſo dicam humorum genio, ſuſceptam noxam nunc figente magis & implicante, nunc diſpergente & exaltante, nunc etiam in-

y) Dum ſanguis morſu viventis vel occiſæ viperæ vel ſolo ejus ſucco inficitur. Hinc ut olim Scythæ, hodie Tartari viperina ſanieſcum humano ſanguine mixta ſagittas tingunt. Jam *Celſus* L. 5. C. 17. venenum ſerpentis dixit non guſtu nocere ſed vulnere, ideo ſuctum commendat, ſed ore haud ulceroſo. Sic quoque Lucanus pharſ. L. 9.
morſu virus habent, & fatum dente minantur,
pocula morte carent,

infringente & eluente potius. Præter tenuiora illa cum nihil ſit, quin per primas vias ad viſcera tendat, in nullo etiam loco quam illo corporis veſtibulo Natura occupatior eſt ad novum hoſpitem, antequam coloni juribus potiatur, luſtrandum & peregrinis dotibus exuendum, vel in emendabilem ejiciendum. Ipſa nocens illa acrimonia aditum ſibi ad interiora præcludit, dum ora lacteorum ſtimulo ſuo contrahit, fibrasque ad expellendum excitat, fontes autem lymphæ ad perluendum: ne de ſalutari illo glutine dicam, quod latera partium ab omni rudiori attactu defendit. Certe quo plus hujus glutinis primas vias obſidet, quo uberior lympha ſcaturit, acrimoniæ vires diſpergens, & quo magis fibræ crebro acrium attactu occalleſcunt & majorem irritationis gradum impune ferunt, imo menſtrua ab ingeſtis analoga ſenſim virtute, quæ iis ſubigendis magis inſerviat, imbuuntur, eo plus in tali corpore virium eſt venenis reſiſtentium, quod tamen ad rigidiora illa metallica extendere vix auſim,

PROLUSIO
DE
PHTHISI SINE ULCERE
PANEGYRI
JO. LUDOV. REICHMANNI
d. 20. MENS. AUG. 1744.
PRAEMISSA.

Phthiſi duos fere trientes eorum, quos morbi chronici iugulant, interire Th. Sydenham *a*) cenſuit, haud ineptus hujus calculi in tanta urbe æſtimator. Vix inter tot funera ſævire morbus poteſt, ſi in eorum judicio adquieſcendum eſt, qui in nullo alio viſcere quam pulmone eundem quærunt, neque ex alio fonte quam purulento derivant. Nos quidem frequentem ejus ſedem in pulmone adgnoſcimus, nec raram ex ulcere originem, opus tamen non eſt, ut illa tabeſcentis corporis injuria, quæ nutrimentum ex vario fonte vitiatum ſupponit, vel ſemper proxime pulmonem adfligat, vel nulla alia tabe quam adſperſi puris nutritios humores contaminet. Poteſt illa voce omnis corporis diminutio & colliquatio, vel ut auctor definitionum medicarum ex antiquitatis judicio phthiſin deſcribit, *πᾶσα σώματος μέιωσίς τε καὶ σύντηξις* non incommode comprehendi. Certe *φθίνειν* aliud non eſt quam minui, extenuari, conſumi, quo nativo ſenſu apud Euſtachium diei a medio cœli axe ad occaſum vergenti, &

a) In diſſert. epiſt. ad Wilh. Cole, qua de variolis conſ. & paſſione hyſterica agit. p. m. 257.

& apud Ariſtotelem decreſcenti lunæ tribuitur *b*). Neque ulla ratio movet, cur aliquam in uſu medico vocis tyrannidem arguamus, cum *νοῦσοι φθεινάδες* vel etiam *φθινώδεες* de quavis diminutione exhauſti corporis non uno apud Hippocratem loco intelligi debeant. Quæ apud eundem occurrunt *φθίσις ἰσχιαδικὴ*, *φθίσις νωτιὰς* vel *ἡ ὄπισθεν φθίσις*, *φθίσις* ſ. *μείωσις τῆς κόρης*, ut & *φθινώδεες ὀφθαλμίαι* *c*), haud facilem ulceris, unde tabes illa emergat, ſuſpicionem relinquunt. Ad quam normam Rich. Morton *d*), poſtquam præmonuit, ita de conſumtione corporis ab ulcere pulmonum vulgo diſſeri, quaſi nulla alia ſit phthiſis, multas longa ſerie phthiſes recenſet, ut ſcorbuticam, ſcrophulariam, icteritiam, aſthmaticam, melancholicam aliaſue, quarum non nimis conſtans cum ulcere commercium eſt. Galeno in contrarium eunti tantum ſemper adſeclarum fuiſſe, ut ſcribentium fere omnium calculo illa de phtiſi tanquam pulmonum ulcere ſententia invaluerit, indignari video M. Aurel Seuerinum *e*). Ego autem monſtrabo, inquit, citra exulcerationem exſtare, cum pulmo tantum, quem mucor pituitoſus & ſemiputris adluit, inſtar folii longo lentoris immaceratu flacceſcat. Cujus doctrinæ veſtigia jam

b) Hiſt. animal. L. 7. C. 2. *περὶ φθίνοντας τῆς μῆνας*. Sic apud Plutarchum in conſ. ad Apoll. *αὔξεσθαι καὶ φθίνειν* ſibi opponuntur, quod etiam ex Hippocratica illa ſententia adparet: *σπλὴν θάλλει, σῶμα φθίνει*. Cui tam proprio vocis ſenſui vim infert Th. Bartholinus, qui obſervationi ſuæ inferius indicandæ titulum facit de phthiſi ſine emaciatione. v. Not. q.

c) v. Coacar. prænot. I. 208. de morb. II, 49. Aph. 6. L. 3. &c. Galenus ipſe in L. I. Epid. *φθίνει* exponit per *ἀτροφεῖ*, *συντήκεται* &c. Neque triplex cauſſa, quam de phthiſi Hippocrates tradit, aliud perſuadet. Prima ei eſt *φλέγματος ἐν τῇ κεφαλῇ ῥεῦμα ἐπὶ τὸν πλεύμονα* de affect. int. XI. Ed. Lind. T. II. p. 208. Altera eſt *ἀπὸ ταλαιπωρίης*, tertia, ſi *ὁ μυελὸς ὁ νωτιαῖος φθίνει*, vel idem fit *ἀπὸ τῶν κοίλων φλεβῶν* ib. p. 210.

d) Phthiſiol. L. II. ab initio p. m. 35. diviſiones illas Tractat L. III. c. 1. 2. 3. 4. 13 &c.

e) De abſceſſ. S. 2. C. 36. p. 269.

jam ante legit Hieron. Fracaſtorius *f*), & proprie ſatis phthiſin adpellari docuit, ſi pulmonem corrupta pituita obſidet, ut ſi non ulceratus, certe flaccidus mollisque in mucorem tendat. In qua re ut ſua uterque experientia nititur, ita etiam Hier. Mercurialis *g*) flacceſcere aliquando pulmonem ait ad conſummatam phthiſin ſine ulcere & hæmoptyſi. Preſſius Th. Williſius *h*) vulgarem errorem inſectans in apertis plurimis phthiſi defunctorum cadaveribus immunes ab ulcere pulmones, licet alio ſubinde infarctu materiæ calculoſæ vel ſabuloſæ obſeſſos, reperit. Qualem ex arenulis lapidibusque infarctum etiam Reiner. Solenander *i*), Jo Wierus *k*), Jo. Kentmannus *l*) aliique teſtantur, ubi ſæpe nullum ulceris veſtigium exſtitit, conſueta tamen ſymptomata phthiſin adeſſe facile perſuaſerunt. Guil. Fabr. Hildanus *m*) pulmones tantum lividos & pituita refertos, Th. Bartholinus *n*) exſangues, ſiccos, conſtrictos & coſtis adhærentes, Jo. Heurnius *o*) tuberculis, quos humor viſcidus crudusque inſedit, plenos in phthiſicorum anatome deprehenderunt. His prope omnibus potior mihi eſt obſcuriſſimi ſcriptoris at in explorandis tabidorum morbis perſpicaciſſimi

f) De morb. contag. c. 9. Confer Deſ. Iacot. ad A. 13. S. 2. Coacar. Hipp.
g) T. 2. Conſ. 43.
h) Pharmac. rational. P. II. S. I. C. V. VI.
i) Conſil. medic. S. 5. c. 16.
k) De præſtig. dæmon. L. 3. C. 2. ex fide collegæ.
l) De calculorum in corpore humano generibus XII. cum hiſt.
m) Op. p. 914.
n) Hiſt. anat. 76. L. 2. Conf. Theoph. Boneti ſepulchr. L. II. O. 78. de tabidi cujusdam pulmone, nativi coloris, at ſanguine & humoribus deſtituti & undique cohærentis, cordis etiam exſucci & partium abdominalium penitus fere arefactarum Jo. Jac. Wepferus O. 104. p. 444. ait ſe nolle negare phthiſis a marcore & ariditate pulmonum ortum, ſed hanc D. Raoltum vocaſſe phthiſin notam ſcribit p. 437.
o) Obſ. hiſt. 21. in fine operum Fernelii. Bonetus in ſepulchr. L. II. S. 7. O. 24. ſcribit, Chabotum 1647. febre lenta, tuſſi & oppreſſo pectore occubuiſſe, cujus pulmo lutulenti humoris uncias octoginta comprehenderit, citra exulcerationis notam. In obſ. 47. l. c. notat, Chaboti filium de l'Isle ſtrigoſum & tuſſi ac lenta febre 1675. enectum pulmones pariter flatu & lutulento humore plenos habuiſſe, verum ſine ulcere.

mi Chriſtoph. Benneti *p*) auctoritas, qui in ſtrigoſo emaciatoque corpore, ſanguinem & dulce ſputum diu extuſſiente, atoniam tantum aliquam pulmonum vidit, & univerſa ſpirabilia cum viſceribus naturalibus quoad ſenſum ſana. Quæ ſingula conſumtionum cauſſas in pulmone quidem potiſſimum, at ſæpe ſine ulcere naſci evincunt, cum e contrario exempla vere ulceroſi pulmonis ſine ulla conſumtione corporis occurrant. Singulare illud eſt apud Th. Bartholinum *q*) de juvene ſex & viginti annorum, qui tam purulenta exſpuit, ut adſtantes fœtor eorum abigeret. Is tamen, licet vehementi præterea tuſſi & mixto puri periodice ſanguine, lentaque febre a paſtu ingraveſcente vexatus, indies nihilominus carnoſior evaſit & vegetior, veſtesque ob augmentum corporis brevi arctiores ſenſit. Similem fere Alh. Herm. Cummius *r*) matronam vidit, quæ ſingulis menſibus ad tres ſæpe libras puris fœtidi ejiciens nihil ſuæ formæ ſui vigoris perdidit, menſium vero parcius fluentium vitium rejecto illo menſtruo pure inſons reddidit. Huc ſpectaſſe Hippocratem, dum de iis agit, qui purulenta ſine febre exſpuunt, exinde patet, quod iis hoc ſputum familiare eſſe doceat, qui congeſti ſanguinis copiam ſtatis temporibus per alias vias, repurgando corpori opportuniores, non excludunt. Agunt quoque cum aliis de ſputo purulento ſine phthiſi Raym. Jo. Fortis *ſ*) & Paul. Barbette *t*). Errant hinc eo magis, qui ſputa purulenta ſignum in phthiſi pathognomonicum putant, cum ſæpe in magno pulmonum & conſumente ulcere nec dolor nec tuſſis, nec ſputum ſanguinis nec puris animadvertatur, teſtibus inter alios Nic. Maſſa *u*), Jo. Rhodio *x*), Jac. Hollerio *y*), Henr. Ruſio *z*), & Jo. Argenterio.

p) Theatr. tabidor. Exerc. 23.
q) Hiſt. anat. 14. Cent. II.
r) Ephem. Nat. Cur. D. I. A. I. O. 94. p. 223.
ſ) Conſult. & reſp. medic. C. II. Conſ. 37. & 38.
t) Prax. L. II. c. II.
u) in introduct. anat. fol. 57.
x) Cent. II. O. 8.
y) in libell. propr. Obſ. O. 16.
z) Obſ. 3. ad. River.

rio *a*). Quemadmodum ex ante dictis id elicere promptum eſt, vacillare ſententiam vel ruere, quæ marcorem corporis ab ulcere interno conſtantius & expeditius fieri ſtatuit, ita nec illud penitus concedendum eſt, ſolos phthiſicorum pulmones laborare. Parum tamen abeſt, quin adverſarios hic juſto indulgentiores eſſe cenſeam. Plerique enim ex aliis pariter viſceribus adfectis pus corruptum introrſum rapi, craſinque humorum alentium invertere & ita phthiſin parere *b*), haud multum obluctantur. Quamobrem adverſus illos non jam id urgeo, easdem conſumtionum cauſſas, quas præter ulcera in pulmonibus adſtruximus, in aliis etiam partibus adgnoſci debere, imo & luculenter oſtendi poſſe *c*), ſed tantum hoc moneo, quæcunque cauſſa conſumtionum ſit, pulmonem aliquando inſontem ſed rariſſime deprehendi *d*), nec noxam facile in aliis locis natam, niſi pulmonem prius inquinet, exitialem fieri. Quo nomine non multum a vero aberrat Fr. Syl-

a) Comment. III. in art. parv. Galeni.

b) Sic phthiſes natas ex ulcere gutturis notat Joſ. Lanzonus Op. T. III. A. 5. p. 447. ex ulcere arteriæ aſperæ Dan. Ludovici in Boneti medic. ſept. T. I. ex triplici ulcere cordis J. Fernelius pathol. L. 5. C. 12. ex abſceſſu meſenterii & meſocoli Raim. Jo. Fortis Conſult. & reſp. med. Cent. III. Obſ. 37. ex iecore Greg. Horſtius L. 4. Obſ. 47. ex apoſtemate colli Sim. Schultzius Eph. Nat. Cur. Dec. I. A. 6. & 7. O. 163. p. 228. ex ulcere tibiarum Ch. Gottl. Reusner Eph. Nat. Cur. Cent. V. O. 12. p. 27. &c.

c) Hic crebras phthiſes a viſceribus abdominis obſtructis & induratis ortum traxiſſe ſcribit Frid. Hoffmannus in ſchol. 3. O. 21. C. III. Poter. Alias a calloſo pericardio Zacut. Luſit. prax. admir. L. II. Obſ. 137. a meſenterio lapidoſo Dom. Panarol. Pentecoſt. V. Obſ. 19. &c.

d) Lindanus quod integros in phthiſicis pulmones reperiſſet aliquando, illa tuſſi rejecta credidit ventriculo deberi. Quem in ventriculo ortum plus defendit Roſ. Lentilius in Eph. Nat. cur. D. III. A. 7. & 8. App. p. 120. Imo Paul. Barbette prax. C. II. th. 2. partem in phthiſi adſectam primariam vocat ventriculum, pancreas & glandulas, & pulmones per conſenſum adfici judicat, vapulans ideo a Deckero, Waldſchmidio & Dolæo. Phthiſin a glandula pyloro adnata deſcribit G. Hier. Welſch. Obſ. 40. Contra Laz. Meyſſonerius medicus Lugdunenſis phthiſin ab vreteribus & renibus deduxit. v. Th. Barthol. hiſt. anat. 35. Cent. 7. Ita nempe plerique obſervationes ſuas particulares, quas amant, juſto latius extendunt, & pro norma Naturæ etiam in reliquis habent.

Sylvius *e*), qui neminem prius phthiſi laborare cenſet, quam ipſe pulmo adficiatur. Pulmo nempe univerſos humores noſtros, antequam ad omnem corporis limitem diffunduntur, primum luſtrat, ac præparat, & per vaſa varie figurata trajicit, fingit, denſat, adſimilat. Cum fabrica ejus quoddam quaſi compendium ſit vaſorum totius corporis, ita in commune partium commodum laborat, ut languente ejus functione ac turbata opus ſtatim ſanguificationis & nutritionis periclitetur, crudorumque hinc morborum ſtatum atrophia, cachexia, phthiſis & tabidorum morborum omnis exercitus indivulſo ut plurimum pede ſequantur. Princeps, qui in hoc viſcere ſuſcipi debet inquilinorum humorum character, ab aliis viſceribus, quæ valere diu, ſi imbecillior pulmo eſt, non poſſunt, nequit æque impertiri, cum e contrario integra pulmonis virtus, requiſitis vitalem undam dotibus imbuens, diu aliorum viſcerum noxam inhibeat, ſæpe etiam vincat. Quod ſi jam pulmo domeſticis vitiis laborat, ſi mollities flaccida & atonia robur ejus fregit, vel ex altera parte conſtrictus ariduſque, vel materia craſſa mucoſa ſcirrhoſa immeabili oppletus nihil fere priſtinarum virium in tranſitu humorum exercet, hos ob perdita beneficia, in ſui mutationem his locis tam neceſſaria, magis magisque ab illa indole, quæ ad ſuſtentandum alendumque corpus requiritur, deflectere, & corpus apto nutrimento deſtitutum fatiſcere & emaciari oportet. Ipſa huc pertinet ab imperitis jactata ſanguiuis fluidioris perfectio, minime naturæ legibus conveniens & in tabem præceps. Conſtantia ſanitatis ut a certa humorum ſpiſſitudine in majoribus vaſis pendet, a quorum impulſu minora vaſa motum ſuum accipiunt, ita ſi illi tenuiores in lateralia cito elabuntur, diffluit

e) Prax. med. append. T. IV. §. 133. Is etſi illum perpetui ulceris errorem non exuit, fatetur tamen in mortuis plerisque parum puris reperiri, ergo ægros non copia puris ſuffocari, ut Galenus docuit. Teſtatur præterea Th. Bartholinus in hiſt. anat. 76. C. II. Sylvium ipſum ao. 1639. oſtendiſſe in phthiſico pulmonis tunicam ad craſſitiem digiti, hepar, lienem, inteſtina arctius inter ſe cohærentia, omentum plane carnoſum fuiſſe, ſine mentione puris.

diffluit exhauſtum corpus & tabeſcit, nec ſanitas ei ſperanda eſt, niſi per reſtitutam legitimam ſanguinis craſſitiem. Agiles illos homines at vitæ momentaneæ videas, inſtar ſolſtitialium herbarum, quæ mane florent, veſperi areſcunt. Illuſtrat non minus aliarum partium vitioſa conditio, ut laxitas excretoriorum vaſorum, qualis in diabete, quomodo etiam, qui vere adeſt, humor nutritius effundi, pulmo areſcere & univerſus marcor corpus corripere poſſit. Verum animus non eſt varias illas cauſſas proſequi, quæ nutrimentum corporis vel in coctione ſua impedientes, vel rite elaboratum corrumpentes, aut temere effundentes in tabem præcipitant, neque ſpeciatim differentias & limites phthiſis expendere quam ſufficit a perpetuo latentis ulceris opprobrio tantillum vindicaſſe.

PRO-

PROLUSIO
EXHIBENS
JUDICIUM DE PHTHISI NERVOSA,
PANEGYRI
MATTH. LUDOV. RUDOLPHI BERCKELMANNI
d. 15. MENS. SEPT. MDCCXLIV.
PRAEMISSA.

Inter partes corporeas, quæ tam arcto mutuæ cognationis vinculo cohærent, & tam mirabili officiorum concentu in totius compagis tutelam connituntur, nulla eſt, quæ vel perpetuo imperet, vel ſerviat unice. Singulæ miniſterium præſtant, ſingulæ ſuis viribus proſunt & alienis fulciuntur. Majorem forte imperii & auctoritatis ſpeciem habent, a quibus plus virium & vigoris in alias partes emanat, ut adeo omne illud imperium nihil ſit, quam potior ſervitutis gloria, & de ceteris bene merendi uberior poteſtas, praeſcriptis tamen naturæ legibus exercenda. Diviſum tale imperium inter arterias & nervos potiſſimum notamus, quibus ut omnis vitalis commeatus quaquaverſum diffunditur, ita propria utrorumque ſalus non ſine mutua ope conſiſtit. Languent nervi, quibus ſecretoria arteriarum actio non proſpicit, languent arteriæ, quæ non novum omni momento motum impulſumque a nervis ſuſcipiunt, adeoque perpetuæ quædam ſunt in illo officiorum circulo tum imperii tum ſervitutis viciſſitudines. De nervorum per diſtributos in corpore plurimos plexus ſtabilito illuſtrius imperio, ut ſolemnis, ad quam

 invito,

invito, diſſertatio ex inſtituto agit; ita in phthiſi nervoſa, quæ corporis labefectato nervorum imperio extabeſcentis ruinas nonnihil illuſtrat, aliquid argumento huic adfine reperire mihi videor. Diſſerui nuper contra Galenicos de phthiſi ſine ulcere, ad illam vero primo fortaſſis loco hæc nervoſa referri poterat, quam Anglis ſuis, imprimis ex Virginia reverſis familiarem Rich. Morton *a*) fuſius deſcribit, & ab everſo nervorum tono ſpirituumque morbido ſtatu haud temere derivat. Diſcrimen ejus a phthiſi vulgari in eo maxime conſpicuum eſt, quod cum hæc febrem lentam, tuſſim, dyſpnœam & in fine plerumque diarrhœam alat in contubernio ſuo, noſtra fere nunquam iſthoc ſtipata comitatu incedat, at proſtratis confeſtim ventriculi & coctionum viribus, corpus imbelle & indivulſum prope a lectulo, crebrisque animi deliquiis obnoxium, a tumente externo habitu œdematoſo ad extremum marcorem deducat *b*). Prodit non obſcure diverſa hæc ſatellitum manus, cujus originis ſit. Nempe univerſa illa ſolidarum partium atonia, coctionum præſidia dejiciens, & ex tumente oppilatione in funeſtam tabem præceps, vitio nervorum ſpirituumque non ſine juſtis rationum momentis tribuitur, idque ex præcedentium cauſſarum examine magis elucet, dum ſtudia intenſiora & protractæ in noctem meditationes, gravia animi pathemata, moeſtitia inprimis & perpetuæ curæ, aër præterea craſſus & nebuloſus parum vitalis pabuli inſpirans, abuſus denique potulentorum ſpirituoſorum & ſimilia id facile in debiliori nervorum ſyſtemate efficiunt, ut exhauriant ſpiritus vel reparari prohibeant, nervosque adficiant durius. Hinc & vulgari deterior hæc phthiſis eſt, cujus primas inſidias niſi nervina, ſtomachica, amara & chalybeata cum juſtis in aëre aprico & ſereno exercitiis antevertant, vel mature arceant, fallax lenitatis ſpecies in ſubitam virium ſtragem deſinit, & medicina corpori jam tumeſcere incipienti, ſerius, quam ut ſalutem ejus reſtaurare

a) Phthiſiol. C. I.

b) Negat ibidem R. Morton, ſe alios vidiſſe ſimili maraſmo confectos, qui æque ac illi ſceleton cute veſtitum referrent.

c) Comp. medic. T. 23. §. 26. n. 10.

ſtaurare poſſit, paratur. Judicium proinde clariſſimi viri Jo. de Gorter non adſequor, quo phthiſin nervoſam facile in veram tranſire metuit, cum prior, licet ſine ulcere, non ſolum vera ſed ſua etiam indole nocentior ſit, nec ad ſtragem corporis iſtarum virium acceſſu indigeat. Multos video a nomine abſtinere, rem tamen ipſam in cachecticorum hiſtoriis ubertim proſequi. At plures ſunt, qui neceſſariam in ſcrutandis his nervorum morbis oculorum & judicii caliginem objicientes omni propemodum doctrinæ, quæ nervos arguit, tanquam vacuis conjecturis nixæ repugnant. Qua autem facile veritate potiri unquam licuiſſet, ſi primæ omnes tenebræ a proſequendo conſilio repuliſſent? Nihil in natura tam obſcurum eſt, quod non ſollicite ſcrutantibus aliquam lucem adfundat, nihil tam implicatum, quod non caute progredientibus filum præbeat. Haud erit a ſcopo alienum, obviam in phthiſi, præſertim nervoſa, maciem ex læſo nervorum officio, a quo tantum momenti in nutritionis negotio pendet, dijudicare. Nutritio, quæ ad conſtantiam vitæ omnem in ſolidis fluidisque jacturam, a perenni humorum per vaſa fluxu attrituque natam reparat, dudum a principibus Anglorum medicis ſucco nervorum vindicata eſt, nec aliarum gentium acutiſſimi viri J. D. Santorinus *d*), M. A. Andriollus *e*), & qui non alii? vim argumentorum ab iis propoſitorum adgnoſcere dubitarunt. Tria in definiendis hujus doctrinæ limitibus ſolertiori cura conjungere video Herm. Bœrhaavium, ſolidioris medicinæ ſtatorem, nempe ſolidorum quidquid eſt in corpore humano, ex nervis conſtare *f*), in his proprie nutricatum fieri *g*), idque ope tenuiſſimi ſeu nervei liquidi *h*). In qua ſententia, quæ ſcrupulorum aliquid in plerisque lectorum animis relinquit, haud illud penitus diffiteri videtur, in cavis omnium vaſorum, majorum minorum-

que,

d) De nutrit. anim. §. 44. ubi nerveum ſuccum univerſale vocat corporis alimentum.

e) in enchirid. pract. med. P. III. p. 105. ait cum ſchola anglorum ſe in hoc conſentire.

f) in inſtit. med. §. 440.

g) ibid. §. 146.

h) ibid. §. 447.

que, ita alimoniam ſuſcipi, ut humor per vas proprium trajectus & continuo motu aliquid ſenſim ramentorum excutiens partes omni dote ſimiles, ex ſinu ſuo depromptas, eodem vitali impetu in locum avulſarum ſubſtituat, figat, firmet. Quamvis enim non ſine aliqua repugnantiæ ſpecie id primum dixeris, in ultimis vaſis ab ultimo liquido nutritionem abſolvi, deinde illud, in omnium vaſorum cavo a contentis liquidis id ipſum operis peragi, haud ægre tamen iſta inter ſe conciliabis, ſi ſolam quidem in minimis vaſculis, at talem ſimul aſtruis, quæ partim in cavo eorum proprio ſeu ſuperficie interna, partim in cavis reliquorum vaſorum, ſeu ſuperficie minimorum externa contingit. Neque hic aliquid ratione alentium fluidorum diſſidii eſt, cum tenuiſſimum liquidum *i*), quod in cavo minimorum vaſculorum alit, ad eundem uſum in cavis majorum vaſorum haud penitus deficiat, quippe ex his in illa ſecretum & ex illis in hæc per congeneres venularum ordines majori parte redundans. Inter quæ ad vitandam vocum ambiguitatem illud tenendum eſt, perſpicaſſimi viri judicio non ſolum nervos concinne nuncupari minimos illos tubulos, qui in cerebro & cerebello ex arteriarum carotidum & vertebralium ramulis ſubtili fabrica deſcendunt, ſed & illos, in quos reliquæ corporis arteriæ poſt longas emergentium ex iis minorum vaſorum ſeries poſtremum terminantur, utrorumque autem fluidum, quippe ob ſummum tenuitatis gradum haud ſenſibile amplius, eximiarum tamen virium, non immerito communi ſpirituum nomine inſigniri. Si illud juxta attendimus, nervos ex medulla oblongata, in quam cerebri & cerebelli medullæ colliguntur, exeuntes & magna parte per totum corpus diſtributos in ſolidarum partium texturam abjectis ſenſim velaminibus ſe altius ubivis immergere, abſonum non eſt, ad ultimam harum propaginum cum ultimis arteriarum finibus nexum,

i) Non enim ſanguis proprie nutrit, nec chylus, nec lac, nec ſerum, ſed quæ ex horum penu emergunt longo gradu tenuiora & elaboratiora, aliquem tamen in illa tenuitate lentorem, qui humoris nutritii character eſt, ſervantia. H. Bœrhaavius l. c. p. 453. materiam ſimplicem inſulſam inodoram vocat, quæ meram levem terram relinquit.

xum, commercium ipſamque continuitatem *k*) concludere, idque omne, quod in majoribus vaſis viſceribusque ſolidum audit, quippe conflatum ex minimis illis, non niſi nervoſi contextus glomerem adpellare. Conſideratio ortus & generationis, qua ex carina ſeu primordio fœtus ſenſim evoluuntur viſcera & artus, eximiam dictis ex Malpighianis experimentis lucem fœnerantur, quæ nec in adultis multum obſcurior cerebrum exhibet mole & incredibili vaſorum copia ac tenuitate quælibet viſcera ſuperans, & tertiam circiter totius ſanguinis partem recipiens, unde maxima & nobiliſſima ſecretione facta *l*) niſi ingentem ſecretorum prodigentiam ſtatuere velis, in his locis, ubi medullares illi tubuli ſpiritibus turgidi evaneſcunt, aliquem per vias ſibi continuas ad communem humorum maſſam a præſtito officio reditum concipere oportet. In qua re etſi provincias partiri, & tenuiſſimi liquidi in minimis tubulis hærentis functiones deſignare ab audacioris ingenii commentis parum abeſt; attamen ut nervos cerebri & cerebelli, licet una faſce decurrant, ad diverſas tamen operas properare, hos motui vitali, illos ſenſui & motui muſculari præeſſe, vel ex ſolo apoplecticorum ſtatu elici poteſt, ita tertia illa nervorum ſpecie ex arteriarum finibus nata opus nutritionis dirigi, non eſt nullius ponderis conjectura *m*). Neceſſe enim cum ſit, vaſa, quæ ex aliis non conſtant, a pe-

k) Abſonum non eſt, inquit Bœrhaavius ad §. 301. inſtit. med. C. H. p. 664. ex cerebro ejusque propaginibus paulatim formari corpus ſolidum, totumque ex nervis fieri.

l) Nolim vero hic cum iis pugnare, qui negata hac ſecretione ut chordas tremulas conſiderant nervos. Hos enim in origine & fine molles, cum flexu e cranio exeuntes & multis ad angulum reflexos locis, ſub ipſis etiam meningibus, quæ pro tutiori progreſſu circumjectæ in loco officii exuuntur, pulpoſam ſuam mollitiem ſervantes repugnare oſcillationi & tremori, fuſius oſtendit honoratiſſ. Collega A. Haller in comment. V. II. p. 593. ad §. 284. inſtit. med. Bœrh. idem l. c. p. 607. ad 615. dubia abunde diluit adverſus ſecretionem exinde nata, quod nervus ligatus non tumeat, ſectus non liquidum effundat, non poros, non cavum exhibeat &c.

m) Adeoque, verba ſunt præceptoris ad §. 302. in comment. Hall. V. II. p. 666. etiam alibi & ubique ſunt in corpore humano nervi non a cerebro

a perenni attritu ſenſim attenuata refici, his refectis cetera vaſa, quippe illorum telæ, vix poſſunt in quadam ſupplementorum indigentia concipi. Id vero exinde conficitur, non tam nervos, quos hoc nomine omnes adgnoſcunt, quam illos, qui ſtylo præceptoris ſic adpellari cœperunt, ultimarum nempe arteriarum propagines communi alendi officio defungi. Qui in nervis proprie ſic dictis ſolam nutritionem poſuerunt, duplex in iis liquidorum genus ſtatuunt, ſpiritus nempe animales, & viſcidius pro vehiculo fluidum, quod avolantes ſpiritus lentore ſuo cohibeat, eodemque ultima ſolida reparet. Nobis pronius videtur, diviſas operas diviſis locis tribuere, & id ipſum, quo nervi e cerebro orti nutriuntur, nervoſis illis ſeu ultimis arteriolis vindicare, idque eo facilius, quod vaſa omnis generis non modo vaginas nervorum inſtruere, ſed & tenuioribus ramis in meditullium penetrare conſtet. His immorari eo animo erſus ſum, ut phthiſis nervoſæ ſedem & noxam probabiliori ſuſpicione attingerem. Eam igitur ex læſis nervis, quos cerebri fabrica eduxit, tanquam ſola vel præcipua cauſſa nolim derivare, cum toto corpore marceſcentes integris ſenſibus ad mortem usque gaudere, & poſt ſummas pulmonum conſumtiones vix manifeſtam in cerebro labem deprehendi, crebra experientia doceat. Scio quidem emplaſtra cephalica a Fr. Gliſſonio *n*), & Th. Williſio *o*) tanquam compertiſſimæ in phthiſicis virtutis laudari, quod vigorem debilioribus nervis inſpirent in peragenda nutritione neceſſarium; ſcio, qua fiducia Hier. Cardanus *p*) viperinam pinguedinem ex præſcripto præparatam ſpinæ dorſi & juncturis phthiſicorum pro ſimili ſcopo inungendam extollat. Verum hæc omnia ut propius agunt & efficacius in nervorum integumenta, ita

bro orti, quorum ſpiritus animalibus ſimillimi nutritionem perficiunt, & nobis naturales dicuntur.

n) De anat. hepatis c. 45, p. m. 413.

o) De anat. cerebri c. 20. p. m. 346.

p) Perſcripſit hoc ſecretum, quo non dudum propalatam eſſe majus adſeverat, ad Joannem Archiepiſcopum S. Andreæ. v. Bald. Angel. de viper. nat & fac. c. 23. p. m. 70. Laudat quoque in hecticis tales innuctiones nuchæ & ſpinæ M. A. Andriellus l. c. p. m. 105.

ita arteriis, quorum ultimi ramuli ad nutriendum intro tendunt, illud potius robur conciliari perſuadeor. Qui ex ligatis compreſſis diſciſſis nervis partes ſubſtratas tabeſcere ajunt, ſimilem vim non negabunt arteriolis, iisdem locis reptantibus, tunc inferri, ipſo quoque arterioſo trunco ligato compreſſo diſciſſo eandem tabem ſubjectarum partium ſequi. Tantum tamen abeſt, ut a cauſſis marceſcentis corporis nervos a cerebro ortos excludam, ut maximum iis vigorem in ſuſtentandis arteriolarum alentium viribus deberi cenſeam. Et quis facile ex labe corruptorum humorum vaſorumque deſtitui ultimas illas arteriolas probo alimento largitur, qui non ſecretionem in cerebro ex ſimili fonte exſpectandam intelligat periclitari, & hinc luculenter patere, cur nervis omnibus in phthiſi nervoſa adflictis tumeat, tabeſcat & cito occumbat corpus? Cum ex ultimis & perfectiſſimis naturæ actionibus nutritio ſit, & ut bene ſe habeat, omnes priores ejus actiones integræ requirantur *q*), obſcurum non eſt, his labefactatis nutritionem & vitam in pari diſcrimine verſari. Si diuturnis morbis hæc naturæ virtus elangueſcit, minus elaboratos & attenuatos humores, tam alere quam ultima adire impotes, in præcedentibus vaſis, maxime debilioribus venoſis, colligi & tumere, vaſa interim ultima novis ſuppetiis deſtituta areſcere, collabi & univerſalem ſenſim marcorem parere neceſſe eſt. Status igitur, qui phthiſin nervoſam producit, everſa coctionum præſidia, atoniam ſolidorum & ſummam humorum cruditatem ſequitur, adeoque in limine fati eſt. Nolim hæc ſpeciatim proſequi, ut in paralyſi, qua partes primum ſubtumidæ mox marceſcunt, in tabe dorſali, ſcorbuto, rhachitide, ſimilibusque malis, quæ aliquas plerumque partes corporis corripiunt, donec adultius malum in funeſtam illam ſine limite ſpeciem marcoris degeneret.

q) H. Boerhaav. Inſtit. med. §. 448.

PROLUSIO
EXHIBENS
VINDICIAS HERMANNI BOERHAAVII ADVERSUS CENSOREM ANGLUM
PANEGYRI
GEORGII CHPH. STARCKII
D. 17. MENS. DEC. 1744.
PRAEMISSA.

Cenſuræ interdum lima, ſi modice & modeſte adhibetur, non atterit eruditorum operas, ſed plus iis novi ſplendoris conciliat. Id tamen ab iniquis & fatuis hujus ævi judiciis raro exſpectes, ubi nullius ingenii tanta caligo & imbecillitas eſt, quin temere ſibi jus adroget, aliorum labores procacius inſectandi. At quamvis vel ultra vel citra ſcopum aberret, quidquid telorum vibrant, non deſunt tamen, qui ſimili animorum morbo laborantes ad futilem illum telorum jactum, tanquam ad magnam & præclaram ſtragem editam, exultant. In qua judiciorum petupantia mirum non eſt, multos, quorum alioqui curta ſuppellex non eſt, a ſcribendi conſilio deterreri, & ancipitem adeo aleam, quæ meritiſſimos viros in diſcrimen exiſtimationis ſuæ adducit, tentare nolle: cum quotidie animadvertant, tam probum nihil eſſe, quod a probro immune ſit, nihil tam ſanctum, cui dentem haud imprimat livor, nihil tam utile, ſub quo latentem anguem virulenti homines haud ſuſpicentur. Tulit ætas noſtra inter medicos

dicos virum immortalem, Hermannum Boerhaavium, cujus in ornanda arte & provehendis ejus limitibus indefeſſam operam & admirabiles ſucceſſus potior medicorum per Europam pars haud ambiguis ſuffragiis extollit. Neque tamen non reperiuntur, qui leves licet armaturæ homines, ruptis omnis modeſtiæ repagulis, tam eximium decus conculcare, nec ſtabili ratione, ſed petulco pede tanta merita obterere conantur. Quinque luſtra, & quod excurrit, elapſa ſunt, cum ego, qui in aliis Germaniæ academiis ſtudiorum cauſſa jam ultra ſexennium exegeram, ad illa Batavi Hippocratis ſubſellia feſtinarem, a quibus etſi non diſceſſi niſi ſumma optimi præceptoris reverentia imbutus, nunquam tamen vel iis ſuccenſui, qui in diverſas abire partes e re ſua exiſtimarunt, vel mihi negavi veniam, potiora, ſi forte occurrerent, amplectendi. Quis enim in varietate illa dogmatum medicorum, ſolo interdum majoris probabilitatis gradu diſcrepantium, ſuo ſingulos genio frui, ſua ratione convinci, & ſervitutis ſpeciem, ſi unius magiſtri veſtigia preſſerint, fugere prohibeat? Haud diſſenſum ab exploratæ doctrinæ & probitatis viris coarguo, ſed diſſenſum inter convitia, turbidis & inquietis familiarem, quibus ut canibus inſitum eſt, ſine cauſſa, ſine diſcrimine latrare. Horum ſupercilium vix ferendum eſſe exiſtimo, qui a tanto faſtigio tam remoti tribunal protinus erigunt, & vix primis labris deguſtata doctrinæ illius ſuavitate detorquere omnia in ſenſus inconcinnos, mordere & lacerare quodam malevoli vel præcipitis animi impetu non dubitant. Ad quos an pertineat auctor epiſtolæ diario anglico *a*) inſertæ? erunt ſane, qui non multum ambigant. Neque enim ei ſuffecit, cuniculis ſuis ſubruere fundamenta doctrinæ Boerhaavianæ, ſed & haud inurbanum & indecens viſum eſt, cunctis, qui illo tramite incedunt, ampla ægrotorum funera ominari. Et quænam

a) v. litterary magazine M. Sept. 1736. critical. remarks on D. Boerhaave's Syſtem, containd in his inſtitutions and aphoriſms. Idem videtur, qui præced. M. Aug. in D. Henr. Cope diſcipulum Boerhaavii duriuſcule animadvertit. Confer. die Beyträge zu gel. Zeitungen Lipſ. 1740. p. 355. ſeq.

nam tandem ſunt, quibus ea, quæ animo concepit, evincat? quibus præcepta hæc mendoſa, mutila, confuſa eſſe, aliis, quemadmodum ſibi, perſuadeat? Fas eſt inſpicere, quibus machinis & quo ſucceſſu ſolidiſſimæ illius doctrinæ muros concutiat, tali profectu adparatu, niſi omnia me fallunt, nunquam ruituros.

Quatuor ſpeciminibus illuſtraturum ſe eſſe promittit cenſor, qui in ſyſtemate præceptoris nocentiores nævi occurrant. Bene profecto! neque enim lævis medici culpa eſt, non prodeſſe, gravior certe & nullo colore excuſanda, etiam nocere. Ut hanc noxam innocentiſſimo viro tribuat, lac, ait, remedium ei eſſe & debilis & rigidæ fibræ *b*), igitur vel ſine ratione ab eo præſcribi, vel ratione ſibi repugnante. Videamus, quid in hoc acumine virium ſit, ut alterutram lactis ſalubritatem defendere idem ſit, quam ad cædes & funera viam ſternere. Duplicem præceptor cauſſam tradit, cur fibra ſit debilis, ſeu tam parvo partium nexu cohæreat, ut vel ipſi motui ſanitatis vel paulo majori non reſiſtat, ſine ſolutionis periculo? quod nimirum vel ingeſta haud adſimilentur, vel adſimilata languidius ad loca nutrienda adplicentur. Sic enim fibra nec materiam habet, quæ eam reparet, nec vim, quæ elementa in fortiorem nexum conjungat. Primum igitur de alimento cogitandum erat, quod ſine magno virium mutantium, quæ in debili corpore deficiunt, adparatu in naturam inquilini & alentis humoris tranſit. Proximum inter alia lacti eſſe ad illam naturam tranſitum, nemo dubitavit, qui illud tanquam chylum conſiderat in animali corpore jam elaboratum, actiones cordis pulmonis & arteriarum expertum, ſero permixtum, & hinc debiliſſimorum infantum alimoniæ congruentem. Inter quæ probe tenendum eſt, hoc in debili fibra remedium haud omnem ſanationis conditionem abſolvere, ſed materiam tantum probam & poſt exiguas in corpore mutationes nutritiam promittere, vim autem quæ in fortiorem nexum partes compellat, a frictionibus & exercitiis corporis, lento ac provido gradu augendis, petendam eſſe. Expendat cenſor, qua fide illa divellat, quæ non niſi conjuncta ſuppetias debili fibræ

b) Boerh. Aphoriſm. 27 & 35.

fibræ ſpondent. Quis in tanta ſimplicium veritatum luce ſententiam cenſoris præferat, debilem fibram, quippe ab inopia ſpirituum natam, id poſtulare, ut copiam eorum & munera reſtituamus, haud ad alia confugiamus. Nempe tot intermedias veritates rudi ſaltu tranſilit, & ad res obſcuras perpetuisque litibus implicatas, dum in limine demonſtrationum hæret, præceps delabitur: cum ceteroquin ad iſta remotiora ex ipſa idea elaborati alimenti & vigentium motuum deſcendere ſenſim, ſed attentiori ad obvios ſcopulos oculo, poſſit. Reſtat autem de fibra rigida videre, cur ei pariter lac conveniat? Id reſpondere promptum eſſet, quia iisdem partibus fibra debilis ac rigida ſuſtentatur, communem hic probi alimenti indigentiam merito adgnoſci *c*). Verum quis non potius curioſam malignitatis diligentiam in eo notet? quod adverſarius in loco, quem premit, & in quo ſerum lactis laudatur *d*), lac ipſum ſubſtituat, adeoque ſi de cremore vel caſeo lactis rem ſeorſim intelligit, umbras & larvas oppugnet. Sic pueri ædiculas ſtruunt, quas ſolo iterum flatu disjiciunt. Palam autem eſt, cum fibræ rigidæ, quæ neceſſariis ſanitatis motibus non ſatis cedit, debilior partium contactus conciliandus ſit, ſcopo huic ad aſſem ſatisfacere, quæ meabiliora per vaſa interna humectant, emolliunt, ſoluunt: quas dotes in ſero lactis cumulatiſſime reperimus. Hinc Th. Sydenham *e*) in rheumatiſmo a nimia contractione vaſorum tantopere gloriam ſeri lactis contra ſolemniorem remediorum pompam defendit. Quid cholericis, melancholicis, maniacis in ſimili vitio ſalubrius? Patet ex primo hoc ſpecimine, quam a ruinis ſuis longe adhuc abſit doctrina Boerhaavii ad tam tenues fluctuum adſultus.

Nec alterum ſpecimen multo præſtantius eſt, quo cenſor conſilium vellicat de ſolvendo prius quam ſuppurando bubone vene-

c) Hinc non pueri modo & feminæ, ægrique morbis chronicis languentes, ſed & fortes exercitatique, ut ruriculæ, copioſo lacte victitant, eoque proceriores olim & robuſtiores Scytharum Getharumque populi fere ſolo ſuſtentabantur, dicti hinc γαλακτοπόται & γαλακτοφάγοι.
d) Aphor. 35.
e) in fine Ep. I. ad Rob. Brady.

venereo cogitandi *f*). Omne ævum, cui lues Venerea innotuit, huic ſpei repugnare ait, & in tumore illo, cunctorum conſenſu *g*) critico, advectam virulentam materiam protinus ſuppurando educendam judicare. Poterat hoc argumentum idoneis viribus fultum alicujus momenti videri, at male dicendi dulcedine ſtatim eo abripitur, ut fontem quaſi erroris indicaturus Paulum Barbette *h*) hic incaute a Boerhaavio exſcriptum eſſe frivole conjiciat: illum videlicet in benignis bubonibus diſſipationem, ſique non procedat, ſuppurationem ſuaſiſſe, hunc ad malignos etiam bubones iſtud judicium oſcitanter transtuliſſe. Miror cenſorem de omnis ævi conſenſu tam ſecurum eſſe, cum inter controverſas quæſtiones vel maxime illa pertineat. Bubones, de quibus inter antiquiſſimos luis venereæ ſcriptores ultra triginta annos ſilentium fuit, a Marcello Cumano, Nic. Maſſa, Aloyſio Lobera & Ant. Gallo primum notati *i*) aliquos *k*) omnino ſollicitos reddiderunt, ne extruſum ad illa loca venenum intempeſtivo diſſipantium uſu repulſum intro verteret luis venereæ fomitem: hinc nec venæ ſecandæ nec purgantium uſus tutus habitus, nec nihi trahentia extrorſum & ſuppurantia commendata, imo inciſio
Inter

f) Aph. 1461.

g) Erroneum eſt, inquit, cel. L. Heiſterus in diſp. de chirurg. erroribus in curanda lue venerea §. 23. p. 31. per criſin hos tumores effici, ad venenum ex maſſa ſanguinea ſeparandum & expellendum, potius ab humoribus noxiis ibi ſtagnantibus oriuntur, cum nullus bubonibus his a virulento venereo liberetur, verum huc licet evacuatione facta adhuc tamen lue venerea corripiatur, niſi ſpecificis remediis, ut dictum, quæ in bubonis per reſolutionem curatione requiruntur, exterminetur.

h) Oper. Part. Chirurg. p. m. 215 & 216.

i) Neque in prima & ſæviſſima periodo luis venereæ ab A. 1494. ad 1514. nec altera inter exoſtoſes & genitalium verrucas adfligente ab A. 1514. ad 1526. notatos bubones eſſe, v. Jo. Aſtruc. de morb. vener. L. I. c. 13. Primi notarunt Marcellus Cumanus, qui & ipſa ſolutiva adhibuit, O. 7. & 64. in ſylloge curat. & obſ. G. H. Welſchii. Nic. Maſſa de morb gall. L. I. c. 7. p. m. 12. Aloyſ. Lobera de morb. gall. c. 2. Ant. Gallus de ligno ſancto non permiſcendo c. 1.

k) inter quos I. Munnich. Chir. L. I. c. 15. §. 43. H. Fabr. ab Aquapendente L. I. pentat. Chir. c. 16. Leonh. Botallus de luis ven. cur. rat. c. 10. &c.

inter initia ſuppurationis. Multos tamen horum auctorum in ipſa ſævientis mali origine reperies, alieno hic potius quam ſuo metui obſequutos. Gabriel. Fallopius *l*), quem nemo facile & peritia mali & candore obſervationum vicit, reſolutionem non minus quam ſuppurationem bubonis venerei admittens, ideo in hanc quam illam pronior eſt, quod famam medici in vulgari illo reſolutionis metu periclitari nolit. Fidentius Jo. Henr. Meibomius *m*), dum utrumque licere ait, reſolvere & ſuppurare, in hanc pariter partem fatetur procliviorem ſe eſſe, non ideo, quod reſoluti tumoris virus ad interiora redundet, ſed per apertum ulcus perennior ſit expurgandi corporis opportunitas. Scite Bernard. Tomitanus *n*) materiæ indolem jubet attendere, & contra craſſiorem frigidioremque reſolventia & diſcutientia purgantibus ſociata requirit, ſuppurantia damnat. Quandoquidem vero delectu potius quam numero auctoritatum pugnandum eſt, placet compendii loco duumviros nominare, penes quos hodie juſtiſſimum cauſſæ illius arbitrium eſſe queat, Jo. Aſtruc & Laur. Heiſterum. Ille *o*) bubonem impuro coitu natum, qui ceterorum norma eſſe poſſit, reſolvendo æque ac ſuppurando oppugnans, priorem methodum brevem, doloris expertem, nec minus tutam, multorumque judicio præferendam, alteram tædii, moræ & doloris plenam vocat. Ibi non modo mercurialium & purgantium interno uſu pugnat, ſed & topica emollientia & reſolventia, ut emplaſtra de mucilaginibus, de ranis cum vel ſine mercurio, quin & litus inguinum mercuriali unguento inſtituendos præcipit. Illuſtris autem Heiſterus *p*) poſt exploſum errorem

l) De morb. gall. c. 91.
m) Diſp. de bubonibus Helm. 1671. §. 56 & 58.
n) De morb. Gall. L. II. c. 17.
o) De morb. ven. L. 3. c. 5. p. m. 330.
p) Inſtit. Chir. P. I. L. 4. c. 12. §. 4. & 5. p. 311 & 312. Nec repugnant, quæ ex citata diſp. de Chirurgorum erroribus excerpſit I. Aſtruc l. c. L. 9. p. 1076: peccare nimirum, qui in principio repellentia & refrigerantia, vel V. S. vel emplaſtra & remedia reſolventia tentant. Prudenter enim addit, ſi artem non callent decoctis diaphoreticis & uſu cauto mercurialium ejusque proſapiæ laxantium p. corrigendi materiam p. eva-

rem veneni venerei per uſum reſolventium in maſſam humorum regurgitantis, & poſt rejectum eorum morem, qui venam ſecare & catharticis uti vetant, ſtatimque ad ſuppurantia properant, contrariam ait ſibi mentem eſſe, & purgantia, mercurialia aliaque ſanguinem mundantia expeditius reſolvere ac diſſipare tumores illos, addito emplaſtrorum digerentium externo uſu. Monet, dilabendum ad ſuppurantia non eſſe, niſi tardius voceris, & jam exulet ſpes reſolutionis. Qua igitur fronte adſeverabit cenſor, nullius non adſenſu deſtitutum Boerhaavium talia tradidiſſe? quod ſi feciſſet, poterat & ſic omni crimine vacare, niſi crimen ſit, deleto communi errore novam veritatem ſtabilire. Aequius erat inquirere, qua motus experientia, qua ratione, ſic ſenſerit? Experientiam ſane tam propitiam habuit, ut in eundem locum, quêm mordet calumnia, commendatus, ſecta vena & præmiſſis catharticis vitatoque omni remedio irritante emplaſtrum Vigonis de ranis cum mercurio, cui nunc ſulphuris aliquid & camphoræ adjecit, ſimiliave, non ſemel his verbis laudaverit: *vix memini, ad talia malum non ceſſiſſe.* Tam candido tam veridico ori minus adſentiri fas ſit, quam illi ad omnes injurias tam effuſo? Ad eo faciliorem adſenſum tam noſtra nos invitat experientia, quam recta, quæ pulchre congruit, ratio. Non enim ſolum præferenda ſemper eſt via reſolutionis tanquam benignior, ſed &, quod hic reſolvit, ſimul corrigit, ut adeo ſoluta & correcta materia, ſi remeat quidem, impune ad fontes vitales redundet. Cicuratum eſt, inquit Jo. Aſtruc *q*), virus illud mercurialium energia, adeoque jam inefficax. Ipſum maligniorem bubonem peſtilentialem diſcutere, quoties licet, Sylvius *r*) juſſit,

evacuandi, v. §. 22. In fine vero §. 24. luculenter exponit mentem illis, quæ ſupra diximus, congruentem, ſc. ſuppurationem, quantum fieri poſſit, conveniente methodo averti, & bubones præcedente reſolutione una cum latente lue venerea curari debere. Quo loco in teſtimonium vocantur ipſe Boerhaavius l. c. & Vcay traité de la maladie Venerienne p. 132.

q) l. c. p. m. 332. n. 8.

r) Prax. medic. app. Tr. III. §. 677.

juſſit, ac pulchre Hier. Och. Rizettus *s*) contingere cenſet, ut bubones illi retrocedentes nunc largo ſudore ſolvantur, nunc reſolutione, nunc ſuppuratione, in quibus aliisve viis non niſi adultior experientia metuendi cauſſas reſcindit.

Tertium ſpecimen remedia ſtimulantia vindicat a præceptore in curatione frigoris febrilis rejecta ob metum ſubſequentis inflammationis. Hic rurſus, ſi fas eſt credere, omnis & veteris & recentioris ævi experientia reluctatur, nec minus ratio, quæ ab imminente in frigore febrili coagulo ſanguinem adſertura nequit fluxilitatem niſi per ea conſervare, quæ oſcillationes vaſorum augent, & ſtaſin fluidorum impediunt, id eſt ſtimulantia, præſertim volatilia & epiſpaſtica. Quidquid hujus coloris eſt, evaneſcit facile, ſi impugnatæ ſententiæ ſcopus & nervus oculo nulla bile ſuffuſo inſpicitur. Notat frigus febrile imminutum humorum circuitum ex languente vi cordis & creſcente extremorum reſiſtentia. Nam qui conſiderat, pallere tunc extrema & rigeſcere, cor vero palpitare, non obſcure intelligit, a frigore arctante arterias, ſanguinem arterioſum ad interiora repelli, & venienti a corde plus obniti, arctante autem venas, cor ſanguinis venoſi velociori reditu obrutum, & natis arteriarum reſiſtentiis impar, inter crebros nixus non niſi ex parte, id eſt, palpitando ſe evacuare. Facile largior, inter cor & pulmonem difficili anhelitu & inexplicabili anxietate adcumulari ſanguinem, hærentemque & quieſcenti ſimilem facile concreſcere ac ſuffocare, ideoque totam medendi rationem id poſtulare, ut vel vires cordis expellentis augeantur, vel reſiſtentiæ circa fines arterioſos minuantur, vel utrisque auxiliis vitalis circuitus impedimenta tollantur. Quæritur, an huic ſcopo ſtimulantia & moventia conveniant, vel ut cum ipſo cenſore loquar, an nitenti in coagulum ſanguini ſatis reſiſtant, vimque cordis tuto excitent? Inanem dico hanc ſpem eſſe & audax molimen, ſtimulo irritare cor debile, liquidumque in anguſtiis ſuis immeabile. Non enim, quod debile eſt, ſed in adparatu latentium virium languidum, ſtimulo eget, nec quod immeabile intra vaſa hæret, niſi vis accedat ſolvendi,

s) De peſtil. & venen. morb. L. 3. c. 6. p. 145.

vendi, & vaſa laxandi, propellitur ſtimulo illo, ſed plus figitur & inflammat. Ridet periculum cenſor, & neceſſitas, inquit, funeſti, coaguli, urget, id qui negligit, ex metu futuri mali, ejusque ambigui, nec forte remedio carituri, ægrum interire permittit. Urgere adeo illud periculum primi in febribus intermittentibus frigoris, quis ſui compos crediderit? An inter millenos, & hos quidem ſibi relictos & omni medicaminum ope deſtitutos vel unus perit, non dicam primo ſed altero tertiove frigoris acceſſu? Nec in acutis, quæ ſemel adflat ſub ortum frigida aura, vitalem protinus ignem exſtinguit. Ponamus tamen periculum eſſe, quod cenſor finxit, nihil adverſus illud ſtimulantibus veri tutique auxilii erit. Haud multo tempeſtivius ægrum militem ad oppugnanda caſtra educis, quam debilem palpitantis cordis actionem contra tanta obſtacula intendis. Dictitat ratio, id quod ſtagnat, ut ad ſtimulum cedat, prius fluxile, & vaſa in quibus ſtagnat, laxa reddenda eſſe. Multos Galenus occubuiſſe ſcribit incautius circa ingreſſum febris excalefactos *t*), multos a præceptore Herodico, exercitia corporis nimis ſuadente, in febribus peſſundatos eſſe, ipſe Hippocrates teſtatur *u*). Exemplis omnes obſervationes abundant, potus piperatos, vina abſinthiata, motus corporis ad ſudorem continuatos & ſimilia ſtimulorum plena loco ſalutis exitium attuliſſe, vel tranſitum febrium intermittentium in acutas & inflammatorias peperiſſe. Hos igitur ſcopulos, ad quos ſe ipſum aliquando, quippe a præceptoribus ſuis, Sylvianæ inprimis hæreſi addictis, non ſatis commonefactum inter prima artis molimina impegiſſe queſtus eſt Boerhaavius, ubi jam opere medico confirmatior, ne aliorum adliderent pedes, candide indicavit, ne ob hujus quidem meriti beneficium reprehenſione caruit. Tanto plus autem improbitatis in hac cenſura eſt, quod ea præterit cenſor, quæ ſtatim ſuo de ſtimulantibus judicio præceptor ſubjecit, & quibus ipſe levem ſtimu-

t) De arte cur. ad Glauc. c. II. ſub finem.

u) Epidem. 6. S. 3. n. 54. interficiebat, inquit, ambulationibus, luctis & fomentis, peſſime ſane. Nam febrilis conſtitutio inimica eſt luctis, ambulationibus, curſibus, frictionibus.

ſtimulum ſolventibus & laxantibus miſcuit *x*). Vult enim, ægrum ante ingreſſum febrilis frigoris ad focum moderate excalefieri, decocti hordei cum nitro, melle & vino pauxillum omni horæ quadrante calide ſorbillare, & frictiones interea corporis admittere. Nemo non videt, diluere aquam, nitrum concreta ſoluere, mel vel ſyrupum vi ſaponacea penetrare, vinum etiam aliquid ſtimuli conciliare, & ita placide ſurgentes motus blanda frictione, vel ſi opus, fotu, halitu, balneis ad cutem determinari. Hæc ſane ſine ſtimulo non agunt, at tali, qui concreta jam ſoluta per anguſtias viarum jam laxatas ſine omni vi & offenſa propellit, corque liberat, cum id, quod actioni ejus tantopere reſiſtebat, jam expeditum ad exteriora auditum inveniat. Huc ſpectat, quod Hippocrates *y*) calida lavari, Celſus *z*) fomentis, frictionibus & ſorbitionibus uti, ac balnea ingredi juſſerint. Ut olim in balneis & tepidariis frictio optime liberiorem circulationem reſtituit, ita hodie poſt balnea vaporis adhibita duros ſæpe glandularum tumores interna ſolventia diſcutiunt. Verum attingam propius, quo errore compulſus cenſor nubem pro Junone amplexus ſit. Diſtinguenda erat quæſtio de remediis in ipſo frigore febrili & ante illud tentandis. Ipſo præſente frigore quam ineptum ſit ſtimulare, abunde dictum eſt, nec corticis peruviani major infamia nata quam ex noxio ejus uſu ſub ipſum frigus. Hoc vero antequam ingruit, toto *ἀπυρεξίας* intervallo, ubi cordis adhuc actio viget, & adverſus illam nondum natum eſt, quamvis naſci & colligi incipiat, obſtaculum, ſtimulos caloresve per corpus diffundi poſſe, nemo facile curatius quam ipſe præceptor adſtruxit, & ſalina, alcalina, aromatica, mineralia, motus frictionesque laudavit *a*), privatoque ſermone ſub aromaticis ex veterum conſenſu carduum benedictum, centaurium minus, abſinthium, gentianam & ariſtolochiam, cum recentioribus ipſum corticem peruvianum ſe intelligere docuit, nec limitatum purgan-

x) Aph. 625. qui ſequitur §. controverſum. Conf. mat. med. ei. p. 120.
y) De morb. II. §. 39. Ed. Lind. T. II. p. 65.
z) De medic. L. II & 12.
a) Aph. 758.

gantium, emeticorum & ſudoriferorum uſum contempſit *b*). Quid quod diſertis verbis pronuntiet, ſalutarem talium actionem a ſtimulo eſſe, quem, ſi vicerit cauſſam frigoris, febrem ipſam & quidquid inde malorum germinat, penitus exſtinguere. *c*) Hæccine ſe legiſſe diſſimulabit cenſor? Ita nempe ſe res habet, quod certiores meritiſſimi viri adverſarii non ſint, quam qui veritatum ab eo propoſitarum nihil in nexu ſuo & robore concipiunt, ſed hic inde particulam a toto doctrinæ corpore avulſam malignis interpretandi artibus conficiunt. Mirum proinde non eſt, offucias experientiæ, ſaburram rationis vel vana acumina, quibus ſe ipſos compungunt, arma eſſe, quorum fiducia in arenam deſcendunt.

Quartum ex hoc armamentario depromptum telum ſpem ferit Bœrhaavii de contagio varioloſo, antequam in puſtulas cutaneas emergit, antiphlogiſticis vel aliis armis inter nova poſterorum molimina exſtirpando. *d*) Quis æquioris ingenii, etiamſi res ſecus evenerit, ſuccenſeat optimo viro in futuri ſeculi homines tam æquo? Facile eſt oſtendere, nihil conjecturam illam generi humano tam propitiam continere, quod non probum ſit & optabile, nihil quod non ſummi viri acumini in res ambiguas obſcuraſve ſolertiſſime penetranti reſpondeat. *e*) Alterum quidem nemo abs me requiret, qui ſævi mali genium miteſcere cupit. Alterum idea inflammationis nititur, tam exacte a præceptore tradita, ut varios ejus exitus, variis ſignis ad muniendum præſagium diſcernendos, nullius forte oculi penitius inſpexerint. Mirus ſane eſt varioloſi contagii ſtimulus, qui omnem ſenſum fugiens ſtatum corporis etiam ſaniſſimi tam ſubito mutat, ut intra triduum circiter tota externa cutis, quin & ipſa ſæpe internarum par-

b) Aph. 759.

c) Aph. 756 & 760.

d) Aph. 1388. ad 1395.

e) Hinc vere & modeſte exc. collega I. G. Brendelius in faſcic. obſ. med. p. 13. licet ab hac ſententia remotior, effatum tamen vocat Batavi Hippocratis, nil ſine magno judicio ſcribentis, loco ingenioſi problematis habendum.

partium integumenta puſtulis illis inflammatoriis ſcateant, cito in tot abſceſſus, quibus vis ineſt idem contagium in infinitum propagandi, tendentibus. Qui ſingularis malignitatis genius ad cognitas acrimoniæ ſpecies vix referendus, at crebra ſtrage funeſtus, an in primo miaſmate exſtingui, & ut in aliis morbis inflammatoriis ita hic prohiberi ſuppuratio poſſit, omnino attentionem meretur. Th. Sydenham in variolis minimam reddere ſuppurationem olim ſuaſit, *f*) quod modo artis opus ſit, plus graduum forte non erit a magna ſuppuratione ad minimam, quam a minima ad nullam. Spe ſua adlectus Bœrhaavius ipſo variorum tentaminum ſucceſſu ſe excitari & magis confirmari ſenſit, ſubtimide tamen, uti fas eſt, in re haud penitus comperta, videri *g*) ait, ſtimulum illum in infectis corrigi ab initio & aboleri poſſe, vel ſpecifica methodo, vel ea, quam antiphlogiſticam univerſalem vocant. Priorem ex congruentia naturæ illuſtrat, quæ venena non minus quam antidota ſua habet, per induſtriam veterum non parco numero eruta, & per eandem recentiorum ulterius eruenda. Ut ſpina digito infixa, quam extrahere negligis, non deinceps niſi ſuppurato & deſtructo loco excidit, ita varioloſum miaſma inſtar tot ſpiculorum diffuſum & ſibi permiſſum, niſi ſuppetat ſtatim, quod corrigit vel expellit, in cutanea ulcuſcula terminari conſtans experientia docet. Cur non igitur hic antidotum, quale in aliis morbis malignis toties repertum eſt, cum tanta hominum utilitate etiam ſub levi ſpe ſucceſſus indagemus? Vidit Sydenham *h*) varioloſas febres ſine variolis, vident & alii, exſpectatas omnium judicio variolas aliquando non erumpere, meritoque ambigunt, nullumne contagium ſuſceptum ſit, an inter varia tentata in ortu exſtinctum? Præceptor, qui in re tanti momenti totas medicorum ſocietates conjungere operas & experimenta optat, vim ſalutarem pro exſtinguendo ſtatim contagio infectorum in ſtibio & mercurio quæſivit. *i*) Stibium enim in-

inter-

f) Op. Ed. Leyd. 1741. p. 356.

g) Aph. 1389.

h) l. c. p. 130. 131. 162. 170.

i) Aph. 1392.

terno uſu morbis cutaneis & ſcabiei efficaciſſime eſt oppoſitum, mercurius quoque, inprimis cum ſulphure in æthiopem verſus, mire ulceribus cutaneis medetur. Dum mercurius inhibita ſuppuratione fontes ſalivæ aperit, inter tumores gingivarum pedum manuumque, non eſt multum abſimilis ſalivatio in progreſſu variolarum confluentium, quæ plurimum morboſæ materiæ in purulentam alioqui corruptionem tranſituræ ſalubriter exhaurit. Ex his ſimilibusque credere Bœrhaavius cœpit, ex mercurio parari remedium poſſe, quod inter emetica & ſudorifera medium in herba morbum exſtingueret. Teſtatus privatim eſt, in librum germanicum, ſpecie paradoxum, ſe incidiſſe, qui digerere diu mercurium ſublimatum cum antimonio docuerit, feciſſe ſe rei periculum, & vel ceſſiſſe variolas vel mitioris genii evaſiſſe, pertæſum tamen tot laborum & obtrectationum pergere in enodandis illis difficultatibus noluiſſe. Hæc de ſpecificis. At uſui antiphlogiſticorum, in quæ cenſor invehitur, longe luculentior ratio prælucet. Inflammatum enim, ne vaſa, in quorum anguſtiis hæret, vitali impetu deſtruat, & vim ſuppurationi pandat, liberari opportunius nequit, quam ſi obſtructa loca reſerare, obſtruens ſolvere & motum a tergo pacatiorem reddere licet, id quod phlebotomia, purgantia, diluentia, fomenta, & quæ alia ſub antiphlogiſticorum nomine comprehendimus, felici toties opera præſtant. Nemo facile negare auſit, in graviſſimis morbis inflammatoriis, angina, pleuritide, phrenitide, ſimilibusque venam tempeſtive ſectam cum reliquis indicatis auxiliis inſtans ſuppurationis periculum avertiſſe, cur idem in variolis, ut morbo manifeſte inflammatorio ſperare nefas ſit? non aliam rationem audio, quam ex maligni morbi, cujus perpetuus in ſuppurationem exitus ſit, obſcuro genio petitam. Quin & in contrarias vias itum & de venæſectione tanquam re nocentiſſima in hoc morbo judicium fere inter ſenatus medici conſulta cooptatum eſt. Poterat vero vel princeps medicorum Hippocraticorum Jac. Hollerius *k*) audiri, qui in his æque quam aliis exanthematibus, quæ inter tertium plerumque diem erumpunt, primo mox vel ſecun-

k) de morb. int. L. II. p. m. 574.

cundo die ſanguinem mittere ſuaſit, quod ita virus exſpiret facilius, morbus levetur, vel ſi quid vitii reſtat, longe ſedatius in cutem emergat. Non minus a vena ſecanda curationem incipiendam eſſe Laz. Riverius *l*) cenſuit, ſive nondum ſive proxime eruperint, variolæ, nec ſi ſævioris indolis ſint, tenellos ab hac lege eximit, & ubivis eandem quam in putridis morbis medendi normam præſcribit. Quid quod inter Arabes, qui prima variolarum incunabula inſpexiſſe creduntur, multi & inprimis Rhaſes *m*) ab hoc remedio non abhorruerunt, timidioribus etiam Gometius Pereira plus fiduciæ inſpiravit. *n*) Ipſe Sydenham, *o*) qui in benignis variolis neceſſariam non putat venæ ſectionem, in confluentibus, maxime ſi juvenile ſit corpus, calidum & potibus generoſis adſuetum, tam ſevere eam poſtulat, ut ſi vulgi præjudicia obluctentur, miſſio petenda ſit. Plerique ita loquuntur, ut cum creſcente etiam morbo venam ſecandam eſſe doceant, iisdem ſine dubio verbis eo imminente tutius ſecari innuant. Quod remedium in progreſſu lenit malum atrocius, plus valebit adverſus idem in ortu mitius, ut experti omnino ſunt, me etiam teſte, qui inſcii, quis hoſtis ſibi impenderet? ſanguinem tunc detrahi paſſi ſunt. Idem erit de purgantibus judicium, cujus in ſecunda febre confluentium variolarum uſum evicit multis Jo. Freind. *p*)

De

l) Prax. med. L. 17. c. 2. p. m. 551.

m) Contin. 421.

n) Nov. medic. p. 904. conf. I. Freind. Ep. de purgantibus in ſec. febre variol. Hiſt. II. qui collectis multorum auctorum teſtimoniis exemplum ſubjicit trium magnorum regum Hiſpaniæ, Galliæ & Angliæ, Caroli II. Ludovici XIV. & Caroli II. qui iisdem prope temporibus vena iterum ſecta ex difficili variolarum morbo evaſerunt.

o) l. c. p. 150. Quin & poſt diem octavum, ſi ſuppreſſis ſudoribus phrenitis ſequitur, negat niſi larga venæ ſectione ſuccurri poſſe. Metum, ne retrocedant variolæ, rejicit p. 145. & fuſius Jo. Freind, dum in hiſtoria medicinæ Aetii conſilium laudat, V. S. in eruptione cuticulari admittendi. Addit in eryſipelate, variolis, morbillis, quamvis nullum frequentius experimentum inſtituerit, vena legitime ſecta nihil unquam illarum eruptionum retroceſſiſſe v. Op. T. II. p. 155. ſeqq.

p) in laudata Ep. de purgantibus ad R. Mead.

De reliquorum antiphlogiſticorum commodis uti diluentium, vix ulli erit diſceptationi locus. Satis datum eſt excuſando problemati, quod novi adverſus orientes variolas remedii viam non niſi e longinquo indicat, & gloriam ejus reperiundi poſteris relinquit.

Atque hi ſunt capitales errores doctrinæ Bœrhaavianæ temere tributi. Quam frigidum ſit quam imbelle & hians contra eam argumentandi genus, vel ſemiclauſis patere oculis arbitror. Brevem eſſe oportuit, & omittere, quæ ex propriarum obſervationum penu dictis ſubſternere poteram. Liquet fere conſilium tam protervæ cenſuræ fuiſſe, fautorum, quos ſummus vir ſibi conciliavit, creſcenti in Anglio numero obniti, & vulgarium errorum ſordes vindicare. Illa, quæ in eadem doctrina larvatus homo, ut mutila vel male limitata coarguit, alio fortaſſis excutiam tempore.

PROLUSIO

EXHIBENS

CONJECTURAS QUASDAM DE DUPLICI NOVO INFLAMMATIONUM EXITUS RIGESCENDO ET DESQUAMMANDO.

PANEGYRI

DAVIDIS CHRISTOPHORI SCHOBINGERI

d. 18. Mens. Maj. 1748.

PRAEMISSA.

Telam celluloſam, qua natura omnes corporis partes, ut majorem iis oleo ſuo lubricante & conſtantiorem mobilitatem conciliet, mirabili artificio & attentos veterum oculos propemodum fugiente, tanquam tot vaginis inveſtit, hac diſputatione, quæ publicæ cenſuræ jam ſubjicitur, in occultioribus ſuis receſſibus operoſius indagatam, hodie ut præcipuam omnis inflammationis, & quæ hujus ſcoboles eſt, ſuppurationis & gangrænæ ſedem merito conſideramus. Ad quæ dum præfari nonnulla animus eſt, haud mihi in argumento multum alieno verſari videor, ſi a ſede inflammationis ad ejus indolem, in quibusdam adhuc momentis latentiorem, pauliſper reſpiciam, ei imprimis quæſtioni intentus, an ſingulos inflammationis exitus partitio recentiorum juſto ſatis limite diſcernat, nec alios reperire liceat, quin ſub iisdem commode contineantur?

Quidquid inflammationum eſt, triplex conſideratio obſtructi vaſis, ſtagnantis in eo fluidi, & novi ſanguinis ad illa loca a

corde ruentis, omne illud, quod imminet morboſæ mutationis momentum haud obſcuris judiciis diſcriminat. Neceſſe eſt, niſi benigna reſolutio circuitum humorum etiam in parte inflammata ad legem univerſi corporis ita reſtituit, ut vaſa ante impervia jam pateant, liquida in iis antea ſtagnantia jam permeent, & utrinque ſi quid vitii contractum fuit, ſine ulteriori functionum læſione deletum ſit: neceſſe tunc utique eſt, negato hoc Naturæ vel artis præſidio duplicem in loco inflammationis cladem impendere. Motus enim vitalis, qui in illo circuitus ſui obſtaculum, quod extra ſpem reſolutionis eſſe poſuimus, ſub omni novo cordis expellentis molimine agit, vel fortiori impetu rumpit obſtructorum vaſorum latera & contentos humores effundit, vel languidiori actione nec ſolvit, nec rumpit, ſed ad proximas, quæ patent, vias declinans, ſuam ſibi rem habere laboranti parti permittit. Nemo non videt, in priori caſu nunc ſuppurationem oriri, quæ diſtentos vaſorum parietes lentius rumpit, quidquid vitalis motus legibus non auſcultant, tranquilliori poteſtate ſeparat, & ſub effuſis, quæ in pus coquit, perdita regenerat, nunc vero gangrænam naſci, quæ ſubito ac violenter deſtruit, & omne opitulantis & coquentis Naturæ auxilium eludit, abolitoque in partibus, quibus incumbit, omni vitalitatis veſtigio ad ſphacelum properat, ſub quo ad oſſa usque adfectæ partes emoriuntur. In altero caſu ſcirrhum emergere liquet, in quo obſtructa vaſa cum impacto liquido extra vitale commercium hærentia non alio ad tempus quam inſueti ponderis incommodo geſtantur, at ſenſim mole ſua & adfrictu vivis vaſis per viciniam diſperſis moleſta, inter novæ inflammationis furores in malignam cancri ſpeciem degenerant.

Igitur non inviti largimur, aliam exeuntis inflammationis fortunam vix ſolertiſſimi ingenii commento concipi poſſe, quam quæ partem adfectam vel liberat, vel deſtruit, vel ſibi relinquit. Neque id ægrius adgnoſcimus, traditos huc usque inflammationis exitus dictorum unum vel alterum præſtare, reſolutionem liberare, ſuppurationem & gangrænam deſtruere, ſcirrhum cedere hoſti occupatas ſedes. Attamen alias ſuſpicor enumerari ſpecies poſſe, quæ recenſitis illis generatim conditionibus nova lege

ge ſatisfaciant, quoties nimirum inflammata loca rigeſcere, vel etiam ſquamarum forma cadere obſervamus, quorum illud in rheumatiſmis, hoc in cutaneis malis, ut morbillis vel purpura omnium ſe ingerit oculis.

Partem inflammatam, quam rigeſcere dicimus, nec reſolvi nec deſtrui palam eſt. Major cum ſcirrho adfinitas intercedit, nec auſim tamen ad illum ob inſignem ſatis mutui diſcriminis magnitudinem referre. Scirrhus requirit locum, ad quam parva vis vitalis motus pertingit, major enim reſolveret in moderato adhuc gradu vehementior, deſtrueret. Hinc propriam maxime ſcirrhi ſedem conſtituunt glandularum cavi folliculi, qui ex hiantibus arteriolarum per latera decurrentium oſculis paulatim admittunt ſecretum liquidum, ſub quiete majori facile in ſiccioribus corporibus lenteſcens, tum maxime, cum emiſſariis vaſculis obex ponitur. Neque illa calamitas æque ſimplicibus glandulis, quas oppletas & in ampullam tumentes audacter chirurgi incidunt, contenta exprimunt, & ſuppurando vel erodendo cavum folliculi conſumunt, ſine metu cancroſæ malignitatis, quam compoſitis metuenda eſt, ubi lentum illud in multis folliculis colligitur, & moræ ac lentoris in tam intricata vaſorum compage major opportunitas eſt. Si quæ alia loca præter glandulas ſcirrho ſedem præbent, velut mammæ, teſtes, hepar, lien & alia, certe ejusmodi ſunt, ut quædam fabricæ ſimilitudo reſpondeat, mora & collectio ſecretorum ſit, obex in emiſſariis, & debilior ſemper a tergo motus. E contrario ille locus, qui inflammatus rigeſcit, vim vitalem acriter ſuſtinet, & in vaſis ſuis liquidis occaleſcens immobilitatem quidem relinquit partis, a formidine tamen cancri, qua omnis ſcirrhus tenetur, alienam. Remigum inſpice manus, quas ſervili opere noviter admotas calere, rubere & ceteras creſcentis ſenſim inflammationis notas habere reperies. Mox perenni remorum attritu adfecta ſolida cum fluidis ſuis denſatis in unam maſſam coaleſcunt, & ipſo hoc coalitu progreſſum inflammationis ſufflaminant. Haud illa infelicium tantum hominum ratio eſt, quos ad ſubſellia remigum & duriſſimos labores ſiniſtra ſors & aliena ſævitia abjecit, ſed & liberorum inter nos civium, qui ex opificii ſui lege manuum pedumque & reliqui corporis crebro ac

violento miniſterio utuntur. Fabri tum malleos ſtrenua manu agitant, curſores, dum aſpera quotidie itinera pedibus emetiuntur, non inter prima ſtatim tentamina, quæ moderari juvenilis error neſcit, impune tantam injuriam ferunt. A prima mollitie ad calloſum illud partium robur, præ ceteris, quorum alia vivendi norma eſt, celerius quidem transeunt, at non facile ſine crebris veræ inflammationis initiis, quibus hanc ipſam opponant, quæ laborantium vaſorum concretionem accelerat, iterati duri operis medelam. Non abſimili lege, quantumvis inter lentiores gradus, in ipſa vitalium motuum ſede rigeſcunt, per ætatem fibræ, membranæ, vaſa, viſcera, muſculi coreacei ſunt cerebri ſinus, ſeptum cordis cartilagineum, oſſea ligamenta. Vis vitæ majora vaſa, quorum latera minorum vaſorum varia ſerie conſtant, continuo preſſu diſtendens ibi terminatur, ubi minimum cavum & leviſſima reſiſtentia, adeoque maxima eſt concreſcendi facilitas.

Ita pedetentim majora vaſa, multiplici lateralium vaſorum concretione aucta, & ſub his ſpoliis fortiora metam ſenilis vitæ conſtituunt, id eſt, ad illam ſoliditatis gradum enituntur, qui nulli amplius fluidorum impulſui cedit, adeoque vires cordis, languidius jam influentes, dum rivuli, qui vires dederunt, areſcunt, ineluctabili neceſſitate opprimit, de quo aliis locis fuſius dictum eſt. Sane cum in parte, quam hæc vitæ poteſtas compingit & conſolidat, vaſa vere obſtruantur, contenta fluidiora diſſipentur, craſſiora hæreant, & motus cordis a tergo urgeat, non hæc mali conditio ab ipſo inflammationis genio longe abeſt; at quia per gradus ætatum minus ſenſibiles iſta contingunt, non tanquam inflammationis, cujus levia initia facile negligimus, effectum conſideramus, niſi tunc, quando uni præ aliis parti vis hujusmodi, quæ ad coalitum ducit, ſubita ac notabiliori injuria incumbit, & manifeſtam in parte coalita functionis læſionem, maxime in ſecretionum & motuum negotio adparentem, relinquit. Galenum non plane fugit novus inflammationis exitus, dum carnoſas muſculorum partes in ſcirrhum indureſcere docuit, ſique idem ligamentis & tendinibus accideret, plus in medendo difficul-

cultatis eſſe ſubmonuit. *a*) Improprie autem ſcirrhum vocat, *b*) qui harum ſedium incola non eſt, haud ſoboles motus intenſioris, haud leviori quam cancri periculo minax, haud aucta & glomerata ſolida ſed imminuta & ab infarctis attenuata comprehendens Calloſa rigiditas dicenda erat, quam in illa locorum, motuum & exitus diſparitate cum ſcirrho confundet nemo, vel certe calloſas a motu manus, ob communem duritiei notam, pariter ſcirrhoſas, immo ſenile corpus merum ſcirrhum eodem jure adpellabit. Alio loco Galenus ex eryſipelate pueri refrigerato & adſtricto ſcirrhoſum in toto femore tumorem relictum eſſe ſcribit. *c*) Eryſipelas ut manifeſta eſt inflammatio minorum vaſorum, ita horum cum contentis, quæ frigus figere & adſtringere cœpit, concretio duritiem illam peperiſſe cenſenda eſt. Cujus rei luculentior ratio in rheumatiſmo elucet, in quo dolor fixus atrox periodicus, juncturas artuum occupans, cum rubore ac humore loci ac febre ſub initium continua, ſenſim in contumaciſſimam partium rigiditatem terminatur.

Diatheſis in hoc morbo inflammatoria, quam vel ſanguis e vena ſubductus, pleuriticorum ſimilis, arguit, illos præ ceteris, quos magno corporis labore excalefactos matutinum frigus corripit, graviter adfligens in arteriis minoribus hæret, quæ per tendinum & ligamentorum fibrillas vaginasque circa artuum juncturas diſperguntur. Igitur mirum non eſt, his vaſis minoribus æſtu laxatis, mox ſuperveniente frigore conſtrictis, adeoque in functione ſua deletis, articulum motu privari, & concretione adfectarum partium anchyloſin naſci, *d*) nulli cedentem remedio. Hæc

a) de meth. med. L. XIV. C. V. edit. Juntin. Cl. VII. p.m. 88. A. B. C.

b) ut ſcirrhum Hippocratis *οἰδημάτων* nomiue complexus eſt, ita adhuc Galenus in uſu vocis admodum fluctuat. v. meth. med. L. XIV. c. VI. lato nimis ſenſu *ὄγκον σκληρὸν ἀνώδυνον* nuncupans *οὐ μὴν ἀναίσθητον*, & l. c. L. II. C. 2. p. m. 9. E. ſcirrhum inter nomina referens, quæ nec locum, nec cauſſam exponunt.

c) Conf. meth. med. L. XIV. C. III. p. 87. E. ubi de eryſipelate ſcirrhoſo agit.

d) Ger. van Swieten comment. in Aph. 556. Bœrh. T. I. p. 951. anchyloſin

Hæc in genubus, lumbis, coxendice aliisque locis, lumbaginis rheumaticæ, doloris coxarii ſimilive nomine, quotidie occurrunt medicis & crucem figunt. Non jam diſputo, an hic decubitus ſit febrilis materiæ ad artus, ſufficit ab iſthoc decubitu, quo tamen non ſemper ad producendam rigiditatem in tanto domeſticarum cauſſarum numero opus eſt, laborantes partes vere inflammari, ac pedetentim rigeſcere. Quodſi itaque ad normam H. Bœrhaavii, qui exitum inflammationis in reſolutionem, ſuppurationem, gangrænam ac ſcirrhum ad certas, quæ præſagium firmant, ſolidorum fluidorumque conditiones reſtrinxit, *e*) hic noſter in rigiditatem exitus adumbrandus ſit, rudiori licet manu & ingenio, his fortaſſis verbis non incommode fieret: ſi humor fluens blandus, motus tam externus quam internus incitatior, materia obſtruens lympha ſubacris tenax, vaſcula obſtructa exilia anguſta & ſanguineis ut plurimum minora, ad organa imprimis motuum muſcularium poſita; fit coalitus partis laborantis cum quadam immobilitate, novus modus, quo inflammatio exit in rigiditatem.

At & alterum ſpectemus inflammationis exitum per ſquamas deciduas. Has ſquamas in ſumma cute quærunt, quam epidermidem vulgo vocant, & ut extremum corporis integumentum, ſenſus vaſorumque expers & ipſa cute denſius, ideoque longam aquæ tepidæ macerantis vim ſine diſſolutione ſuſtinens conſiderant, natum judice J. B. Morgagno *f*) ab aquæ amnii in utero, dein-

ſin fieri inter alia docet poſt validas ligamentorum inflammationes, liquido ſtagnantium & cum vaſis, quibus continetur, concreſcente. Addit hinc crebram arthriditem paſſis toties accidere articularum immobilitatem.

e) ſecundum Aph. 386. 387. 388. 392.

f) Adv. anat. II. animadv. III. p. 13. edit. Patav. in quo non modo non repugnat F. Ruyſchio, qui ab extremis papillarum cutanearum finibus glomerari cuticulam cenſuit, theſ. Anat. II. p. 48. n. 6. ſed & ſententiam illam per lacinias papillarum ſub cuticula abruptas illuſtrat. Certe a partibus ſolidis cuti continuis naſci probabilius eſt, quam ab unguine quodam exſudante & indurato ad exemplum exuviarum ſerpentum, quæ pro humore glutinoſo coacto habentur. Nam circumfundi ejusmodi gluten ad certæ tantum craſſitiei terminos, durabile eſſe contra actionem tot

deinde ab aeris & ambientium rerum compreſſione, ex qua ſimul pronum ſit intelligere, epidimidem ob reſiccata pleraque vincula a cute facile divelli, & ob novas vires loca proxime contigua reſiccantes regenerari. Ut vero ſquamarum forma cadat, iis explicatu promtum eſt, qui duas epidermidis lamellas, externam tenuem ſpuamoſam, ſubjectam firmam & fibroſam, imo plures ſtatuunt. Neque armato Leeuwenhœckii oculo fides temere neganda eſt, qui epidermidem numeroſiſſimis poris pertuſam (patere enim arteriis exhalantibus, & venis reſorbentibus, pilis, papillis & excretoriis glandularum ductibus debebant) iterata ſcrutatus opera vaſis ſingulis imminentes triplo majores, ſi cum meatu compares, ſquamas vidit, *g*) his quæ in piſcis in volucro occurrunt, non abſimiles, tenuiores tamen, quas nec Winzlovius rejecit. Quodſi præterea negari nequit, ubi cutis deſinere videtur, pergere epidermidem, in meatu auditorio, cavo narium & oris, labiis, palpebris, lingua, œſophago, ventriculo, inteſtinis, ne de viis aeriis genitalibus aliisve dicam, ceterum convenire luculenter cum externis, tegere papillas, corpus ſub ſe reticulare comprehendere, & æque in morbis cadere illud involucrum & renaſci, haud ſane anguſta nimis ſedes eſt, quæ inflammationis deſquammando terminatæ exitum nobilitet.

Non eſt, ut morborum illorum, qui huc pertinent, claſſes omnes nedum ſpecies enumerem, vel enim una & altera reliquarum illuſtrat ſortem. Morbilli, qui regulares quarto plerumque die prægreſſæ febris, ſub forma macularum rubrarum, pulicum mor-

tot menſtruorum, quæ ſuperficiem corporis adluunt, nec obſtruere vias excretionis cutaneæ, intellectu facile non eſt.

g) Epiſt. Phyſiol. 43. P. m. 406. Conſ. Anat. & Contempl. p. 205. ſq. ubi ſquamam ut glomerem vaſorum conſiderat, non ſecus in homine quam piſce vel ipſo ligno. Depinxit easdem ſquamulas in exper. & contempl. S. arcan. nat. detect. p. 46. tanquam rotundas & tam tenues, ut 200 vel 250 arenula tegantur. Concludit ſuperiorem cuticulam plane ex ſquamis conſtare, idque nominis retinendum eſſe, quanquam ſquamæ illæ aliquot millenis vicibus minores ſint ſquamis aſelli, & hæ plus quam centies minores ſquamis carpionis.

morſibus ſimilium, latarum & racematim ſenſim cohærentium, neque ad ſenſum tumentium, in facie primum erumpunt, mox ventrem & pectus, brachia & crura obſident, octavo circiter die evaneſcunt, & loca ab iis occupata albicant, quaſi farina reſperſa, ruptave cuticula per ſquamas ſecedunt, nunquam ſuppurantur. Sic maculæ febris ſcarlatinæ crebriores, latiores, rubentiores in cutem univerſam emergunt, & poſt paucos dies cum deſquamata cuticula aufugiunt, tam levi decurſu, ut nomen interdum morbi judice Sydenhamo haud mereantur. Febres malignioris genii, ſub calido imprimis regimine & cardiacorum fallaci fide puncta illa protudunt parva, rubra, purpurea, livida, nigra, petechiarum, purpuræ aliiſque infauſtis nominibus nota, quæ jam diſtinguere non vacat. Ut rubentium mitior exitus eſt, nec illis, quos jam recenſuimus impar, ita cinereæ, fuſcæ, lividæ, nigræ partis adfectæ necroſin cum certo exitio relinqunt, niſi, quod raro accidit partes mortuas & gangrænoſas natum in ambitu ulcus a reliquis ſeparet, tota ibidem cute cadente. Non attingo, quæ interne fiunt ubi toties in morbis gravidioribus ſoluta villoſa tunica inteſtinorum per alvum ſeceſſit, nunc cruſtulæ ſimiles & arteria aſpera ejectæ fuerunt, quamvis cognatus prioribus morbi genius non nimis difficulter in illis internis epidermidis propaginibus oſtendi poſſit.

Præſtat inſpicere, an talis per ſquamas ſeceſſus in morbis citra controverſiam inflammatoriis a reſolutione, an a ſuppuratione, an a gangræna, an denique a ſcirrho derivandus ſit? Reſolutio non eſt, quæ nihil adfectarum partium ſeparat & expellit, neque ex eadem ratione ſcirrhus, qui morboſum in ſedibus ſuis figit. Etiamſi vero vis illa deſquamando ſeparet aliquid manifeſte, quod morbi impetum ſuſtinuit, nec tamen puris nec ichoris præſentia ſuppurationis vel gangrænæ veſtigia prodit, neque hæc quoties conſpicua ſunt, in ipſo momento ſeparationis, quemadmodum hic fit, omnem injuriam ſuam finiunt. Quamobrem vero ſimillimum eſt, aliquid hic novi fieri, ut vaſa cutanea fines ultimos infarctus excutiant, ſimulque a nexu cuticulæ ad quam exporrigantur, ſe liberent, ut neceſſe ſit, utraque a commercio vitali ſeparata cadere. Si ſatius videtur ecchymoſin ali-

quam,

quam quæ mutato effuſorum colore hic ſenſim diſſipetur, fractis ultimis vaſculis concipere, etiam in hoc erit ſoluti nexus & cadentis cuticulæ ratio, adeoque novus omnino & in reliquis inflammationibus non ita obvius ſeparationis modus. Scrupulum mihi ea de re dudum & ante triginta fere annos injecit eximium Vratislavienſium medicorum decus Jo. Gothofred. Hahn, quocum mihi olim Lipſiæ ut ſtudiorum ſic animorum ſumma conjunctio, quæ recordanti ſemper ſuaviſſima eſt, interceſſit. Is ex ſuo & optimi parentis penu multas hujus argumenti obſervationes ſuggeſſit, ex quibus haud temere concluſit, hunc noſtrum, qui deſquamando fit, inflammationis exitum, non adeo quidem obvium, at certum & a reliquis diſtinctum eſſe. Sunt inter illas obſervationes, quæ comitis ſuppurationis veſtigia non ubivis inficiantur, ſunt quoque, quæ altius aliquando latere malum oſtendunt, quam ut ſola ſummæ cutis fata expediat, maxima tamen ex parte illud confirmant, peculiarem hanc eſſe ſeparantis naturæ viam, *h*) quam in præſenti ulterius indagare & juſtioribus circumſcribere cancellis non permittit inſtituti ratio.

h) Litteris Vratislavia Kilonium A. 1719. miſſis has ex parentis ſui longo uſu artis exercitatiſſimi obſervationibus promit: nobilis virgo tumore colli laboravit, qui magnitudinem habuit ovi galli Indici, & colorem ſaturate rubrum. Sponte ſeceſſit totus & per lamellas. Idem puero contigit, quatuordecim annorum, cui tumor in media clavicula ad gallinacei ovi molem emerſerat, rubentiſſimus quidem & liveſcens, at ſub ſibi piperati maſſa ſenſim pellicularum forma abſcedens, ut intra binas hebdomades totus abſumtus eſſet. Puerperæ cuidam, cum vigeſimo ſecundo a partu die inciſa ulceroſa ubera, craſſam & copioſam ſaniem ſtillantia exprimeret Chirurgus intempeſtive ſedulus, & totam exhauriret uberum ſubſtantiam, ipſius digiti mulgentes ex atro rubri, & quaſi emortui cœperunt lente decorticari, forma coagulati in contuſis locis cruoris. Addit noſter ex ſuis ſequentia: puer duodecim annorum exanthemathibus miliaribus per totum corpus ſcatebat, præcedente frigore febrili & inſequente æſtu. Confluxerunt die octavo vel nono exanthemata, & in pectore ac ſub brachio ulcera formarunt, toto jam corpore jam vi inflammationis rubente. Siccantium & antiſepticorum uſu altero die ulcera fere exaruerunt, unicum in humero dextero, quod citius prodierat, ſaniem adhuc ſudit. Mox totum corpus exfoliari cœpit exceptis artubus & capite. Vel ſexies detracta pellicula eſt, & ceparum more ablata una non defuit altera.

PROLUSIO
DE
CRISIBUS VETERUM IN MORBIS,
IISQUE
PROPRIO TEMPORE
PANEGYRI
ANDREAE CONRAD
d. I. MENS. JUN. 1748.
PRAEMISSA.

Ex quo cum Galeni doctrina confligere recentiores cœperunt, etiam ubi juſta odii & reprehenſionis cauſſa defuit, in veritates ſummi momenti & toti antiquitati venerabiles pari molimine inſurrexerunt. Ramus olim de Ariſtotele cenſuit, nihil quod ille ſcripſit, verum eſſe, idem propemodum cenſuræ furor in Galenum deſæviit, quod utriusque imperium, illius in philoſophos, hujus in medicos, tot ſeculorum reverentia & obſequio ſtabilitum iis nimis inviſum eſſet, qui novitatum cupidi velut imperiorum ita ſcientiarum perpetuas viciſſitudines deſiderant. Habet doctrina Galeni nævos, quibus laborat, dum præpropere condit principia, ingenuis medicis non diſſimulandos, at & viciſſim eximias virtutes, dum naturæ medentis rationes, vias & tempora, ſummo Hippocraticarum obſervationum rigore definit. Itaque nævis illis, tunquam in pulchra facie maculis, quas ipſum intem-

intempeſtivum formæ ſtudium peperit, ſuſpenſa manu mederi, non totum ſimul doctrinæ corpus corrumpere & lacerare par erat. Tria illa præſagii medici inſtruendi momenta, quibus ars noſtra nihil divinius habet, cruditas, coctio & criſis, faſtidiuntur cenſoribus noſtris tanquam fatua & toties recocta crambe. His autem præſidiis ex ſchola Hippocratica petitis munitus Galenus admirabilem reddidit prædictionum ſuarum fidem, *Eudemo* diem nuntiavit, quo febrem ejus alvinus fluxus exſtingueret, *Sexto* Senatori febrem, quæ die ſexto evanuerat, recidivam prædixit, & die quidem decimo quarto tanquam ex male ſopitis cineribus exarſuram, at decimo ſeptimo manantium ſudorum ope penitus conquieturam, aliis alia, non ſine gloria impleti, quod tam temerarium imperitis videbatur, augurii. Quæ res *Eudemo*, quem ſenem tres quartanæ per hiemem adflixerant, definita criſi ejusque diebus, ad Galeni præſagium liberato expreſſit judicium, *Apollinem Pythium* per os *Galeni* ægrotantibus conſulere, & quibus remediis ad ſanitatem revocari poſſint, & quo die perfecte liberari debeant, verbis haud ambiguis indicare *a*). Nos autem hodie quam vanis conjecturis ſpem noſtram & ægrorum alimus! quam oſcitanter ad fontes illos prædictionum, tanta a veteribus fide traditos, attendimus! Erat hic fructus ſcrupuloſiſſimæ & in morborum notandis decurſibus conſtantiſſimæ obſervationis, quam hodie brevi ægrorum conſpectu & examine abruptam mutilamve ex ingenio vel ſyſtemate ſupplemus, adeoque a regia veterum via deflectentes artem olim in præſagiis ſuis tam fidam & ſtabilem nunc crebræ fallaciæ & ambiguitatis ſubjicimus opprobrio. Multum externi decoris & elegantiarum medicinæ noſtri ævi acceſſit, at imbecillium hoc & molle adverſus morbos armorum genus non ad antiquæ militiæ, licet ſpecie horridioris, maſculum robur accedit. Rem illuſtrabit nonnihil nobile de criſi ejusque proprio tempore argumentum.

Cri-

a) Gal. de præcognit. ad poſthumum C. 3. Op. Iunt. Cl. IV. p. m. 315. D. E. Tantum hic profecit (ſunt verba J. B. Montani in vita Galeni) ut vatem eſſe aliqui dicerent, tanquam divinatrice arte non medica prædiceret futura.

Criſis, quam ut latinis auribus inſolentem vocem Celſus reformidat, ex jurisperitorum foro ſcholas medicas dudum ingreſſa eſt, judice Galeno *b*). Is vero negat a medicis, futuri eventus inter artis ſuæ præcepta haud facile ignaris, profectam hanc appellationem eſſe, ſed rudioris primum hominis ore elapſum putat, qui imminente criſi cum omnia in corpore perturbata cerneret, jam de vita ægrotantis agi judicium exclamavit. Nihil enim ab antiquiſſimo ævo criſis aliud notat, quam ſubitam gravis morbi converſionem in melius vel deterius, idque inter vehementes corporis perturbationes, ſenſibilesque materiæ criticæ evacuationes, vel ad alia loca, quam quibus primum inhæſit, decubitus. Cum nihil tunc fieri in corpore poſſit, quin vel oppugnantis morbi vel vindicantis Nuturæ opus ſit, pro utriusque mutuo conflictu habita eſt criſis, in qua ex viribus utriusque inter ſe collatis, quorſum inclinet victoria, acutior oculus in anteceſſum & inter ipſa pugnæ primordia proſpicere poſſit. Nequit illa

b) Quamvis *κρίνειν* ſæpe notet ſecernere & excernere ſitque in criſi omnino opus Naturæ morboſa coquentis ſecernentis & excernentis luculentum, vel etiam notet dimicare & prælio bellum dirimere, quo ſenſu criſis tanquam decretoria pugna inter Naturam & morbum pro ſalute vel interitu corporis conſideratur, unde pugna bellum non conficiens *μάχη κρίσιν ἐ λαβȣ̃σα* Plutarcho audit; Galeno tamen præeunte communis judicii notio præferenda eſt, qualem deſumi ait *ἀπὸ τῶν ἐν τοῖς δικαςερίοις*, unde criſis nunc litem ipſam & controverſiam, nunc æſtimationem ejus ſeu cenſuram ſignificat, ſive damnet illa ſive abſolvat. Concinne ad hanc normam criſis *ὀξύῤῥοπος ἐν νόσῳ μεταβολὴ πρὸς ὑγέιαν ἢ θάνατων* Galeno dicitur comment. ad aph. 13. L. 2. Ergo ſententia æque in ſalutem quam exitium per criſin intelligitur. Priori ſenſu crebrius ſumitur, unde *ἀπόλυσιν νόσȣ* vocabant, velut cel. Schultzius abſolutionem quaſi ægrotantis a mortis reatu & pœna. v. hiſt. med. S. III. L. 3. §. 222. p. 248. At & altero ſenſu, quo exitium notat non nimis raro criſis apud Hippocratem Galenum aliosve occurrit, repugnante iis Jac. Pancr. Brunone in dogmat. medic. gener. p. m. 478. ubi criſin ſemper bonam adpellat, eique *ἀκρισίαν* opponit. Verum hæc non eſt criſis mala ſed nulla. Ibi inter magnas corporis turbas fiunt ſenſibiles excretiones ac decubitus, licet natura magnitudine morbi victa in hoc adparatu vindiciarum ſuccumbat, hic plane non fiunt.

illa pugnæ ſimilitudo etiam aures ſeveriori ratiocinio adſuetas oſtendere. Manifeſte enim vires morbi vitæque inter ſe committuntur, & quemadmodum ſit, dum acies infeſtæ concurrunt, totum turbatur corpus, & inter ſigna victoriæ vel cladis emergit criſis. Bona liberat, mala occidit, imperfecta nec liberat nec occidit, ſed interruptam pugnam ex brevi intêrvallo inſtaurat. Bona plerumque fit in ſtatu morbi ſeu apice incrementi, in quo Natura inter ſubſidia coctionis pugnat, mala in principio, dum impari nixu & ſub cruditatum mole morbo obluctatur, imperfecta in adſcenſu, ubi inter dubias inchoantis coctionis ſuppetias cum creſcente morbo confligit. Neque vero criſes in omni corporum ægritudine exſpectare fas eſt, ſed in illa tantum, quæ ſubita & magna ſymptomatum mutatione ſuſpenſos tenet animos. Morboſum nempe, quod a legibus ſanitatis deſcivit, vel adſimilari vel expelli debet. Nobile eſt nec infrequens virtutis adſimilantis beneficium, quo morboſum ad inquilini & ſalutaris humoris dotes & officia redit, ac ſine ullo amplius æquabilis circuitus obſtaculo per vaſa movetur. Neque tunc, ſi hæc adſimilandi virtus deficit, ſtatim criſis imminebit. Poteſt enim morboſum illud motu febrili attenuatum perſpirando expelli, qui exitus propemodum par eſt ipſi reſolutioni, & res adflictas corporis ſine magnis turbis componit. Non ſolum vero parvi morbi, quales ſunt, in quibus tranquilla poteſtas vel adſimilat morboſum, vel ſub forma inſenſibili expellit, ſine criſi ſolvuntur, ſed & magni, quorum furore, vitales ſedes confeſtim occupante, oppreſſa Natura nihil in corporis ſui tutelam molitur. Ita tetræ peſtis adflatus quosdam, ex ſaniſſimis & nihil periculi metuentibus, in via correptos celeriter exſtinxit. Quin & inter illos morbos, quos ſenſibilis excretio morboſi comitatur, ſi lente & ſine turbis fit, criſi locus non eſt. Hoc ideo moneo, ut qui exſpectationi ſuæ jactatas veterum criſes non reſpondece ſtomachantur, intelligant, quis juſtæ exſpectationis limes ſit, extra quem inique premunt veterum obſervationum fidem, & fabulas ſibi narratas eſſe, frivole queruntur. Nempe criſes exſpectant, quæ nec veterum judicio, quod levi nimis trutina expendunt, ſecuturæ erant. Nihil vero dicta impediunt, quin morborum,

maxi-

maxime acutorum, quos criſis ſolvit. magna & reliquis notabilior claſſis ſit. Huc refer primariam Naturæ febrem, quam Th. Sydenham *c*) depuratoriam adpellat, eamque coquendo præparare & certo tempore ac critice expellere ſcribit, ſecundum Hippocratis & veterum axiomata, quæ ideo illuſtria vocat & ſcitu neceſſaria. Alii crebras in ſanandis ægris criſes ſibi occurriſſe non negant, at non immunes a recidivo malo, hinc qui tam vanæ ſpei ægrorum ſalutem committunt, merito coarguendos videri. Hos vero ſpei ſcopulos ipſa dudum indicavit ſapiens vetuſtas, & criſes, quas recidivi morbi ſequuntur, luculento indicio diſtinxit, quales inprimis imperfectæ illæ ſunt, quæ ſexto die ſine probæ coctionis ſignis incidunt. Quodſi etiam inter plurima præſagia fallat unius alteriusve fides, id mirum ei non erit, qui animo ſuo perpendit, quæ ægrotandi tum propria tum aliena culpa accidunt, & Naturam in ſuo coquendi, ſecernendi & exernendi molimine interpellant. Calidum vitæ regimen, de quo Sydenham tantopere conqueſtus eſt, quoties genium & mores acutorum morborum non pervertit? Sunt medici, qui ex imperitia turbant, quos olim Galenus dixit doties peccare, quoties ægrotos adeunt, & aliquid novi remedii præſcribunt. Nec ſola imperitia ſalutares reprimit Naturæ conatus, ſed & cum Helmontio *d*) docuerunt multi, ſpernendas eſſe criſes, tanquam ignavum Naturæ ſubſidium, & citra illud morbos in ortu oppugnandos eſſe. Hi nempe ſunt, qui arcanis ſuis confiſi, quibus omne ævum infatuarunt, ſalutem temere in hora mortis promittunt, quidni in principio morbi? Nil poteſt illa jactantia, quæ ſupra naturam ſapit, intolerabilius modeſtis ingeniis videri. Mirabiles inexhauſtæ ſapientiæ leges, quas fabricæ corporis humani, ut contra cauſſas morborum durabilior ſit, divinus digitus impreſſit, vix attentiſſimi medici ſcrutinio plene eruendas, præpoſterum inſani hominis conſilium ſine pudore violet? negligendas

c) S. V. C. VI. p. m. 250. 251.

d) Negligi criſes debere ait, quod ante illas morbus ſuperandus ſit de febr. C. XII. n. 18. Conf. L. de temp. §. 54. ubi quinque libros, quos de criticis junior ſcripſit, Vulcano ſe obtuliſſe perhibet.

das & novis illis prurientis ingenii commentis poſtponendas eſſe, perſuaderi ſibi quispiam patiatur? Quanto juſtius Sydenham *e*) tarde nobis procedendum eſſe inculcat, & plus ſæpenumero Naturæ committendum, quam mos hodie obtinuit. Errat, inquit, nec erudito errore, qui Naturam artis adminiculo ubique indigere exiſtimat, quod ſi fieret, parcius humano generi proſpexiſſet, quam conſervatio ſpeciei poſtulat. Hoc videlicet eſt, cur ex veterum præceptis unius Naturæ veſtigia premere, nunquam ſalutares ejus motus cohibere, medicæ ſapientiæ faſtigium ſit, ad quod nemo aſcendit, qui ingenio ludit, & contemta naturæ voce invertit medendi leges. Frequens ille error eſt, quo medicus oriens pro criſi ſymptoma, ſpecie ſævum, compeſcit, eoque ipſum liberantis vitæ beneficium eripit. Ita ſymptomata, quæ criticam narium hæmorrhagiam præcedunt, metuens imprudenti opera ſua efficit, ut materia morboſa a locis, ad quæ ſalubriter vergebat, repulſa carum in cerebro vel phthiſin in pulmone pariat. Tremiſcit, quando in febre acuta, per plures dies ſat commode tolerata, noctem incidere audit, in qua æger cum terrore & ſudoribus frigidis delirat. Gnarus Hippocraticæ doctrinæ medicus & occupatam in ſolvendo morboſo Naturam ex prægreſſa coctione & tempore criſi proprio judicans placido vultu tunc conſolatur trepidantes, & res ægri in vado eſſe, fidenter enuntiat. Novit, morboſum vitali motu ſubactum, coctum ſolutumque remeare in venas, & peregrino quidem ſtimulo, quem ex ſtaſi adquiſivit, turbare æquabilis circuitus tenorem, ſic autem ad loca, ad quæ ſine damno decumbit, vel per quæ opportune expellitur, aditum reperire. Nihil medico in omni hac morbi

e) S. V. C. 2. p. m. 229. Fatetur pagina præcedente, ſe in febre caput occupante, repetita venæ ſectione in brachio, cervice, pedibus, emplaſtris, veſicatoriis, enematibus, diaphoreticis aliisve omnes artis opes inutiliter conſumſiſſe, at cum nihil tentaret, quam circa juſtum vitæ regimen, lento quidem pede, ſponte tamen ac tuto malum receſſiſſe, & tandem evanuiſſe. Inter hæc & ſimilia, utinam inquit G. Switenius, hoc conſiderent medici, quibus ſolemne eſt repetita venæ ſectione omnem ſævæ febris impetum nullo diſcrimine habito ſopire. Comment. ad Bœrh. T. II. §. 604. p. 149.

morbi ſcena incumbit, quam moderari febrem, ne vel impetu deſtruat, vel languore coquat debilius, cogitare de idoneo victu, qui vires ſuſtentat, & in perſpecto Naturæ molimine vias expedire & excretionum obſtacula removere, aliquando etiam, ſi mala criſis inſtat, repugnare, ceterum quieſcere, & eximii operis, quo Natura corpus liberat, ſpectatorem eſſe, nec pati, ut quidpiam ſibi niſi innoxii officii a male flagitantibus ægris & adſtantibus, qui res ſuas negligi putant, extorqueatur. Quidquid hic alieni remedii exhibetur, periculo non vacat, dum facile aliorſum determinat, quam pro peculiari corporis indigentia excernendorum ratio poſtulat. Jo. Radcliffum, religioſe & felici criticorum Naturæ operum obſervatione clarum, Jo. Nihell *f*) teſtatur in hoc ſtatu acutorum adeo metuiſſe pharmacorum uſum, ut gravem etiam de medico quodam, cujus lene catharticum inexſpectata hypercatharſi ægrum eodem die exſtinxerat, ſententiam & pro more liberam tulerit, intempeſtive illud datum eſſe, criſin impeditam, occiſum ægrum. Hæc ſententia, inquit Jo. Nihell, viri in cognoſcendis morbis ſagaciſſimi & in artis ſucceſſu incomparabilis apud violentiſſimos etiam criſium cenſores poterit alicujus momenti videri. Quodſi igitur cum Jac. Hollerio *g*) multi non ſine ratione cenſent, ævi noſtri infrequentiores criſes eſſe quam veteris, non iis nimis repugno, modo id non tam cœli varietati, quam vivendi medendique erroribus tribuant. Natura legum ſuarum, a communi corporis fabrica pendentium, non exuit ſub alieno cœlo memoriam, non ab ingenita agendi norma deſciſcit. Habet vero Proſp. Martianus *h*), cur ob continuum refrigerantium uſum criſes noſtris temporibus parcius incidere exiſtimet, habet Vop. Fort. Plempius *i*), cur præter frigidum

f) In editis obſervationibus de pulſu Franciſci Solani de Luque Ed. Amſtel. lat. p. 91. Quo pertinet, quod Hippocrates IV. de morb. Op. Lind. T. II. p. 139. 14. inculcat, diebus criticis nefas eſſe purgans præbere, periiſſe tunc ὑπερκαθαρθέντες.

g) In Coac. Hipp. p. 398.

h) De morb. L. II. S. II. Op. Venet. p. 138. A.

i) In fundament. medic. L. V. C. XI. p. 88.

dum regimen eo crimine catharticorum abuſum oneret. Nihilominus querelæ illæ non impediunt, quo minus omnibus ad Naturæ ſcopum attentis, & ne illam in opere ſuo turbent, religioſe caventibus hodie etiam crebræ ſatis criſes occurrant *k*). Teſtes habemus oculatiſſimos in arte viros; Lud. Turetum, Proſp. Alpinum, P. Foreſtum, G. W. Wedelium, H. Boerhaavium & alios fere infinitos, quorum venerabilia nomina levi obtrectatorum manui opponere expeditum eſt. Summa, inquit perilluſtris Switenius *l*), cum animi oblectatione vidi, poſtquam Hippocratis & Galeni dogmata cum iis contuli, quæ in morbis obſervaveram, veriſſima eſſe, quæ dixerunt. Nimis longe abſumus a veterum obſervationum rigore, & lubenter, ut Celſus ait, ea præcepta amplectimur, quæ ſedulitatem non exigunt, in turba ægrotorum ad ſingula mutationum momenta nunquam veterum clinicorum more, quorum erat non multum ab uno ægro recedere, attendimus, & ad ſyſtemata, ex paucis regulis male digeſtis conflata, tanquam ad fontes veritatum recurrimus. At tam parum vitalem laſcivientis ingenii ſobolem ſæpe delevit dies & delebit in poſterum, ſcita Naturæ ſola confirmabit. Neque vero recentiorum in hoc argumento amplificando plane infœcundus fuit labor. Quo non, ut alios taceam, noviſſimis temporibus enixa eſt Hiſpani medici Franc. Solani de Luque mirabilis ex pulſu obſervatio? qui hæmorrhagias criticas ex pulſu dicroto, ſudores ex inciduo, diarrhoeas ex intermittente non ſolum, comprobante præſagium exitu, judicavit, ſed & quibus diebus, & qua vi inciderent. His nempe indefeſſis ſcrutatoribus ſinum pandit Natura, ac ſic ſenſim

k) Jac. Nihell in adnotationibus ad Fr. Solani de Luque obſervationes circa criſium prædictionem ex pulſu S. II. C. 4. p. 81. 82. 83. hanc frequentiam noſtrarum criſium & ſalubritatem ex P. Foreſti obſervatis concinne illuſtrat. Ex hiſtoriis XLVII. febrium acutarum a Foreſto enarratis elicit, ut perquam memorabile, caſus XXXVII. vel criſibus ſtipatas vel criticis diebus terminatas eſſe. Notat præterea ex XIX. ægris, qui criſes ſubierant, unicum occubuiſſe, (ſummum vocat pro critica praxis methodo patrocinium) ex XXIX. ſine criſi, XI. periiſſe. Subjicit plura, quibus criſium doctrinam fuſe vindicat.

l) Comment. in aph. Boerh. T. II. p. 54. ad §. 587.

ſenſim conſilii ſui conſcios reddit, reliquorum faſtidium non aliter vindicat, quam ut tam vagis oculis res ſuas & ſe ipſam ſubducat.

Nunquam vero a Paracelſi & Helmontii ævo tam ſiniſtrum judicium criſes noſtras exercuit, quin longe futilior fabula viſa ſit dierum criticorum, quam cum illa annorum climactericorum Plempius comparat. Ipſe Celſus *m*) Aſclepiadis placitis juſto addictior Pythagoræorum numerorum ſomnia Hippocrati, dies illos ſtabilienti, illuſiſſe autumat, a quibus certe rationis ludibriis & impoſturis nemo facile divino ſene alienior fuit. Aequius Galenus *n*) nullam ſpeculationis, ſed ſolius experientiæ fidem in hanc ſententiam pertraxiſſe Hippocratem evicit, qui attentus ad inſignes morborum mutationes, adeoque non minus ad dies, quibus acciderent, iteratique experimenti ſucceſſu confirmatus, ex liberali obſervationum penu, tanquam ipſius Naturæ libro, deprompſit, quæ tandem lex ejus, quæ conſtantia eſſet in iſto dierum delectu. Sane cum coctio fiat ſub ipſo febrium moderamine, quarum nec lædit impetus, nec languet in ſubigendo virtus, ultro ſequitur, definito tempore opus eſſe, quo Natura morboſum coquit, ſoluit, ſecernit & ad exitum præparat, nocere autem, quidquid per intempeſtiva artis tentamina, vel alios errores expulſionem morboſi, nondum ſatis cocti & mobilis, præcipitat.

m) De medicina L. III. C. 4. ubi antiquos, quod dies impares tanquam χριςίμες ſequerentur, coarguit, & doctrinam Hippocratis ut fluctuantem & probabili ratione vacuam convellit, adſentiens Aſclepiadi, qui illam ut vanam repudiavit, neque in ullo die, quia par imparve ſit, plus minusve periculi eſſe adſtruxit. Bald. Ronſſeus commentator Celſi p. m. 1592. decretum ſibi fuiſſe ait, Hippocrati contra Aſclepiadem & Celſum patrocinari, at recte adgnovit, dudum Galenum, cui Hippocrates tam verax & in dierum decretoriorum natura tam verſatus dicitur, omni ſuſpicioni vacillantis doctrinæ & parum probabilis occurriſſe. Plura ſane loca ſunt, in quibus Celſus non ſatis perſpectis utriusque cauſſæ momentis a limpidioribus Hippocraticæ doctrinæ rivulis ad turbidiores illos Aſclepiadis deflectit.

n) In L. II. de diebus decretor. C. V. ubi illud ex hiſtoriis morborum in libris epidemicis Hipp. deducit.

cipitat. Hoc igitur definitum tempus, quo Naturæ coctio indiget, ſolers veterum attentio ſub nomine dierum criticorum vel decretoriorum deſignavit, morborumque mutationes, alio tempore ingruentes, pro ſuſpectis habuit. Liquet, quid reſponderi illis poſſit, qui morboſum, nulla dierum ratione habita, utiliter expelli clamant. Quod enim nondum coctum, ſubactum & a ſalubribus humoribus ſegregatum eſt, nunquam opportune ac ſine clade virium & metu remanentis ſentinæ eliminatur, quod vero ejusmodi eſt, ut cedere poſſit, ultro & ſalubriter ſtatis diebus exundat, quos ſola obſervatio didicit, & quos ideo Lud. Duretus *o*) arbitros vocavit & judices diſceptationum Naturæ ac morbi, id nempe, quod ratum cuique eſſe debet, decernentes. Cum acutiſſimi morbi ad quartum, peracuti ad ſeptimum, acuti alii ad decimum quartum vel etiam viceſimum diem pertingant, mirum non eſt, ſavantis Naturæ veſtigia his maxime diebus, quibus coctionem ſuam abſolvit, & ad expulſionem ſe accingit, adnotata eſſe. Ergo minime diebus illis ex vana numerorum reverentia facultatem aliquam decernendi habere cenſemus, ſed quod in ſtatum acutorum maxime morborum, & ut dixi, in tempus abſolutæ coctionis incidunt. Ob variam in hoc opere moram, quam nunc rebellis materiæ genius, nunc multiplex victus & medelæ error extrahit, Galenus modeſte largitur, omnes dies criſin habere, poſſe, at maxima parte ambiguam & imperfectam, adeoque illos dies, quorum in decernendo uberior vis eſt & efficacia, ſive in quibus Natura collectis & coctione viribus & citra alieni erroris ſtimulum in ſalutem corporis inſurgit, proprie criticos adpellandos eſſe, eosque quartanario & ſeptenario numero contineri. Quandoquidem per unam alteramve imo tertiam hebdomadem acuti morbi plerumque decurrunt, in quavis hebdomade diem quartum ac ſeptimum, adeoque in altera diem undecimum & decimum quartum, in tertia decimum ſeptimum & vigeſimum *p*), tanquam poteſtate critica ceteris

o) In Hippocr. coac. prænot. p. m. 74. ad N. 143.

p) Ratio hujus calculi diſcrepat paululum in tertia hebdomade, quæ die vigeſimo non vigeſimo primo terminantur. Hippocrates binas priores hebdo-

ceteris cunctis inſigniores commendatos legimus *q*). Ad quam regulam, ſi lentius procedunt morbi, Hippocrates alterum vicenarium ſeu trium hebdomadum intervallam ſolis ſeptenariis criticis, nam quartanariorum jam elangueſcit virtus, ſimili menſura diſtinxit, qui ſunt dies vigeſimus ſeptimus, trigeſimus quartus & quadrageſimus, poſt quem, ſeptenariis etiam deletis, ſolos vicenarios dies criticos, ut ſexageſimum, octogeſimum & ſic porro numerat, in quibus languentior Natura non niſi per longas

gas

hebdomades ſeparatim ita conſiderat, ut ſecundæ primum diem vocet octavum aph. 24. S. 2. tertiæ primum cum ultimo ſecundæ conjungat, nempe diem decimum quartum. Eadem computandi ratione pergit in altero vicenario, ubi ſeptenarios numerat diem vigeſimum ſeptimum, trigeſimum quartum & quadrageſimum. Id ipſum probat, ſoli experientiæ auſcultantem non meris luſiſſe numeris, a quibus tantillus error vix oſcitantem præteriiſſet. Vidit noſter difficultatem, & eo excuſavit, quod nec annus nec menſes integris diebus conſtent. Galenus lunæ circuitum reſpiciens tres hebdomades non complecti dies XXI, ſed dimidium fere diei tempus excidere monet, adeoque criſin rectius ad diem XX. quam XXI. referri. Cur tamen Hippocrates, qui aliis locis diem vigeſimum conſtanter pro critico habet, in aph. 36. S. 4. ſubſtituit diem vigeſimum primum? Agnovit locum vulneratum conjectura eruditorum eo facilius, quod Galenus in locum illum commentatus non modo diem vigeſimum legat, nullamque diſcrepantis hic ſententiæ mentionem faciat, ſed & in comment. VI. ad aph. 38. diſerte teſtetur, Hippocratem ſemper diem vigeſimum habuiſſe criticum, non vigeſimum primum.

q) Criticorum ordinem per hebdomades vide in Galeni L. II. de dieb. decret. Op. Iunt. Cl. IV. p. 154. G. Septimus ei dies eſt potentia & dignitate primus. Mille ait criſibus ſe interfuiſſe, nec numerare omnes, qui in diem ſeptimum inciderint, poſſe. Quartis non niſi in acutiſſimis decretorius eſt, in aliis index. Decimus quartus poſt ſeptimum criſes habet numero & fide maximas, deinde vigeſimus, cui vere pares ſunt undecimus & decimus ſeptimus. In epidemia quadam, quæ plerumque conſtantiores criſes habet, vidit Galenus fere omnes die decimo ſeptimo judicatos, Sydenham in alia circa diem decimum quartum. S. I. C. 4. Bene veterum de his loca collegit Fr. Valleriola in loc. comm. L. III. C. 6. ſq. & Proſp. Alpini de præſag. vita & morte ægrot. L. 6. C. 4 & 5. Ipſe Hippocrates quæ in Epidemicis ſparſa habet, reciſis multis in regularum formam plus contraxit in prognoſticis & aphoriſmis.

gas coctionum inducias ad novam criſin excitatur. Verum fatiſcit animus remotiorum temporum obtutu & ambigit, maxima ſine dubio vis criſium in primo vicenario, dictis diebus, quarto nempe & ſeptimo ſingularum hebdomadum exæſtuat. Ex reliquis diebus, quorum criſis rara ac minus tuta eſt, Galenus *r*) coincidentes notat, tanquam inferioris ſubſellii criticos, qualis tertius, quintus & ſextus in primo ſeptenario, ſolus nonus in ſecundo, nullus in tertio eſt. Quam rem ita explicat, ut Naturæ quidem actio diebus proprie criticis ſit longe efficacior, at quoniam interdum nova vi morbi vel erroribus ægrorum ipſorumque medicorum irritatur, citius & ante debitum tempus peractamque coctionem diebus illis coincidentibus inſurgat, nunquam ſine periculo. Sic tertius dies quarti, ſextus ſeptimi, nonus undecimi criſin anticipat. Quæ criſis etſi illarum præſtantiam, quæ diebus legitimis contingunt, non attingit, melior tamen illa eſt, quæ in reliquos dies cadit, quippe a ſpe prægreſſæ coctionis remotiores. In quo ſitu dierum non prætereundi ſunt pares vel impares dies exacerbationum, quibus teſte Hippocrate *ſ*) pares vel impares criſium dies reſpondent, unde certis diebus, maxime tamen ex definitorum numero, nova auctoritas & plenior fides conciliatur. Id vero præ ceteris præſagium medici inſtruit, quod dies critici legitimi, ſi rationem judicis non habent, habeant indicis, & quid ſubſequente die critico eventurum

r) Vocat *ἡμέρας παρεμπιπτοῦσας* L. III. de dieb. crit. C. VIII. Nunquam ſine periculo ſunt ob imperfectam coctionem. At nullum in criſi obire poſt prægreſſa coctionis ſigna, teſtatur idem Galenus L. III. de criſ. Op. Iunt. Cl. IV. p. 139. D.

ſ) Epid. L. I. Comm. 3. t. 14. Pares dies numerat, 6. 8. 10. 14 &c. impares, 3. 5. 7. 9. 11. 17. 21 &c. Spectat vero aph. 61. S. 4. quo febres, niſi diebus imparibus cedant, reverti putat, ad illas ſolas, quæ diebus imparibus exacerbantur. Nam diebus paribus quarto & decimo quarto nemo veterum derogat ſummam in decernendo fidem ac dignitatem, ſine metu recidivi mali. Galenus, licet non neget in acutis crebriorem criſin diebus imparibus fieri, mavult tamen in dicto loco pro imparibus criticos legere.

rum ſit? haud fallaci fide enuntient. Talis eſt dies **quartus** *t*) **ra**tione ſeptimi, ut ſi in illo lotium rubram contrahit nubeculam *u*), quæ inchoantis coctionis ſignum eſt, bona criſis die ſeptimo inſtet. Ita undecimus dies decimi quarti, decimus ſeptimus vigeſimi index eſt. Si die ejusmodi indice ſatis notabilia adparent coctionis ſigna, vel nimis viciſſim exigua, ibi proximo die critico, hic remotiori criſin exſpectare admonemur. Hæc ſunt ſimpliciſſima doctrinæ illius lineamenta, quæ in veterum Græcorum libris implicatior diſtrahit ſæpe minus exercitatum intellectum, ceterum in ſe evidens, vera, ſalutaris & pretioſum continens doctæ antiquitatis theſaurum. Licebit eam ab adhærentibus ſubinde ſcoriis liberare, licebit, ſi placet, cœlo noſtro & moribus magis attemperare, proterve autem, quæ obſcurius cognoſcuntur, inſectari, & tanquam aliquem vanæ ſuperſtitionis fœtum rejicere, non eſt in re tam gravi ingenuorum hominum, quibus ſalus humana tam eximiis fulcris nixa curæ eſt.

t) Vim hujus judicii longa obſervatione ſe confirmatam habere teſtatur Galenus. Forte hæc ratio eſt, cur olim Aegyptii noluerint, quidpiam in morbis ante diem quartum moveri, quia nimirum clarius, quo vergat Natura, eodem edocemur.

u) Hipp. aph. 71. S. 4. confer cogitata Galeni in hunc locum.

PRO-

PROLUSIO
DE
BALNEO
INPRIMIS ANIMALI
PANEGYRI
VI. MEDICINAE CANDIDATORUM
D. 31. MENS. JUL. CIƆ IƆ CCXLVIII.
PRAEMISSA.

Mundities ſalubritas delectatio, balneorum uſum, gentibus tantum non omnibus familiarem, invexit ſtabilivit exornavit. Munditiei litare & ſordes cutaneas quotidie eluere, ut mundi cœnarent, poterat iis eo magis neceſſarium videri, qui vehementer & ſub fragrantiori cœlo, nudis præterea corporibus & ſquallori magis obnoxiis, exercebantur. Sic Nymphæ Palladis juſſu Herculi laboribus fatigato balneum parabant. Quæ neceſſitas noſtro ævo incumbit clementius, quo gymnaſticarum exercitationum mos exolevit, ac ſimilia non ſunt frigidiori cœlo humorum ad cutem ruentium inquinamenta, tunicas quoque interiores non lana, ut olim, ſed linum inſtruit. Etſi vero munditiei cura in moderatorum balneorum limite jam merito adquieſcit; multa tamen ſalubritatis momenta concurrunt, quæ eorum nimis in deſuetudinem venientium neglectum improbant. Eminet etiamnum inter ſanitatis præcepta, vias perſpirationis deterſa cute expedire, quas frequens vitium, cui in ortum obnitendum eſt, inter ipſas communis vitæ rationes occupat. Igitur balneis calidis frigidisque virtutem ſuam conſtare, etiam gelidioribus regioni-

nibus non inficiandam, facile perſuademur; & majorum noſtrorum exemplo confirmamur, quos hieme lotos eſſe calida, æſtate autem frigida aqua, Tacitus teſtatur. *a*) Nam collectæ ſenſim circa vaſa cutanea, per hiemem ſtrictiora, ſordes nil reperiunt, calido balneo præſtantius, quod ſtrictam cutem æque laxet, hærentemque ſpurcitiem abſtergat. Iisdem vaſis, quibus per æſtatem poſt diſſipatam lympham craſſiorum ſtaſis imminet, nil frigido balneo conſulit luculentius, dum liquidi exhalantis diſpendia inhibet, & relaxatis vaſis tonum corpori robur conciliat. Utrisque perſpirationis ad ſalutarem gradum revocandæ præſidiis qui tempeſtive utuntur, ſe leuiores agilioresque fieri ſentiunt, & a multis morborum cauſſis, quæ per has vias ſapienti naturæ inſtituto difflari ſolent, vindicari. Tantum proſunt calida balnea in vaſorum viſcerumque rigiditate ac ſtricturis, quantum frigida in eorum laxitate & inertia, binis certe primariis cruditatum in corpore humano emergentium fontibus. Calida inſurgentem ferocius cordis actionem reddunt placidiorem, dum poros cutaneos aperiendo, obſtruens eliquando, reſiſtentiam in extremis jam emollitis minuunt, unde omnibus fere febribus vetuſtas balnea oppoſuit. *b*) Frigida languentis cordis actionem inten-

a) de moribus Germ. XXII. Statim e ſomno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur: ſæpius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat.

b) de Medicina L. II. 17. ante Aſclepiadem timidius, dein audacius. Laudat ea Celſus ibidem in febribus certi circuitus tum ante horrorem tum febre finita; in lentis febribus, ſi lenita acceſſio. Confer, quæ de Aegyptiis habet ſub inclinatione febris Proſp. Alpinus de med. Aeg. L. III. C. 16 - 19. At longe uberius in aliis etiam morbis ſe diffundit balnei humidi & moderate calidi uſus, dum aqua expeditius ſubiens & penetrans reſerat obſtructa, ſolvit viſcida, eluit acria, laxat ſtricta, ſpaſmos doloresque ſedat, vias alvi, lotii, menſium, hæmorrhoidum expedit, & ſiccis præſertim, emaciatis, gracilibus, bilioſis, melancholicis mire prodeſt, maxime ſi triplex illud frictionum præſidium adjeceris, Aegytiis familiare, cujus P. Alpinus fuſius meminit l. c. C. 18. Ipſam mortem naturalem, quæ a ſolidorum rigiditate & exſiccatione potiſſimum pendet, ſenibus imminentem, quid vi irrorante & molliente balneorum benignius retar-

intendunt, & vim ſolidorum in fluida augent, dum laxatum & madentem corporis habitum opportuna adſtrictione roborant. *c*) Vete-

retardat? Quo ſpectavit vetuſtas balneo Medeæ, quod Aeſoni juventutem reſtituit, de quo Ovidius VII. metamorph. v. 292. 293.

> - . Aeſon miratur & olim
> Ante quater denos hunc ſe reminiſcitur annos.

c) Ita enim cor redeuntem ab adſtrictis venis ſanguinem celerius recipit, eumque ob majorem in extremis arteriis, quas frigus arctat, reſiſtentiam plus ad caput impellit, unde ſecreti copioſius ſpiritus ad vim cordis excitandam efficacius influunt, humorumque circuitum & coctionum ſecretionum excretionumque præſidia vegetius ſuſtendant. Mirum hinc non eſt, laudem ψυχρολȣσίας veterum noſtro ævo revocaſſe Jo. Floyerum, & Jo. Wynterum Anglos, J. S. Hahnium, celebrem Suidnicenſium medicum aliosve. Multos periiſſe cenſet Jo. Floyerus, qui balnei hujus ope fuiſſent evaſuri, imo ex quo deſierunt infantes ſacri lavacri undis immergi circa A. 1600. rachiticos in Anglia natos eſſe ſuſpicatur, haud melius quam aquis frigidis ſanandos. Igitur convulſis, epilepticis, bilioſis, flatulentis aquas Buxtonienſes commendat moderate frigidas, vel frigidiores S. Magni & S. Winefridii. Negari nequit, Lacedæmones æque quam veteres Germanos ac Celtas puerorum corpora, ut ad tolerandos æſtus & algores mature obdurarent, frigidæ immerſiſſe, quæ ut Plutarchi concinna dictione utar, (Op. Francof. T. II. p. 130. B.) parit δυσπάθειαν πρὸς τὰ ἔξω καὶ σκηρότητα τȣ̃ σώματος. Charmis damnato calidorum balneorum uſu per hiemem etiam frigida lavari, ægrosque in lacus mergi olim ſuaſit. Ipſe Seneca Ep. 83. pſychrolutam ſe vocat. Hecticis hæc balnea Galenus commendat L. IV. meth. med. P. Alpinus per gradus tepòris ad ea deſcendere melius cenſet l. c. L. III. C. 19. Certe in iis, qui lente adſueſcunt, & inter juſtas cautiones repetunt, tempeſtivus uſus non contemnendum præſidium promittit. Cum Valiſnerio tamen moneo, frigidam calidiorum regionum aquam, quam in ipſis paſſim monumentis Hippocratis laudatam legimus, ſub cœlo illo tepidiorem, non eſſe temere, cum noſtra multum frigidiori, hinc cautionis plus exigente, gradu communis virtutis comparandam. Tutior certe eſt in corpore per Naturam calente ἡ δεθερμολȣσία quam ψυχρολȣσία, quæ certe ἀκριβῆ καὶ τεταγμένην ἀποτόμως δίαιταν, ut iterum cum Plutarcho l. c. loquar, poſtulat, nec niſi improprie balnei nomen meretur, quippe cui nomen dedit ἡ βάλανος glans, cujus nucleus veterum cibus erat, cortex ignis pabulum, quo ſuccenſo balnea calefaciebant.

Veteres Germani, quibus aviditatem fluminum Tacitus *d*) tribuit, magna fortaſſis parte robur ſuum frigidis aquis, velut proceritatem corporum ſuorum judice Herm. Conringio *e*) calentibus debuerunt, quibus etiam ferventiori, animo indulſerunt. Hinc ad aquas Sextilias oppreſſit eos Marius, amœnitate loci & calentium rivulorum, qui ibidem ſcaturiebant, captos, cum lavarent alii, alii loti pranderent. *f*) Qui mos apud Francos ad Carolum M. duravit, teſte Eginhardo *g*) tantopere aquis calidis delectatum, ut extremis etiam vitæ annis non ſolum filios & optimates amicosue ſed & aliquando ſatellitum cuſtodumque turbam ad commune balneum invitaverit, fuerintque centum nonnunquam & eo amplius, qui una lavarentur. Verum hæc tertium balneorum uſum, cui voluptas & mollities objici poſſit, fortaſſis proxime attingunt. Ita nempe res Apollini olim ſacra, hæc balneorum medicina, poſt Pompeji maxime tempora vitiis ſeculi ſuccubuit, & a priſcæ ſalubritatis norma longe receſſit. Ipſi medico, Aſclepiadi Pruſienſi hos errores hunc luxum Roma debuit, cum antea vilis res eſſet & ſumtu ac ſplendore carens, ſolisque munditiei & valetudinis legibus adſtricta corporum ablutio, velut in illo Scipionis balneolo apud Linternum adparuit, anguſto, tenebricoſo, cui rima potius quam feneſtra erat, quo tantus vir abluit corpus ruſticis laboribus feſſum, aqua ſæpe turpida, & cum plueret vehementius, pene lutulenta. *h*) Mox ſingulis diebus toto corpore lavari cœptum

d) Hiſt. II. 93. Promiſcue in fluminibus prolui ſolere ſcribit Jul. Cæſar de bell. Gall. L. VI. C. 21. Hinc & Herodiano L. VII. 2. p. 14. 293. Germani dicuntur μόνῳ λȣτρῷ τοῖς ποταμοῖς χρώμενοι. Jactat vero in natatione non eorum modo patientiam ſed & ſtudium Mela L. III. de ſitu orbis c. 3. Medicina dudum erat natatio veterum, ubi diffuſi intra corpus humores contineri & imbecillæ partes roborari debebant.

e) de habit. corp. Germ. cauſſ. p. 93 & 94. VI.

f) Plutarch. in vita Marii v. Op. T. I. p. m. 416. B.

g) de vita & geſtis Carol. M. Edit. Schminck. pag. 108.

h) Senec. Ep. 86. Dicet alipuis, (hos, qui ita lavantur,) immundiſſimos fuiſſe. Quid putas illos oluiſſe? militiam laborem, virum. Poſtquam munda balnea inventa ſunt, ſpurciores ſunt.

ptum eſt, etiam cum non exercerentur. Hora ante cœnam erat ſolemnior, ut ſi nona illam caperent, lavarentur octava, ſi ſexta cœnæ, hora balnei quinta eſſet, etiam poſt cœnam ferventiorum aquarum ingreſſu coctionem cibi accelerari crederent. Verum nolim corruptelæ hujus hic multis meminiſſe, quæ nunc faventibus nunc lege coercentibus imperatoribus populum Romanum, & ad ejus exemplum alias gentes infecit, dum in illas balneorum undas, poſthabita omni periclitantis valetudinis ratione, ad ſolum ingenii luxum & futilem pompam adornatas, ſe pudorisque ſui ac priſcæ virtutis ac continentiæ gloriam demerſerunt. *i*)

Omne balneum maximam virtutis ſuæ partem aquæ ſimplici debet, cui tamen, tanquam benigniori vehiculo, exiliſſimos corporis meatus ſubeunti, novæ vires ex tribus naturæ regnis, non uno nomine commendabiles, ſe miſcent. Animalem materiam, quæ ob virtutem minus perennem & ſubitæ corruptelæ metum faſti-

i) Non ſumtus nepotinos & portentoſas delicias hic moror, non gemmas, columnas, picturas, marmora, ſed valetudinis, cujus ſub omni illo adparatu ſtudioſi videri volebant, atrociſſimas offenſas. Ferri quatantenus poſſunt mulierum Aegyptiarum in formæ ac pinguedinis gratiam frequentata balnea, v. P. Alpini med. Aeg. L. III. C. 15. p. 230. it. C. 16. p. 233. At iſte, de quo dixi, veterum luxus nimis exemplum præbuit, quomodo res in ſe ſaluberrima abuſu poſſit in nocentiſſimam converti. Perdiderunt hæc lavacra Titum Imperatorem, ὥς φασιν οἱ νοσηλεύσαντες, v. Plutarch. de ſanit. tuend. Op. T. II. p. 123. D. Contra Auguſtus Suetonio teſte c. LXXXII. 5. infirmitatem ſuam lavandi raritate tuitus eſt, eumque ſecutus Tacitus Imperator in ſenectute ſe validiorem ſenſit, referente Vopiſco C. XI. Nunquam vero medici difficilius obſequentes ægros repererunt, quam imperata tunc balneorum abſtinentia. Largimur hic facile, ſalutarem fuiſſe hanc lavandi raritatem, ſi cum inſano illorum temporum abuſu, non noſtrorum vel etiam antiquiorum, compares. Certe Galenus, qui infrequentia vocat Hippocratico ævo balnea (Op. Cl. VII. p. 226. G.) ſui ævi frequentiam reſpexit. Alioquin Hippocrates (Op. Lind. T. II. p. 296. XXXIII.) inter commodas præparationes quotidie balneum convenire cenſet, imo addit, φιλολουτρεύοντας non peccare, ſi bis de die laverint. Ibidem p. 295. XXXIII. ſanos homines, φιλολούτρους καὶ εἰθισμένους λούεσθαι juvari in morbis balneos lædique eo omiſſo, exiſtimat.

ſaſtidiri plerisque ſolet, paucis hic vindicabo & in potioribus claſſibus ſuis recenſebo. Vix ſane adparet, quid oportunius poſſit in laborantis corporis tutelam vergere, quam quod ipſa corporum animalium fabrica elaboratum ad ſimilitudinem iſtorum humorum, quos vaſa noſtra tanquam verum omnis vitalitatis fontem comprehendunt, jam pleniori gradu acceſſit. Quid mineralia, quid vegetabilia promere ex ſinu ſuo poſſunt, quod non, ut ſalutare fiat & congenerem cum inquilinis humoribus noſtris indolem ſuſcipiat, per longas ambiguæ coctionis moras eo eniti debet. Quilibet intelligit, me non de corpore juvenili & robuſto loqui, cui percommodum eſt, eo cibo ſuſtentari, qui virium mutantium robori reſpondet, ſed debili & ad omnem fere coctionem languente, cujus ruinas nil præcavet, quam quod ſubitam virium refectionem præſtat. Balneum animale, quod corpus humanum ſub quadam lecti communione fovet, hic tanquam ceteris præſtantius noto, maxime dum corpus ſenile debile exhauſtum cum juvenili vegeto & ſuccis vitalibus abundante ſub iisdem ſtragulis decumbit. Alterum enim ſolers obſervatio docuit, ſub halituum, quos haurit, ſpolis refici, alterum ſenſim inter diſpendia ſua emaciari. Balneum hoc vaporis eſt, quod ex ſano corpore exhalans vicini corporis ſuperficiem, tot bibulis & ſitientibus vaſis, quæ nemo hodie in dubium vocare audet, patentem, continuo rore adluit & interiores receſſus elaboratiori ſucco implet. Hoc Davidi, ſeni jam frigido & languenti novum caloris fomitem, novum vitalis pabuli commeatum, adcubitu ſane florentisque puellæ impertivit. *k*) Admirabilis videri poteſt medicorum, qui id ſuaſerunt, ſapientia, quod corpus coctionibus ſuis impar, & ab interno victus regimine parum auxili exſpectans, non animali ſolum fomento ſuſtentandum eſſe judicarent, ſed & tali, quod ex corpore vivente, humano, femineo, exundaret. Juſta eos conjectura movit, quidquid vitalis ſucci in ſeniles areſcentis corporis venas derivandum eſſet, ex corpore juvenili incorruptius, ex humano adcommodatius, ex femineo etiam ardentius rapi, & ad miniſteria corporis per proniores vias transfundi. Ob-

k) 1 Reg. 1. v. 2.

Objicient multi, excrementitium eſſe; vel certe corruptelæ ſuæ proximum, quod cutis difflat, nec poſſe illud, quod propriis ſedibus exulare Natura voluit, alienis multum ſalutis ſuo ingreſſu promittere. Verum hoc ingerendum erat animo, inter iſta florentiſſimæ ſanitatis præſidia, quæ juvenilem ætatem inſtruunt, ea, quæ excoctiſſimi humoris attigerunt faſtigium, quia in corpore vegetioris motus ſenſim degenerant, mature ejici e corpore, ſuis opibus, quibus perpetim renovatis abundat, freto. At id ipſum, quod ex penu tam liberali ſubmovetur, alio etiam bonorum humorum comitatu ſtipatum, poterit omnino alienæ indigentiæ conſulere, hoc eſt, corruptelam, quæ in proprii corporis intenſiori motu ſenſim imminebat, in languentiori alieni corporis adeo non ſubibit, ut crudis hujus humoribus permixtum ad temperiem illi ætati congruentem, data & ſuſcepta in melius mutatione, vergat. Quam rem omnino, ut monui, ſeniorum juniorumque perenne commercium confirmat, quo illi plus vigoris horum impenſis accipiunt, modo caveant cum Davide, ne quid ſui viciſſim his impendant. Clodium Hirpanum in ætate, quæ annos centum & quinquaginta exceſſit, puerorum halitu refocillatum legimus. *l*)

Sunt qui aliorum animalium viventium fotu pro humano utuntur, ut canis ventri inter ſæviora tormina incumbentis, quod remedii genus poſt Rob. Boyleum a multis paſſim commendari videas. Crebrior tamen eſt mactatorum animalium uſus, quorum calentibus adhuc viſceribus partem ſenſu metuque deſtitutam, cui conſultum volunt, admirabili cum ſucceſſu immittunt. Novi nobilem cœnobii Prezenſis virginem, aliamve laudatiſſimam matronam, Profeſſoris Kilonienſis conjugem, illam bracchii hanc crurum uſu multis annis captam cum dolentiſſima immobilitate, aliis fruſtra tentatis ſolo animali fotu, quamvis non nimis erudita manus eum dirigeret, ex voto ſuo & ultra ſpem adjutas. Nec reticere hic poſſum, quod conjunctiſſimus collega, Jo. David Kœlerus, Profeſſor hiſtoriarum apud nos celeberrimus, de optimo ſocero ſuo, Jo. Tobia Leonhardo, Præfecto Comitis de Wolf-

l) v. annotat. ad Plinii H. N. L. VII. C. 48. Dalechamp. ex inſcr. antiqu.

Wolfſtein in ſuperiori Salzburgo, inter nata de his rebus colloquia oculatus teſtis recenſuit. Ille nimirum quinquagenario major bracchii cum ſæviſſimo dolore obrigeſcentis medelam, tot annis inter ſapientiſſimos artis ſalutaris proceres fruſtra quæſitam, tandem in macello Noribergenſi reperit. Hic enim omni mane pacta cum lanionibus mercede brachium in recens mactati bovis exta vitali adhuc tepore perfuſa recondidit, idque per ſex hebdomadum circiter decurſum, hoc uno remedio cum emplaſtro veſicas excitante egregie ſublevatus. Et quem fugit illuſtre Cæſaris Borgiæ exemplum, *m*) qui in Vaticana villa cum patre Alexandro VI. Pontifice cœnatus ex lagena vini in aliorum exitium parata, fatali pincernæ errore aconitum hauſit, quo periit ſtatim pater tumidus & deformis, ipſe in mulum inſutus ſolo capite prominente periculum vitæ evaſit, exſtincto diſſipatoque per hoc balneum animale veneno.

Nec vero cognita minus ſunt ex ſanguine vel lacte parata balnea. Priora in morbis cutaneis multi extollunt, cui rei non deeſt veterum obſervationum auctoritas. Aegyptios ſolia in balineis humano ſanguine temperaſſe, pro medicina adverſus elephantiaſin, teſtatur Plinius. *n*) Conſtantino M. cujus corpus puſtulis tam tetris ſcatebat, ut luem illam medici lepræ adfinem judicarent, ſacerdotes Jovis Capitolini ſalutem promiſiſſe ſcribit Jo. Zonaras, ſi in ſanguine infantum adhuc vaporante *o*) laviſſet. Igitur collectis infantibus & couſtituto cædis die Imperator ſanguine puerorum loturus Capitolium adſcendit, at matrum ejulatu motus liberos in ſinum earum cum præmio reſtituit, & impie-

m) v. P. Bayle diction. crit. ſub titulo Hadriani VI. p. m. 670. T. II. ubi ex Mezeray abregé chronog. T. IV. p. 434. hanc medelam citat. Franz. Guicciardinus in hiſt. Ital. L. VI. p. m. 201. id tantum ſcribit optimis & ei veneno adcommodatis remediis uſum Cæſarem vitam conſervaſſe.

n) Hiſt. nat. L. XXVI. c. 1. Ed. Hard. T. II. p. 391. 8. Cum in reges hoc malum incidiſſet, populis funebre vocat, non obſcuro judicio, ſanguine & cæde civium regibus conſultum eſſe.

o) ἐν παίδων νηπίων ἀτμίζοντι αἵματι. v. Annal. LXIII. Ed. du Freſne T. II. p. 3 & 4.

pietas facinoris evidens eſt, inquit, eventus incertus. Improbum ſine dubio fuit ſacrorum hominum conſilium, quod multorum cæde unius ſaluti dubia medicina conſuluit, a cujus detergente virtute, quam in oculorum morbis Chirurgi jactitant, ſi tantum præſidii exſpectandum fuiſſet, poterat ſine dubio vilior animalium ſanguis minori cum dedecore impendi. Horret Naturæ ſenſus ad tam prodigioſam medicinam, velut internum ejus uſum in epilepticis ſub gravi cenſura Nic. Tulpii *p*) improbat, & damnatis olim ad carceres & mortem lethalia illa pocula deſtinavit. Benignius judicium lactis balnea merentur, quamvis prodigentiæ ſpeciem hic aliqui objiciant, & alimoniam tam eximiam omnibusque gentibus communem inter cutaneos fotus abſumi indignentur. Aegyptiis, quorum lautior res fuit, familiaria hæc ex lacte camelino vel aſinino vel caprino balnea fuiſſe, ex teſtimonio Profſp. Alpini edocemur. *q*) Speciatim ex lacte aſinino non citra rationem Poppæa credidit, extendi cutem, erugari, tenereſcere & candorem cuſtodiri, hinc ſemper in itineribus ſuis aſinarum greges habuit comites. Quingentas Dio Caſſius, *r*) quæ proxime peperiſſent, aſinas numerat, quarum quotidie mulctarum lacte lavari voluit formæ & nitoris ſtudioſa. Nec noſtri ævi mihi ignotæ ſunt feminæ, quibus non ſimili quidem at magno lactis impendio illa cutis teneritudo & mollities conſtitit. Parum autem beneficii eſt, quod leviſſimus hic humor in aſperitate & rigiditate cutis promittit, majoris adhuc momenti eſt in humorum interna ariditate, acrimonia & æſtu. Mich. Ettmüllerus

p) Obſ. med. L. 4. O. 4.

q) Med. Aegypt. L. IV. C. 15. circa finem.

r) Hiſt. L. LXII. circa finem p. m. 317. Ita Plinius ſcribit H. N. L. XI. c. 41. Ed. Hard. T. I. p. 637. 12. quingentas fetas ſecum traxiſſe, balnearum etiam ſolio totum corpus illo lacte maceraſſe. Paulo aliter l. c. p. 474. 11. ad Poppeæ inſtitutum provocans quasdam ait ſeptingenties quotidie cuſtodito numero fovere. Harduini judicio ib. p. 491. ad N. 34. vox ſeptingenties non ad aſinarum, quarum alium calculum ſuperius iniit, ſed fotus numerum reſtringenda eſt. Mira cutis fovendæ adſiduitas, quæ diem fere abſumſit! Luſit quoque in Poppæam Juvenalis Sat. VI. v. 466. 467.

rus a Galeni tempore in phthiſicis & hecticis maxime celebratum remedium adpellat balneum lactis, ipſe ſigillatim in atrophia ſcorbutica magnam de ejus ſalubritate ſpem injicit. *s*) Zacutus Luſitanus juvenem veneris exercitiis exhauſtum & ardore urinæ ipſaque jam extrema tabe laborantem balneo tepido ex lacte cum amygdalinis ſanavit. *t*) Certe tepor recens emulcti lactis ſpiritibus dives partem blandiſſimi & elaboratiſſimi alimenti intro diffundit, magno tabidorum ſolatio, quibus a virtute vegetabilium emolliente nunquam par præſidium exſpectandum eſt. Addo vulgare experimentum faciei ab erumpentibus variolis vindicandæ, ſi calenti lacti bubulo pedes infantum immerguntur, quod ſucceſſu non carere Sylvius adfirmat. *u*) Nec omittere ex numero balneorum animalium poſſum Laconicum illud coriariorum, celebre in quibusvis artuum doloribus judice Luca Schrœckio. *x*) Egregie id profuiſſe

s) Colleg. formul. præſcrib. S. II. C. 4. §. 9. ſ. Op. T. IV. p. m. 497.

t) Prax. med. admir. L. II. O. 79.

u) prax. med. app. Tract. I. §. 76. p. m. 621. Putat formæ ſic conſuli, at pedum dolores & debilitatem a variolis huc turmatim ruentibus metuit. Ex contraria ratione improbat Isbr. Diemerbrœck, & nunquam magis in facie emerſiſſe puſtulas quam uſu ejusmodi ex lacte pediluvii, binis exemplis confirmat. Vidit domicellam 20 annorum toto corpore bene tectam ex conſilio mulierculæ pedes e lecto pendulos & vaſi ſubjecto, quod lacte dulci calido plenum erat, a matutinis horis ad veſpertinas usque immiſſos habuiſſe idque dicto ſucceſſu, quem in alia etiam vidit. Ipſe admiſſum ſub hoc fotu frigus arguens, quod ad loca ſuperne cautius tecta repulit, vix poterat hunc ex lacte fotum excluſo frigore damnare. Præeunte Sydenhamo & ſæpius monente, omne periculum variolarum a puſtularum frequentia & numero in ſola facie æſtimandam eſſe, ſaluti ægrorum, non ſoli formæ, ſub molliente pedum fotu proſpici exiſtimamus. Lemery in hiſt. de l'Acad. Royal. des ſciences A. 1711. p. 38. VIII. balneo calido laxavit cutem, quæ durior variolas erumpere prohibuit, ut mox affatim emergerent. Scite omnino & virtuti fotus determinantis convenienter! vix meruit praxis extraordinaria & audax adpellari, velut ibidem mentione ejus facta adpellant.

x) Ephem. N. C. Dec. I. A. 6. & 7. O. 229. p. 338. ubi virginis arthriticæ meminit, quæ nec ſedere nec loco ſe movere præ dolore atrociſſimo potuit, jam vero e lecto in rhedam, hinc in ſudatorium illud, extra urbis

fuiſſe homini nunc arthritide, nunc etiam ventris doloribus & hæmorrhoidibus laboranti, Vitus Riedlinus teſtatur. *y*) Balneo ex limacibus, cælo pluvioſo per hortum repentibus, levamen inſigne in procidentia alvi, & inteſtini in ſitum ſuum reducendi obſequioſam flexilitatem ſenſit epiſcopus quidam, cujus J. P. Albrechtus morbum deſcripſit. *z*) Quodſi molliendo & demulcendo amicum ſe præbuit hoc balneum longe crebriorem in contumacioribus morbis opem diſcutiendo nervosque roborando præſtitit balneum e formicis. Vidi eximium lavationum illarum ſucceſſum, quas formiceta in ſylvis circa arbores reſiniferas ſtudioſe collecta inque ſacculos incluſa & decocta adornarunt. Crato in hydrope laudat, plerique in paralyſi & vaga arthritide. Meminit Sim. Schulzius hominis, cujus nec pes nec manus officio fungi potuit, at quotidianus ille fotus ex formicis & earum myrmecio in aqua decocto præſens auxilium & mox conſtans adfectis partibus robur attulit. *a*)

Singularis balnei animalis virtus, & in ſuo genere prope unica, ac ceteris mirabilior fuit, quæ olim ad piſcinam ſeu lacum Betheſdæ exſtitit. *b*) Eam, tam divinæ ſalubritatis, ex viſceribus victimarum, quarum tot millia ſolemnioribus maxime diebus mactabantur, ablutis natam eſſe, jam olim inter plures recepta ſen-

urbis moenia ſitum, delata mox regredi domum & ſcalas adſcendere valuit, omni dolore poſt iteratum balnei uſum ſopito. Eſt vero locus cerdonibus ad exſiccandos corticès abiegnos vel quernos, quibus ad præparanda coria bubula vtuntur, inſerviens, vulgo Lohbad.

y) lin. med. A. 1697, Apr. O. 14. p. 236. & O. 29. p. 274.

z) Eph. N. C. Dec. III. A. 9. & 10, O. 7. p. 17. Medico Rottendorfio, paulo poſt aliud remedium, lepidius quidem at vix tutius, quo elapſum inteſtinum excitato terrore repulit, adhibente.

a) Eph. N. C. Dec. I. A. IV. & V. O. 128. p. 137.

b) Jo. V. 2. ad 9. Neque vero tam ſancti teſtis fidei quidpiam derogat ſilentium reliquorum Evangeliſtarum & antiquiorum in ſacro codice temporum, vel etiam Joſephi & Philonis, quorum ſenſim temporibus, ut ipſa ſacrificia, ſic pendentes ab iis aquæ virtutes deſiiſſe videri poſſunt.

ſententia fuit, teſte Theophylacto, c) hodie per Henr. Hammondum renovata. Non eſt, cur ei Herm. Witſius d) objiciat, ab Hebræorum inſtituto alienum fuiſſe, ut viſcera victimarum extra templum lavarentur, ex hujus enim conclavi lavatorio potuit in vicinum lacum Betheſdæ aditus patere. e) Cum Hieronymus geminum hujus piſcinæ lacum deſcripſerit, alterum pluviis aquis refertum, alterum tanquam a cruentis aquis rubentem, ob victimas in ea lotas, ſunt, quæ perſuadent, lavatorium illud templi ex uno lacu per ſiphones accepiſſe aquas, in alterum ab opere lotionis remiſiſſe. Jam Mart. Chemnitius, f) quod templo propter victimas multa aqua opus eſſet, eam per canales adductam eſſe conjecit, & J. C. Wagenſeil g) non ſpernendos dicit, qui aquas Betheſdæ ex templo prodiiſſe adſeverant. Subjicit, haud difficulter ſe adſentiri, aquas têmpli poſt dictam ſacerdotum ablutionem e labro æneo manantes ſtagnum ejusmodi feciſſe. Ita Adr. Relandus citata Hieronymi ſententia haud improbat conjecturam, undas a lavacro hoſtiarum reſiduas collectasque, tanquam ſanctas & ſalutares, in proxima urbis loca deductas eſſe. h) Unde & no-

c) *δύναμίν τινα θειότεραν* accepiſſe aquam cenſuerunt *ἀπὸ μόνȣ τȣ͂ πλύεσθαι τὰ ἐντόσθια τῶν ἱερείων.* Negat vero ipſius Theophylacti adſenſum Gottfr. Olearius in cogit. de mirac. piſcin. Betheſd. §. 10.

d) Miſcell. T. II. exercit. XI. §. 54. ad 60. Si aliis, inquit p. 317. ignorare licuit, plane ab Hebræorum inſtitutis abhorrere, ut exta victimarum extra templum lavarentur, Hammondo in tanta littera luce non licuit, ſimul ex Lightfooto cubiculum templi lavatorium, לשכת המריחין deſcribit.

e) H. Hammondus in annot. ad. N. T. p. 147. piſcinam in templi ambitu quærens ex Benjamini itinerario & plenius ex Brocardo recenſet, in area templi contra aquilonem portam gregis, eique a ſiniſtra piſcinam ſitam fuiſſe, in qua hoſtiæ lavabantur. Sic N. C. Radzivil de peregrinat. Hieroſol. Ep. I. p. 84. non quidem in templo at prope illud collocat piſcinam.

f) Harm. Evang. T. I. C. 45. p. m. 352.

g) L. ſota & quidem in excerptis Gemaræ C. 1. p. 307. 308.

h) palæſt. L. III. p. 856.

nomen בית אשרא *i*) domum effuſionis notat, ſeu ſcaturiginem aquarum, non loci illius propriam, ſed aliunde ortam, quæ vocis origo inter multos Chemnitio, Bocharto, Wagenſeilio placuit, nec diſplicet Relando. Propterea non miror, fontem tanta adhuc virtute animali hoſtiarum calentem, quippe in proxima loca tempeſtive effuſum, & pro pleniori partium miſcela turbatum triplici maxime infirmorum claſſi, nempe *τυχλῶν*, *χωλῶν*, *ξηρῶν*, quorum luculenter genus nervoſum laborat, profuiſſe, & quia animalis hæc virtus cito cum calore aufugit, & vappam inertem, immo mox putrem, relinquit, iis tantum, qui primum ingreſſi ſunt, ſalutem attuliſſe. Quæ omnia etſi plerisque dubiis contra naturalem poteſtatem motis haud ambigue ſatisfaciunt, *k*) minime tamen coarguendi ſunt, qui graviſſimis viris, Herm.

i) Pluribus tamen poſt Scaligerum & Grotium vox illa derivatur בית חסדא, quaſi domum gratiæ & charitatis dixeris, ſeu noſocomium, ob divinam humanamque opem ægrotis hic deſtinatam, qui in quinque porticibus, quibus ad piſcinam aditus erat, opportunum tempus in aquas agitatas deſcendendi exſpectabant. Cel. Trillerus originem mavult a voce ביא אשתא, quod domum ignis & quaſi thermas notat, quædam ad id modeſte monente I. C. Wolfio in cur. philol. & critic. in Evang. p. 836. Nihil hic moror conjecturam Lightfooti in Chronic. temp. S. 24. Op. T. II. p. 18. ubi ex Joſepho de bello L. V. C. 13. cum Nehem. c. 3. colligit, piſcinam Bethesdæ primum per Salomonem factam piſcinam Salomonis audiviſſe.

k) Objiciunt ad enervandam naturalis virtutis & fulciendam miraculi fidem, ſtato tantum tempore has aquas ſalutares fuiſſe, nec prius quam ab angelo commotas, & tunc in uno tantum ægro primum ingreſſo morbum, quocunque demum laboraverit, ſuſtuliſſe, quod de nulla medicina per naturæ vires limitata ſperare fas ſit v. Witſii miſcell. l. c. p. 318. Reliqua quæ opponuntur, tanti momenti non ſunt, ut hic naturæ poteſtatem adgnoſcere prohibeant, quam præ ceteris Th. Bartholinus in hyſt. paralyt. N. T. Opuſc. ad hiſt. & philol. ſacr. faſc. V. p. 390. ſq. ex ſola balnei virtute derivavit, cujus an ex victimis increverit efficacia, nec adfirmare nec negare vult l. c. p. 410. Liceat quæ ad priora illa dubia, non levis prima ſpecie momenti, reſponderi poſſint, ne quorundam auribus moleſtus ſim, paucis & modeſte indicare. Ad primum, nempe non perpetuam fuiſſe ſed *κατά καιρὸν* conſpicuam aquæ ſalubritatem, regerere promtum eſt, non ſub paucis victimis, quæ quotidie, ſed co-

Herm. Witſio, Gottfr. Oleario, Jo. F. Rus, J. C. Wolfio aliisque judicium ſubmittunt, & divinæ virtutis acceſſionem, quæ in regimi-

copioſis, quæ diebus feſtis majoribus mactabantur, aquam animali illa vi penetrari ac perfundi potuiſſe. Hinc Cyrillus aquam in magnis feſtis turbatam eſſe ſcripſit. Quo tempore paralyticus eluſam ſpem ſuam per alterius celeriorem in aquas deſcenſum Chriſto nuntiabat, erat ἑορτὴ Judæorum, paſcha, ut plerique poſt Chryſoſtomum cum Lightfooto, vel pentecoſte, uti cum Cyrillo autumant, vel qui acutior eſt Bernh. Lamy & Jo. d'Outrein calculus, dies purim, ſeu dies XV. menſis Adar, qui A. C. 32. in ſabbathum, cujus in textu mentio fit, incidebat. Adeoque tempus erat, quo copia victimarum aquas majori virtute animali imprægnatas promittere poterat. Cadit igitur J. Witſii l. c. p. 318. judicium, præfectos templi dementiæ vel impietatis reos videri poſſe, quod non in omni ablutione victimarum, beneficio illo aquæ turbatæ, ſi naturale fuerit, frui miſeros voluerint. Alterum, quod objicitur, non niſi ab angelo commotas aquas ſanaſſe, nititur Joannis I, v. 4. Hammondus miniſtrum a ſacerdotibus miſſum, qui turbaret aquas, idque ægris denuntiaret, per angelum intelligit. Ita forte turbare nihil aliud fuit, quam animalis lixivii aditum ad lacum Bethesdæ aperire, cujus quippe aquas ab interluentibus turbari oportuit. Sanus non ſim, inquit Th. Bartholinus l. c. p. 398. ſi ex toto contextu veri angeli mentio exſculpi poſſit. Ipſe p. 396. vim naturæ a Deo inſitam ſive externam internamque ventorum commotionem intelligit, ideo ægros non angelum ſed illos motus aquæ exſpectaſſe, nec Nonnum in ſuo ad Joannem paraphraſi angelum nominare. Quin & verſiculus ille de angelo turbante in multis codicibus N. T. exulat, ut illo Bezæ Academiæ Cantabrigienſi legato. Dubitat ipſe Jo. Millius in prolegom. ad N. T. Græc. ex Edit. Küſteri p. 45. n. 433. an locus ille in vulgati Græcis exſtiterit? addit in multis pervetuſtis deeſſe, in græcis vero nonnullis ad marginem adſcriptum reperiri, unde forte in alia exemplaria irrepſerit. Fateri tamen ipſe cogitur, in corpus contextus ante Tertulliani tempora receptum eſſe. At quis noſtrorum codicum illud ævum attingit? Argute Jac. Haſæus in Bibl. Brem. Cl. II. p. 1043. quomodo excidere hic verſiculus ex quibusdam exemplaribus potuerit, ſuſpicatur. His vero conceſſis nihil cauſſæ derogamus. Tertia difficultas, primo tantum ægrotorum aquas ingreſſo ſalutem adfulſiſſe, a Th. Bartholino ita ſolvitur, ut non tam ordinem quam tempus ſpectans primum ingredientium numerum intelligi velit. Id reſponſi Gottfr. Olearius l. c. §. 19. φάρμακον σοφὸν vocat & callidum, adeo non audet tanquam communi linguæ uſui repugnans damnare, querelam tamen paralitici opponit, qui quod

gimine Judaicæ gentis tam mirabiliter ubivis eluxit, etiam hic adgnoſcunt.

Improprie magis, nec tamen fortaſſis huic loco incongruenter balneum animale dixerim, quo impigra ingenia in curſu ſtudio-

quod alius in aquas deſcendens prævenerit, cauſſam irritæ exſpectationis ſuæ adpellat. Verum hæc dicendi ratio a prima illa non diſcrepat, quod nempe ſub priorum ingreſſu exhauſta virtus vappam reliquerit. Vbi illud, quod opponere pergunt, nimis exile eſt, ab iterum turbata aqua cujus jam exhalauit virtus, reſuſcitari ſalubritatem potuiſſe. Igitur ὁ πρῶτος ἐμβὰς, id eſt, quilibet ſtatim & primum ingreſſus, quod non de uno intelligere neceſſe eſt, ex morbo ſuo convaluit. Et quis neget, potuiſſe plures ſimul ingredi, imo quod ſcirent periculum in mora eſſe, veroſimiliter ingreſſos, per plures portas, ut Adrichovius ſuſpicatur, ad piſcinam patentes. Nec enim placent anguſtiæ loci, quas præter neceſſitatem Hammondus finxit. Reſtat ultimum, omni morbo hanc medelam ſuffeciſſe, in quo reſponſio Hammondi minus laborat. Nam verſiculus tertius in Cap. V. Joannis tres claſſes morborum recenſet, igitur verſiculus quartus, qui primum ingreſſos ſanatos dicit, quocunque morbo laboraverint, ut cum priori concilietur, ita eſt reſtringendus, quocunque morbo ex enarratis laboraverint. Quid enim opus erat, tres præciſe morbos enumerare, quos profligavit lavacrum illud, ſi profligavit omnes? Sunt autem tres illi morbi omnino ejusmodi, ut in iis ſanandis maxima vi nervina opus ſit, nusquam certius quam ab hoc balneo animali exſpectanda. Conſtat, nutritionem corporis & vigorem motuum nervis deberi, maxime a cerebri nervis organa ſenſuum & motus voluntarii robur ſuum nanciſci. At τυφλῶν, χωλῶν, ξηρῶν, quorum textus meminit, lavacro noſtro ſanatorum, quæ major eſſe potuit quam nervinæ hujus virtutis indigentia? τυφλοὺς illos intelligo, qui ſenſibus laborant, quorum princeps eſt viſus. Hinc Hippocrati τυφλώδης lentum, torpidum, malum, ſtolidum, ſtupidum notat, quod ſenſus omnis, ſive internus, ſive externus ſit, labem & hebetudinem exprimit. v. Hipp. de morb. vulg. L. II. edit. Fœſ. p. 1138. F. p. 1046. C. (licet contra adſenſum codicum tantum non omnium hic malit Fœſius τυφώδης legere.) Certe in ipſis oculorum vitiis balnea laudat Hippocrates Aph. 31. 5. 6. Galenus II. de diff. febr. Ed. Junt. Cl. 3. p. 41. G. it. 3. meth. med. Cl. 7. p. 17. D. Vitia motus voluntarii exemplum χωλῶν claudorum vel contractorum præ reliquis arguit, quibus omne ævum balnea tanquam principem medelam oppoſuit. Nutritionis vitia per ξηροὺς, ari-

diorum ſuorum deſudant. Honeſte ſub illa virium contentione, quæ publicis commodis litat, ſudores illi diffluunt. Mundiores, qui in ſqualore ignorantiæ vixerunt, ex balneo egrediuntur, & athletharum more ad novam pugnam agiliores.

aridos & emaciatos indicari liquet, ſimilis auxilii inopes. Alii codices docente Millio παραλυτικὸς legunt, quibus flaccida membrorum immobilitate laborantibus infauſtus comes eſt atrophia, nec vero majus quam in fotu animali præſidium. De eximio autem balneorum uſu in maraſmo & hectica conſuli poteſt ipſe Galenus VIII. meth. med. Cl. VII. p. 65. D. ib. p. 91. G. it. Cl. III. p. 44. E. p. 47. E. Fortaſſis ex parte oppoſita occurrunt, quæ miraculi magis fidem premunt. Piſcinæ alicui conſtantis per ſtata tempora miraculi vim tribuere, ſalubritatem a movente Angelo collatam ad unius ſalutem adſtringere, (id enim ipſi urgent) cum turbatas illas aquas, id eſt divina virtute jam vere imbutas, reliqui æque miſeri, æque opis cupidi, æque ad momentum turbantis angeli attenti fruſtra intraverint, non unum injicit ſcrupulum. Nec gloriæ miraculorum Chriſti, quæ docere omnes & convincere debebat, quod eſſet ὁ ἐρχόμενος, convenire videtur miraculoſæ piſcinæ ſocietas, inprimis in illo ſilentio miraculorum poſt Malachiam per quadringentos annos ad Chriſtum usque. Nam quæ de Zacharia & ejus uxore Gottfr. Olearius objicit, ipſam ſpectant venientis Chriſti hiſtoriam. Hinc Rud. Gualterus homil. 34. in Joan. veteres Judæos de naturali virtute piſcinæ perſuaſos dicit, & ex hac ratione nihil de miraculo illo in ſcriptis ſuis reliquiſſe. Addo illud Hammondi l. c. p. 249 ſi miraculoſa hæc ſanatio fuit, ad Chriſtianam religionem nil facit, quandoquidem ante Chriſtum conceſſa Judæis & conſervata fuit hoc ipſo tempore, quo Chriſto adverſabantur. At nimis proſequor hanc balnei ſpeciem.

PRO-

PROLUSIO
DE
JEJUNIORUM AC NIMIAE SOBRIETATIS NOXIIS,

PANEGYRI
V. MEDICINAE CANDIDATORUM
d. 28. MENS. AUG. 1752.
PRAEMISSA.

Virtutum & vitiorum confinia, non niſi ad juſtos limites revocata, attentior oculus diſcernit. Ita vereor, ut ſobrietas, quam cuſtodem vitæ Plato dixit, niſi certis circumſcripta terminis, meriti hujus menſuram impleat. Certe veram ſobrietatem, quæ neceſſarium alimenti & virium commeatum nunquam corpori intercipit, lædunt haudquaquam, qui fami tempeſtive monenti auſcultant, ſive mucidum ille panem & crudum olus Diogeni, ſive lautiorem cibum Ariſtippo offerat *a*). Lædunt autem, qui inedia & jejuniis, etiam ſub pietatis ſpecie, corpus emaciant, ejusque vigorem, ſine quo vigor animi non ſubſiſtit, temere labefactant. Si quis occurrit hac temperantia ſibi placens, ejus miſereri Philo jubet, & docere, inutiles has vexationes eſſe, dum fame atque aliis moleſtiis corpus & animam ſimul opprimunt.

a) Ariſtippus non minus temperans habitus eſt quam Diogenes, quod adverſus voluptates probe munitus, ne in ipſis quidem ſi verſaretur, uri poſſet aut liqueſcere. v. Maximi Tyrii diſſ. XXXVII. p. m. 375. Minus nempe eminet temperantia, quæ ſui periculum non fecit.

munt *b*). Abſit, ut luxui frena laxem, & ingenioſæ gulæ blandimenta inter tam funeſtos in opere ſanitatis errores excuſem. Neque tamen in contraria euntium fero ſententias, qui, ut cum Guid. Patino loquar *c*), jejuniorum ſtultitia cœlum petunt, & *πολεμεῖν τῇ γαστρὶ d*) rem eſſe cenſent, quæ omnium virtutum ſemina comprehendit; cum ſerenam potius mentem obfuſcet, ſedem ſapientiæ cerebrum atræ bilis halitibus inquinet, ac triſtia illa corruptæ pietatis ſomnia inſpiret. Nemo famem, cujus ſtimulos Natura ad indigentiam corporis reſtrinxit; nemo obſequium noſtrum, quod, ſi ſalvi eſſe cupimus, fami præſtandum eſt; nemo officium ventris, quod novos corpori colonos, qui in abeuntium miniſteria ſuccedunt, luſtrat & neceſſariis dotibus inſtruit; tot ſine limite convitiis merito onerat, vel oratorum commendat ineptias, qui ventrem nunc magnum hominum malum *e*), nunc charybdin vitæ *f*), nunc etiam orcum *g*), vel ſi quid deterius ſcirent, gravi ſupercilio adpellant, immo mulctam olim prominulo juvenum ventri, tanquam ſic intemperantiæ ſatis convicto,

b) Sunt *ἀνήνυτοι καὶ ἄτρυτοι πόνοι, λιμῷ καὶ ταῖς ἄλλαις κακώσεσι ψυχὴν καὶ σῶμα ἐκτραχηλίζοντες.* Sic judicat in libro, de eo, quod deterius potiori inſidiari ſoleat. Oper. p. m. 157.

c) Tom. II. Epiſt. 407. Edit. Pariſ. 1692. feſtive addit: la vie de l'homme eſt aſſes courte, ſans ſe couper la gorge par devotion. Deplorat collegam illo jejunio pereuntem, vocatque une devotion meurtriere.

d) Quod ſibi olim per luſum Julianus Imperator tribuit, tanquam gravem & ſtultum a puero errorem. In Meſopog. Op. Edit. Spanh. p. 340. B. At difficile eſt *Φιλονεικεῖν πρὸς γαστέρα ὦτα μὴ ἔχουσαν*, ut Cato dixit apud Plutarchum de Sanit. tuend. Op. Francof. T. II. p. 131. D.

e) *μέγα γὰρ ἀνθρώποις κακὸν ἡ γαστήρ.* Alexis apud Athenæum L. X. deipnoſoph. Op. Lugd. p. m. 422. A. ubi etiam verba Euripidis; *ταλαιπωρότερον οὐδὲν ἐστι τῆς γαστρός.*

f) *ἡ γαστὴρ ὁ χαρύβδις τοῦ βίου.* Diogeni Cynico dicitur apud Laertium L. VI. ſegm. 51. Edit. Meib. p. 340.

g) *τὸ μίασμα τῆς σαρκὸς καὶ ὁ τάρταρος*, apud Plutarch. in Conviv. VII. ſapient. Op. T. II. p. 159. B.

victo, ſancitam ſuis ſuffragiis extollunt *h*), vel morem gentis laudant, quæ mortuorum extraxit ventriculos, & quaſi omnis in vita erroris miniſtros adverſo ſole abjecit inſepultos *i*). Futili hoc verborum adparatu ſi ſolam intemperantiam damnant, nihil ultra vulgaria morum præcepta ſapiunt. Nec vero fas erat, Naturæ ordinem & beneficia cum humanis confundere vitiis, & hæc vel illa ad idem cenſuræ tribunal vocare.

Dedit nuper operam vir clariſſimus, Sal. Ern. Eug. Cohauſen *k*), ut decreta eccleſiæ pontificiæ in ſervandis jejuniis *l*), illo in-

h) Mulctatus juvenis προγάϛωρ præſcriptam cinguli menſuram excedens. v. Strab. Geogr. L. III. Edit. Caſaub. p. 137. l. 30 40. de Gallia transalpina. Iſ. Caſaubonus in not. p. 79. commune Gallis cum Lacedæmoniis inſtitutum vocat ex Athen. L. XII.

i) Solon Aegyptiis tribuit apud Plutarch. l. c. p. 159. B. Confer hujus Orat. de carnium eſu. Op. V. II. p. 996. E.

k) in diſſ. comment. in epiſtolam S. P. Benedicti XIV. de jejunio quadrageſimali, cum directorio medico de dandis pro diſpenſatione jejunii atteſtatis. Francof. ad M. 1751.

l) Habent & noſtræ eccleſiæ ſtata jejunia, ut apud nos die veneris ante paſcha, die mercurii ante alios dies feſtos majores. In his æque quam aliis, in publico luctu & rerum diſcrimine extra ordinem inſtitutis, præcepta pœnitentiæ cum jejuniis conjunguntur; ſed ſine pœnis propoſitis, ut vim magis conſilii quam perfectæ legis habeant. v. perill. olim Viri Juſt. Henning. Bœhmeri diſp. de jure circa jejunantes abſtinentes & jejunos §. 48. p. 41. Moſis, Eliæ, Chriſti exempla quis huc, tanquam imitari poſſit vel debeat, temere trahat? Spuria eſt Ignatii epiſtola, quæ jejunia exemplum politiæ Domini continere ſcribit, ut ſolide contra Baronium evicit F. Spanheim hiſt. eccleſ. T. I. S. II. C. X. & XI. Ipſe Chriſtus noluit jejunos dimittere, qui ad ſe audiendum adfluxerant; noluit ſuos jejuniorum jugo adſtringi, quod tolerabant Johannis & Phariſæorum diſcipuli; licet deinde apoſtoli, quoties ſe ad graviora negotia præpararent, id ultro inter jejunia facerent. Act. XIII. 2. 3. XIV. 23. Traxit eccleſiæ tempeſtas multos proborum hominum ſponte ad jejunia & preces, citra humanum imperium, citra opinionem meriti, citra aucupium gloriæ. Hæc ad Chriſtianam libertatem pertinent, quam etiam contra doctrinam Montani, prima hic vincula injicientis, priſca eccleſia propugnavit. Diſerte adſertor alioquin jejuniorum Auguſtinus in epiſt. 86. ad Caſulan. Op. V. II. p. 389. C. quibus diebus, inquit, non jejunare & quibus jejunare oporteat, præcepto domini vel apoſtolorum non

inprimis quadrageſimali *m*), tanquam animis hominum & corporibus ſaluberrima, etiam medicis rationibus firmaret. Dum Dei arcem,

non invenio definitum. Magis etiam in epiſt. 119. ad Januar. Op. V. II. p. 577. B. damnat ex 1. Timoth. 4. v. 3. delectum cibi, & monet, ne irritam in ſe gratiam faciant, qui in libertate vocati ſunt. Luculentius adhuc Socrates Hiſt. eccl. L. V. C. 21. p. 697. ubi Paulum & Evangeliſtas negat jugum illud impoſuiſſe, addit, inter Chriſtianos quidem dies ejusmodi obſervari, ſed ſine præſcripto ac pœna legum. Cumulat, poſt Baronium Natalis Alexander T. III. hiſt. eccleſ. diſſ. IV. art. 2. Patrum dicta & laudes abſtinentiæ, ſed illa ex parte ambigua, has ambiguas nunquam, niſi quod externarum legum jugum reſpuant. His ſoluti grex ventri ſuo natus illis videmur, qui tamen non improbamus jejunia, modo libera ſint & ſine fiducia meriti, nec mergant vires corporis & animi ſimul.

m) Perantiquum eſt jejunium paſchale, primum ſolo die veneris vel etiam ſaturni ante paſcha, dein pluribus, ſenſim ad XL. dies ſeculo IV. celebrati ſolitum, ex ſpontaneo inter ſe piorum conſenſu. Vix publicum hoc inſtitutum ſub primis eccleſiæ fatis eſſe potuit. Privata multorum ἄσκησις fuit, nihil comedere diebus illis inter exercitia pietatis peractis, ad horam usque nonam, quæ nobis tertia poſt meridiem eſt. & in primam veſperam incidit; elapſo autem hoc termino parce & ſobrie cœnare. Hæc abſtinentia dicebatur appendix præcedentis jejunii, ſed nondum in delectu cibi legem imponens. Teſte Socrate l. c. L. V. c. 2. ut numero dierum ſic ipſis cibis diſcrepabant, alii ab omni animato præter aves & piſces, alii etiam ab his, alii præterea ab ovis, immo fructibus arboreis, caſeo ipſoque pane abſtinebant. Ex hac conſuetudine, quam crebris ſui experimentis auſteriorum ambitio aluit, contra Chriſti præceptum Matth. VI. 16. natus eſt ſummus rigor, & translata ſenſim in alios imitandi exempli neceſſitas. Quin & creverunt ſtati jejuniorum dies, ut præter dictos alii quadraginta ante nativitatem Chriſti, & totidem poſt dies feſtos pentecoſtes ſimili lege apud Francos celebrarentur, v. Coteler. monum. eccleſ. Gr. T. III. p. 425. Acceſſit jejunium quatuor temporum (unde barbarum quatember) ſub quolibet trimeſtri, ex Judæorum ſine dubio, qui menſis IV. V. VIII. & X. jejunia invexerant, antiquis ritibus, leviter immutatis: cum tamen ipſis Judæis nullum divina lege jejunium eſſet, quem die expiationis Levitic. XXIII. 27. Confer. Basnage dans l'hiſt. de Juifs T. VI. C. 19. p. 7. Hæc ſunt τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, quibus quod denue ſervire vellent, increpat apoſtolus Galatas C. V. v. 9. Hoc jugum ſervitutis Judæicæ maxime renovarunt Valentinus, Marcion, Montanus, Tatianus aliique,

arcem, Chriſti caſtra, murum ſpiritus, vexillum fidei, trophæum ſanctitatis ex Chryſologo vocat jejunia, aliorumque Patrum ſententiis, quæ non ſemper oratorii fuci expertes ſunt, exornat; non prorſus abnuo, magnam laudum illarum partem veræ ſobrietati convenire, quæ tamen minime in parciori alimentorum uſu & infra corporis indigentiam conſiſtit, nedum in certorum dierum jejuniis, ſub ſpe magni meriti etiam protractioribus, & ea, quibus humana vita vere indiget, contra Naturæ indultum ſurripientibus. Incidunt ſæpe privatæ jejuniorum cauſſæ, quæ ex variis vitæ calamitatibus natæ, ultro famem, ne interpellet, ſopiunt, animumque metu & ærumnis proſtratum ad placandam iram divinam efficacius ſub ipſis corporis ſqualloribus componunt. Qualia cauſſarum momenta in ſingulos, & ſub unum quidem tempus, quod legum humanarum auctoritas præſcribit, cadere cum

que, non ſine multorum diſſenſu. Ita enim Aerius, ſi volo jejunare, inquit, qualemcunque eligam diem a me ipſo, & jejunabo propter libertatem. v. Epiphan. contra hæreſ. T. III. L. I. h. 75. Jovianus vero monachus penitus negavit jejunia aliquid prodeſſe. v. Auguſtin. Op. T. VI. p. 30. C. At jam ſeculo quarto concilium Gangrenſe communium jejuniorum neceſſitatem ſub anathemate ſanxit, & ſeculo ſeptimo concilium Toletanum diebus quadrageſimæ eſum carnis omnibus ſub ſeveriſſimis pœnis prohibuit. Ipſe Carolus M. qui armis & igne propagare religionem ſua majeſtate non indignum cenſuit, converſis nuper Saxonibus eſum carnium ſub pœna mortis interdixit. v. Mabillon. annal. Bened. T. III. L. 26. Id etiam magis mireris, illo ævo, quod jejunia tam aſpere exegit, dies fuiſſe, in quibus prohibita jejunia inter peccata eccleſiaſtica, adeoque, ut ajunt, mortalia numerarentur. Horribile vocat Auguſtinus jejunium die dominica, quia Manichæis placuit. v. Op. V. II. p. m. 390. B. Seculo decimo miteſcere cœpit jejuniorum religio ratione temporis & delectus ciborum. v. Spanheim l. c. S. X. C. 4. Hodie apud Pontificios abſtinentia, quæ olim appendix erat finiti jejunii, nomen ipſius jejunii adſumſit, & vix priſcæ ſeveritatis umbram habet, dum cœnas excarnes quidem, at aliis victus deliciis opulentas inſtrui permittit, nec parce ipſarum carnium veniam tot indulgentiis diſpenſat. Sunt certe ex noſtris, qui unam jejunantium illorum cœnam, ad quam accedere aliquando licuit, multis cœnarum noſtrarum, quas lautas & pollucibiles cenſemus, longe præferunt. Nec tamen dubito, dari, qui arctius ſe continent, ut infra Dodardi exemplo adparebit.

cum fructu aliquo poſſe, & cœleſti igne implere animos, neutiquam mihi perſuadeo, nec optimis ceteroquin pietatis fomentis, quæ rationibus vincere animum ac flectere debent, ſub externo jugo veram vim ineſſe arbitror. Bene eſt, quod venter careat auribus, & quibus eget, inter illos humanæ ſuperſtitionis querelas haud modeſtius exigat, nec coquat languidius. Et certe omnem hanc, ſi qua eſt, jejuniorum gloriam longe vicit gentilium ambitio. Abnormes, ut concinne Horatius vocat *n*), ſapientes omni ævo exſtiterunt, qui virtutum umbra deluſi genium defraudarunt, & *ἄνευ κύλικος καὶ κνίσσης* vixerunt *o*) *ἄρτῳ καὶ ὕδατι χρώμενοι p*). His turpe viſum eſt, aliud pro alendo corpore adpetere, quam quod omnes viæ oleribus refertæ & pleni aquarum fontes offerunt. Laudant Ageſilaum *q*), qui ex muneribus Thaſſorum nil niſi farinam ſumſit, gulæ delicias inter ſervos juſſit

n) Sermon. L. II. Sat. 2. abnormis Ofellus maxime impranſis id inculcat:

Jejunos raro ſtomachus vulgaria temnit.

& pallorem eorum docet, qui dubia cœna deſurgunt, ubi

corpus onuſtum
heſternis vitiis animum quoque prægravat una,
atque adfligit humo divinæ particulam auræ.

Hos quidem abnormes nondum vocare velim, qui cum Platone improbant, bis de die ſaturos nos fieri, vel cum Socrate cavere jubent a cibo, qui non eſurientes, & potu, qui non ſitientes ad edendum bibendumque invitat; ſed eos, qui quæ munifica Naturæ ſinus offert, ingrati & indigi cum faſtidio rejiciunt, non tantum ad juſtæ temperantiæ limites revocant. Talis eſt, ut cum Flacco l. c. pergam loqui, qui

quinquennes oleas edit & ſylveſtria corna,
ac niſi mutatum (i. e. corruptum & aceſcens) parcit defundere vinum.

o) Vecordem, qui ſine his verſari cum hominibus nequit, Plutarchus vocat in L. de ſanit. tuend. Op. Vol. T. II. p. 124. B.

p) Ipſe Epicurus apud Stobæum, S. 17. p. m. 159. *βρυάζω*, inquit *τὸ κατὰ τὸ σωμάτιον ἡδεῖ ὕδατι καὶ ἄρτῳ χρώμενος.*

q) Plutarch. in apophthegm. Laconic. p. 210.

juſſit diſtribui, vel Curium focis exiguis oluſcula coquentem, quæ nunc

Squallidus in magno faſtidit compede foſſor r).

Quid quod colaphum excuſent, quem Crates s) *Demetrio Phalereo* inflixit, quod in pera cum pane laguncula vini geſtaret.

Nihil eſt, quod in his vitæ ſordibus veram temperantiam & ab utroque vitio tum deliciarum tum parcitatis puram oſtendat. Tam hebes nemo eſt, qui hic tumorem animi non perſpiciat, adplaudentis ſibi, quod ſpernere illa poſſit, in quæ tot aliorum cupiditates feruntur. Sic minime exſtirpantur vitia, ſed germinant contraria. Merito veremur, ne ille in exigendis jejuniis rigor minus reprimat guloſos, quam corrumpat ſobrios. Solis illis judice Mart. Liſtero, quibus victus pleniſſimus eſſe conſuevit, jejunium non nocet *t*). Hoc ſubjicit judicium verbis Sanctorii *u*), qui in majori pondere corporis prodeſſe jejunia, in mediocri nocere, in minori graviſſime lædere ſtatuit. Mirantur inquit *x*), novitatem amici, ſobrios & in victu moderatos præmature mori, quia de inſenſibili perſpiratione parum ſciunt. Igitur lex, quæ jejunia præſcribit, arcere debebat ſobrios, & iis tantum conſulere, qui damna ingluviei & tædia ſatietatis ſentiunt, & quorum animus ſanguine adipeque ſuffocatus, ut Galeni verbis utar, nihil cæleſte pervidet. Cujus quippe rei ratione habita ipſis etiam medicis in magno ſemper honore fuerunt jejunia. His Aſclepiades triduo fatigavit ægros in plurimis morbis *y*). Jo. Fernelius, ancipites etiam morbos, ad quos nihil præ-

r) Juvenal. ſatyr. XI. v. 8. Sic futile pulmentum piſi ac ciceris Carinus elitavit, legatosque, ut ſecum manum in ollam injicerent, admonuit.

s) Dixit Soſicrates in deipnoſoph. Athenæi L. X. Op. p. m. 422. D. Utinam, inquit Crates, mihi cum pane liceret fontes geſtare!

t) In comment. ad Sanct. med. ſtatic. loco ſubjecto.

u) Med. ſtat. S. III. §. 70.

x) Ibid. §. 73.

y) Quod & de Theſſalo Celſus habet, quo judice in illis, qui cruditate ventriculi laborant, merito abſtinentia intercedit. In aliis hæc doctrina Galeni cenſuram meruit. meth. med. L. VIII. c. 2. Heraclides abſtinere quartanarios in ſeptimum diem voluit, improbante ipſo Celſo. L. III. c. 15.

præſidii ars contulit, ſic admirabilem exitum reperiſſe teſtatur z). Quid corpori onuſto & ob præcedentis coctionis vitium languenti, ac pondere creſcenti, novumque cibum ultro faſtidienti ſalubrius eſſe poteſt, quam iſtæ ad cruditates coquendas per inediam induciæ? Placet illud Galeni: non facile morbo tentari, qui decimo quovis die a cibo abſtinet, nec multum ab hac regula diſcrepat Fl. Veſpaſiani inſtitutum, qui unius ſingulis menſibus diei inediam ſtudio valetudinis interpoſuit *a*). Verum ventriculo vacuo, forti & bene adpetenti, in corpore inprimis calido & vita exercitata, crebram inediam imperare, ferox eſt cum ſaluberrimis Naturæ legibus & improbum certamen, vix niſi gradu a conſulto homicidio diverſum. Quæ res, ut omnium animis ſub levi attentione magis ſe ingerat, proſequenda ulterius & ex medicis principiis confirmanda erit.

Sane corpus & fluxis partibus & in celerem corruptionem pronis coalitum, adeoque ipſa lege motus vitalis & interni attritus continuis diſpendiis obnoxium, non aliunde quam ab ingeſtis, coctis, adſimilatis, nova detritarum & ejectarum partium ſupplementa exſpectat. Igitur validum & avide adpetentem ventriculum ſemper labefactat intermiſſum diu coctionis officium. In ipſis internis humoribus, niſi blandus chylus novo perpetim commeatu adfunditur, creſcit corruptela, decreſcit corporis pondus infra ſalubritatis ſuæ terminum, ſub quo ſemper ſimul cadunt vires, & cum his coctionum præſidia *b*). Irreparabile Sancto-

z) De morb. cauſſ. L. I. c. 14. Inediam in puella febrem ardentem cum dyſenteria diverſis temporibus ſuſtuliſſe notat cl. Joh. Dav. Wogau. v. Eph. N. C. Cent. IX. O. 86. p. 193.

a) Suet. in vit. Veſpaſ. C. 20. Ita de ſe ipſo Auguſtus ad Tiberium: non Judæus tam lubenter ſabbatis jejunium ſervat, quam ego hodie ſervavi. Suet. in vit. Aug. 76.

b) Nam ſub attritu illo diſſipatis fluidis evoluuntur acuunturque ſalia & olea, ſtimuloque ſuo infeſtare, partes nutritias corrumpere & magis magiſque degenerare incipiunt: unde mephitim ſpirant jejunantium ora. Sub magno exercitio fœtent cito in homine halitus oris, ſudor lotiumque. Idem fit ſub naturali motu diuturniori, ſi acres & evolutas partes non involuant iterum demulceantque perennes lenis & ſuboleoſi chyli rivuli.

Sanctorius robur vocat in corpore, quod ad pondus minus ſuo pondere ſalubri minori per diætam reducitur *c*). Ad hunc enim gradum dejectæ vires non reparantur alimentis, quacunque copia, quocunque delectu ingeſtis, ſed ſub iis tanquam novo onere fatiſcunt. Probum quidem vel coctu facilem cibum fractis viribus parva copia & crebro offerre, optima eſt medendi ratio; at in illo ſtatu conſumti vitalis roboris inſufficiens. Non hic de inedia ipſa loquor diu protracta, ſed & nimiam ſobrietatem coarguo, quæ minus corpori reſtituit, quam amiſit, & pedetentim omnium, maxime robuſtorum, vires conficit & ſenectutis præcipitat metam. Liquida enim ex paucis ingeſtis parce elaborata minori vi diſtendunt vaſa, hæc minus tenſa naturali nixu arctantur, & vel expulſo liquido vel cum eodem ſtagnante coaleſcunt. Hæc a minoribus vaſis, quorum exigua cavitas eſt, ſenſim ad majora progrediens collabendi & areſcendi neceſſitas continet in ſe plenam rigeſcentis celeriter corporis, id eſt, ſeneſcentis rationem. Ita Sanctorius brevi deſtrui animal judicat, in quo Natura centum libras ingeſtorum ſuperare poſſit, & una libra minus accipiat *d*). Strenuum hoc Mart. Liſterus contra jejunia adpellat argumentum, quod defectu unius libræ ex centum, quam coquere adhuc corpus poſſit, vita coarctetur: additque, inde liquere, cur ipſi octogenarii ſæpe tam edaces adhuc deprehendantur *e*). Id ſaltem manifeſtum eſt, corpus, cui quotidie plus detrahitur, quam recuperat, priſtinis officiis non ſufficere, & vaſa parciori liquido irrigua ſenſim ſiccari. Quid vero aliud præceps ſenium eſt, quam vaſorum ex imminuto fluido areſcentium celerior collapſus.

Adeoque, corpori bene proſpicit, qui non extremam ejus indigentiam urgente fame & ſiti exſpectat. Fr. Baco de Verulamio

c) Medic. ſtatic. S. III. §. 33.

d) Ibid. §. 40. Congruunt verba Jac. Keilii in Med. Static. Brit. p. 18. Quanto quis minus comedit, quam victus ratio requirit, tanto plus roboris ac ponderis amittit, & exinanitis vaſis temporis curſu morti ſuccumbit.

e) In comment. ad illum aphoriſmum Sanctor.

mio ſenis centenario majoris meminit, qui, unde ad ætatem illam perveniſſet, quæſitus inexſpectato reſpondit: *comedendo, antequam eſurirem, bibendo, antequam ſitirem f*). Sine dubio non illud dicere voluit, ſe reluctanter ad cibum potumque acceſſiſſe, ſed aſperioris famis ſitisque moleſtias præveniſſe, quæ ſine corporis in deterius vergentis noxa & periculo vix diu tolerantur. Fallor, aut ab hoc periculo non longe abfuit Dionyſius Dodartus *g*), qui a pondere centum ac ſedecim librarum & unius unciæ, quod ſub initio quadrageſimalis jejunii A. 1677 habuit, ſub ultimo jejunii termino deſcivit ad libras ſeptem ultra centum & uncias duodecim: adeoque intra dies ſex & quadraginta, libras octo & uncias quinque, id eſt, decimam quartam partem ſuæ ſubſtantiæ perdidit, toto nimirum hoc tempore, veſperi tantum, leguminibus, pane & aqua victitans. Id quidem, quod ad lautiorem deinde cibum rediens intra quatriduum quatuor amiſſi ponderis libras recuperaverit *h*), locum facit conjecturæ, haud ægre reparari, quæ tale jejunium diſſipat; at norma certioris judicii pendet a juſtis terminis, intra quos ſalubritas ponderis conſiſtit, quibus imprudenter ſuperatis ſpes omnis renovandi diſpendia decollat. Sanctorius ſanctiſſimam, diutiſſimam & centum annorum vitam ei promittit, qui hos ſollicite terminos tuetur *i*), omnemque in victu præſcribendo minuendoque rationem inde cognoſci, docet Mart. Liſterus *k*). Diſcit nimirum

f) Op. p. m. 520.

g) v. hiſtoire du renouvellement de l'Academie Royale des ſciences & eloges hiſtoriques p. m. 249. Subjicit Fontenelle: une obſervation curieuſe de Philoſophie & une auſterité chretienne ſerve en meme tems pour l'academie & pour le ciel. Verum occubuit tandem ipſe Dodartus a diurna pauperum viſitatione laſſus & jejunus domum veſperi reverſus, tumque funeſta febre correptus. Et hoc laudat Fontenelle: il etoit deſtiné a perdre la vie de lá maniere du monde la plus heureuſe, par une action de charité.

h) Cui ſimilis obſervatio Dodarti eſt ib. p. 250. quod detractæ ſanguinis unicæ ſedecim intra quinque dies reſtituantur. Sed caute addit; dans un ſujet nullement affoibli.

i) De medic. ſtatic. S. I. aph. 64.

k) In comment. ej. ad illum aph. Sanct.

rum pondus corpori ſuo ſalubre, qui pleniori cœna maxime eupeptorum & facile perſpirabilium poſt juſta corporis exercitia uſus mane limites maximæ perſpirationis notat, adſcendentis in Italo aëre ſecundum Sanctorium ad uncias quinquaginta: qui vero idem alio mane poſt diem quiete & jejuniis abſumtum limites minimæ perſpirationis cognoſcit, adſcendentis ſub ejusdem calculo ad uncias viginti. Sic mediam vivendi cibandique rationem, id eſt, ſobriorum ſciet, quæ nullo ſenſu oneris ventrem adficit, nihil agilitati corporis demit, feces conſiſtentes expellit, & fami inprimis ſitique infra ſatietatem reſpondet, alterove mane perſpirationem ad uncias circiter quinque & triginta reducit *l*). Determinatam ſic menſuram qui in utroque limite vel ſuperat vel non attingit, valde periclitetur; ille, qui ſuperat, minus, cui crudis obruto vel abſtinentia vel major evacuatio, nunc ultro nunc per artem nata medetur; ille, qui non attingit, magis, cujus vires, a quibus virtis omnis coquendi adſimilandi & nutriendi pendet, cadunt cum pondere: nec adparet, unde reſtituantur. Sine dubio, quo major illa ſalubrium terminorum diſtantia eſt, eo minus, qui excedunt aliquando vel deficiunt, in diſcrimine verſantur. Erunt autem multi, qui eorum exemplis ſecuri & ſimili Naturæ privilegio deſtituti intemperantiæ ſuæ vel nimiæ abſtinentiæ pœnas luunt. Occurrunt ſine dubio, qui negant, talia in ſe ipſis experiri, promtum ſibi & expeditum eſſe. At non eſt, cur tædia illa ponderandi corporis inter dictas conditiones ſubeant, & inito eorum calculo, quæ ſenſibili vel latente ratione expulſa ſunt, quantitatem & indolem ingerendorum determinent. Minime nos providentia in caſus cognoſcendæ indigentiæ noſtræ tam difficiles & ambiguos abjecit, ſed ubertim Naturæ ſenſus, qui nunquam plus aut minus, quam ſibi convenit, exigere ſolet, per ſtimulos famis ſitisque inſtruxit, modo gula luxus amantior ſtimu-

l) Sanctor. l. c. Jac. Keilius in patrio aëre inter libras tres & libram unam ac dimidiam medias proportionales ponit uncias XXXIII, quas naturalis & ſalutaris perſpiratio non excedat. Med. Stat. Brit. p. m. 15. Id maxime notamus ab annis ætatis XXX. ad XLV, in quibus conſtantia actionum vitalium eſt.

ſtimulos illos, non niſi in attriti & reficiendi corporis ſtatu orientes, recte interpretari ſciat. Neque multum hic improbo, ſi quis a media & regia via, quam commendavi, deflectit aliquando, modo illa extra oculos nunquam ſit. Corpus, quod terminos illos, ad quos excurrere impune poteſt, neſcit, & ſuis beneficiis, quibus non utitur, quaſi renuntiat, anguſtiori deinceps lege valet, & parum declinando ægrotat. Poterat autem pluribus tolerandis incommodis cauta vitæ varietate adſueſcere, & fines ſuos edoctum, quos ultra citraque ſanitas perſiſtere nequit, excurrere, quousque licet, ſine temeritate, & ad umbram periculi in tutum ſe recipere. In qua varietate vitæ Fr. Baco de Verulamio Celſum laudat *m*), qui illam ſectantibus ſuadet ad partem benigniorem ſemper inclinare, hoc eſt, nunc vigiliis nunc ſomno adſueſcere, ſed ſomno magis; nunc intendere animum, nunc remittere, ſed remittere ſæpius; nunc jejunare nunc epulari, ſed epulari potius. Qui hic ſemel vel bis in menſe excedunt, hos etiam Sanctorius teſtatur leniores altero die fieri, ſine ſenſibili excretione, quod ſtimulus ex copia languentes vires ſuſcitat *n*). Hoc, inquit, ſine ſtatica crederet nemo. Malim tamen id de robuſtis agnoſcere, in exceſſu non nimis frequente, & ſic limitare Herm. Bœrhaavii canonem: *tutior ſobrietas, ſed debilibus; exceſſus melior, ſed robuſtis o*).

Robuſtos certe, exercitatos calentesque, quam crebra refectione ſub magnis corporis diſpendiis egeant, ſua voracitas inſtruit, & ab omnibus jejuniis naturali lege, id eſt, vere divina vindicat *p*). Nunquam iis tenuis & admodum exquiſitus victus con-

m) Op. p. 50. unde vitæ rationem requirit, aut laxam inſigniter, aut ſeveriſſimam. Hanc tutiorem judicat, illam caſibus humanis aptiorem, illam conſumentem minus, hanc plus reparantem.

n) S. III. §. 100.

o) Inſtit. §. 1039.

p) Non iis ſufficit, largiter prandere ac cœnare, ſed & mane jentaculum, veſperi merenda convenit. Sic Herculem voracem Epicharmus in Buſiride venuſte deſcribit apud Athenæum in deipnoſ. L. X. Op. p. 411. fremunt intus fauces; ſtrepunt buccæ; molares dentes ſonant, caninus ſtridet,

congruit, qualis Fernelio judice dudum ab Hippocrate exploſus, & aliis etiam tum ſanis tum ægris periculoſus, non modo ſanguinem & carnem, verum etiam propriam ſolidarum partium ſubſtantiam colliquat, & in maraſmum conjicit, a quo vix quisquam ſe recipere poteſt *q*).

Ille adhuc redarguendus error eſt, quaſi parum interſit, adfligi corpus, dum vis animi, tanquam ab injectis vinculis jam ſolutior, emergit. Verum ſub communi lege ſtat utriusque vigor: omnis laborat incola ſub ruinis ædium. Quam exilis mutatio in corpore dejicere rationem de ſede ſua, intercipere lumen ejus, & omnem hebetare aciem poteſt! Nulla ſapientiæ & virtutum præcepta furores ebrii compeſcunt, vel melancholici corrigunt deliria. At ſublato corporis vitio, iis locis, in quibus ſtabilitæ ſunt mutui commercii leges, ultro ad ſe mens redit, & crebra experientia convincitur, ſe ſanam ac virium ſuarum compotem niſi in ſano corpore eſſe non poſſe. Igitur dum nimiæ ſobrietatis noxas attingo, non illas ſolum corporum reſpicio, quorum tota progenies languet,

Invalidique patrum referunt jejunia nati r),

ſed inprimis ſtatu animorum commoveor, quos ingens caligo occupat, & tetræ imaginationis ſomnia deludunt. Velut omnis protracta inedia inter deliria tandem & atrociſſimos furores occidit; ita alia quæcunque, quæ ultra ſalutarem gradum protrahitur, occœcat ſenſim & infatuat animum, & corruptorum humorum impuro halitu cerebrum tentans naturalem cogitationum ſeriem pervertit, larvisque & omni intemperie agitat. Non nego, ſub vera ſobrietate & juſtis jejuniis, ut corpus, ſic animi ſenſum vigere, hinc non niſi jejunos ad jusjurandum admitti, nec judices niſi impranſos decernere *s*) quod illo tempore acutius

ſtridet, ſibilat naribus: aurem utramque movet. Talem profecto breve jejunium nacaret.

q) De morb. cauſſ. L. I. C. XIV. Op. p. m. 195.

r) Virgil. Georg. L. III. v. 128.

s) Quod aliter viſum eſt majoribus noſtris, qui in conviviis de rebus graviſſimis conſultabant, tanquam nullo magis tempore ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat, teſte Tacito.

tius omnia perſpiciant. At hæc jejunia nihil facile in conſueto vivendi ordine mutant, illa vero extenſa nimis feroces primum reddunt animos, unde Theocritus *t*) vetuit eſurienti occurrere; deinde ſtupidos credulosque & imbecilli ac præcipitis judicii. Ex his maxime, ob inexorabilem, qua præconceptas ſententias ſuas complectuntur & tuentur, pervicaciam diſcimus, quid malorum religio vel potius prætextus ejus ſuadere poſſit.

t) Idyll. XV. v. 146. Sic Cardinalem Ximenem legimus atrocioribus plerumque ſuppliciis inter maxima jejunia ſubſcripſiſſe, & magiſtrum ſtabuli Annam Momorantium tunc tam immitis ingenii fuiſſe, ut ex vulgi ſententia pater noſter ejus omnibus, quibus ſub eo cauſſa peroranda eſſet, terrorem incuteret.

PRO-

PROLUSIO
DE
CONSTANTIA SENILIS VALETUDINIS
PANEGYRI
GEORGII FERDINANDI WEGENERI
d. 7. MENS. SEPT. 1752.
PRAEMISSA.

Valetudinem, quæ proſpera ſatis eſt & magnæ crebræque mutationis expers, ſenilem adpellare, in adagium abiit. Id nititur ipſo Hippocratis oraculo, qui ſeniores plerumque minus juvenibus ægrotare, inter aphoriſmos ſuos, tanquam conſtantioris veritatis effata retulit *a*). Ipſe alio loco juvenum ſenumque morbos inter ſe comparans, ob corporis vigorem venarumque robur & plenitudinem juniores acute & graviter, at ſeniores inter contrarias cauſſas raro leniterque laborare enuntiat *b*). Cujus doctrinæ inhærentes veſtigiis ſtrictim & ſuccincte ſtadiorum vitæ, quæ emetimur, inſpiciamus pericula. Et primum quidem ætatis ſtadium tam lubricum eſt, ut ex centum natis

a) Aph. II. 39.

b) Patiuntur ſeniores, quæ ejus verba ſunt, *ὀλιγάκις καὶ ἀσθενέστερα, ἅτε ἀσθενέστεροι ἐόντες* L. I. de morb. Op. Ed. Lind. V. II. p. 24. XX. 13. 14. At juniores *πάσχουσιν ἰσχυρότερα καὶ ἀλγέουσι μᾶλλον* ibid. n. 10. Oriuntur in iis *σπασμοὶ ἰσχυροὶ, ῥύγματα πολλά τε καὶ παντοῖα τῶν φλεβῶν καὶ τῶν σαρκῶν*, ib. p. 25. n. 21. 22.

tis intra annos ſex & viginti ad Jo. Grauntii calculum quinque & ſeptuaginta occumbant, immo ex ſolis infantibus ante quintum anni terminum plusquam triginta *c*). Neque hoc mirabile videri poteſt, cum ob molliſſimum cerebrum & tenerrimos nervos, humorum præterea intra laxa & turgidula vaſa dominium, varia denique incrementi vitia, ne de dentitione difficili, vermibus & aceſcentis primi victus noxis dicam, perpetuæ morborum inſidiæ, quaſi ſtipatis agminibus, ingruant, & tenellos in ſinu matrum plerumque convulſos exſtinguant. Pubeſcens ætas, quæ creſcentis corporis terminum attingens plus mobilium humorum ſub minori jam impendio conficit, tum inter auctiores motus, tum ſolitarum excretionum remoras, vim infert tenſis vaſculis, & vitalem ex iisdem ruptis laticem effundit, ulceribusque florem juventutis contaminat, & utplurimum hæmoptoe, phthiſi ſimilibusque morbis extenuatos eo flebiliori mergit funere, quod paucis retro annis fallax formæ & coloris gratia perennioris vitæ quoddam quaſi vadimonium promitteret. Viris illos prætervectis ſcopulos jam minus videtur timendum eſſe, at in apice tam vegetæ ſanitatis, ut cum *Aeſchylo* dicam, γείτων ὁμότοιχος νόσος eſt. Dum in iis maxima fit fluidorum in ſolida, ſolidorum in fluida actio, ex acutis morbis ingens ſtrages imminet, & violentus plerumque e vita exitus, dum pulmo ſtagnante ſanguine oppletus dextri cordis fortiter obluctantis vitales nixus protractiori longæ reſiſtentiæ injuria opprimit, & ſub extremæ anxietatis ſenſu ſuffocat. Maligni inprimis & contagioſi morbi robuſtos ſternunt, ut peſtis, quam e contrario ſenes minime ſentire, jam Plinius docuit *d*). Nimirum ſenile corpus nec arctioribus meatibus

c) Obſervations on the bills of mortality C. II. §. 12. conf. C. XI. §. 9.

d) Hiſt. Nat. L. VIII. C. 50. Ita Mercurialis in peſte Patavina, Foreſtus in Delphenſi ſenes maxime immunes notant, Mindererus etiam in rei hujus rationes inquirens, aërem calidum humidumque, miaſmatis peſtilentialis & ab hoc natæ putridæ corruptionis fomentum, non ita ſenum corpora, frigida quippe & ſicca, lædere judicat. Confer Isbr. Diemerbroeck de peſte ad C. IV. not. IV. Singularis Phil. Hoechſtetteri obſervatio eſt, feminam ſexagenaria majorem peſte infectis ex tædio vitæ ultro & impune ſerviiſſe, licet diu in eorum ædibus detentam: alte-

tibus contagii fomitem facile admittit, nec inter languidiores ſuos motus accendit, hinc a malignis & acutis morbis tutius *e*). Ob parva quoque ſub debili attritu diſpendia non ſimilem ac aliis ſui reparandi legem imponit, & magna, quæ robuſtos cito conficiunt, tolerat jejunia, ipſoque illo motuum ſuorum lentore acrium venenorum obtundit ſpicula & reprimit noxam. Sic ſenex Mithridates feſtinandæ necis gratia venenum fruſtra expertus gladio ſe transegit *f*), & Senecæ, quem mori *Nero* juſſerat, nec cicuta acceleravit mortem, nec abruptæ brachii, crurum pedumque venæ niſi lenta ſanguini effugia præbuerunt, donec in calidius balneum illatus ejus vapore exanimaretur *g*). Adeo habent ſenes adverſus morborum cauſſas, maxime obvias & reliquis infeſtas, multum in ſe præſidii, nec in corpus tam ſolidum, compactum ac terreſtre redundare cum magna clade externæ injuriæ poſſunt, ut hinc vita, quæ in aliis opprimitur, ſine vi exſtinguatur in ſene, ejusque mors diverſorium, juvenis naufragium veteribus non male audiat *h*). Immo non dubitat Seneca *i*) jucundiſſimam vocare devexam ætatem, in extrema etiam tegula ſtantem ſuas judicat voluptates habere, & alio loco *k*) diſquirens, fecem vitæ

alteram vero ſeptuagenariam, etiam in lecto, ſudoribus peſte defuncti madente adhuc fœtenteque, cubuiſſe, neque ſic a ſperato contagio mortem accelerare potuiſſe. Obſ. Dec. VII. Cap. II. p. 45.

e) Acutas febres vix invadere ſenes, docet Hippocrates aph. I. 14. Addit: ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα αὐτῶν.

f) A. Gell. noct. Attic. L. 17. c. 16. p. m. 784. crebris antidotis regem præmuniviſſe corpus, ut cum mori vellet, non poſſet, merito dubites, licet multi id adfirment cum Martiali Epigr. V. 78.

g) Tacit. Annal. L. XV. 65. concinne ait, hauſiſſe fruſtra venenum cluſo adverſus vim ejus corpore.

h) Apud Stobæum §. 112. p. 587. καταγωγῇ ἔοικεν ὁ γεροντικὸς θάνατος, ἐκβολὴ καὶ ναυαγιόν ἐστιν ὁ τῶν νέων.

i) Epiſt. ad Lucil. 12. quod in ſe jucundiſſimum omnis voluptas habet, in finem ſui differt.

k) Ep. 58. At ſi ætas cœperit concutere mentem, ſi partes ejus convellere, proſiliam, inquit, ex ædificio putrido ac ruenti.

vitæ vocare fas ſit, an liquidiſſimum puriſſimumque? non obſcure ad alteram partem inclinat, ſi mens ſine injuria, & integri ſenſus juvant animum, nec defectum & præmortuum corpus eſt. Id vero temere exſpectari, ac raras nimis eſſe has optabilis ſenii conditiones, regerent multi, & ad ipſa Senecæ verba, quæ dictis ſubjecit, provocabunt, longiſſimam nempe ſenectutem paucos ad mortem ſine injuria pertuliſſe, multis inertem vitam ſine uſu jacuiſſe ſui. Ajunt, invalidos, deformes, rugoſos eſſe & ſpongiæ inſtar tabidos, dyſpnœa, catarrhis, tuſſi, caligine oculorum omniumque ſenſuum hebetudine laborare, de latere in latus titubare, nec jacere ſine labore poſſe *l*): qualis merito ſenectus in pœnam vivax Plinio *m*) dicitur, qui ſuccenſet, illud temporis vitæ humanæ adnumerari. Hos forte gentium quarundam more oportebat fame perimere, vel de ponte dejicere, vel certe iis adclamare:

O Grylle! Grylle! moritor & cinis fias! n)

Sed abſit, ut omnem ſenectutem id monſtri alere, omnem canitiem hebetare mentem & merſis corporis viribus ἔμψυχον τάφον relinquere arbitremur. Non probo illud Philemonis, qui, ſi ſenem videris aut anum, vetat, de iis quærere, quod ſcias ſtatim male

l) Ita in ſenectutem, cujus ſpem tantum non omnes alunt, ex luſu magis ingenii quam odio congerunt opprobria, dum onus cum Euripide βαρύτερον ἄιτνας σκοπέλων, cum Solone χεμῶνα τῦ ζῆν, cum Antiphane ἐργαςήριον καὶ βωμὸν κακῶν, cum Luciano ὀνείρων μίμημα ὑπὸ τῶν νέων καταγελώμενον vocant. Aliis θέαμα ἀλγαινὸν, ἰλιὰς κακῶν, νόσος ὤτων, ψόφος γλώσσης, φωνὴ καὶ σκία audit. Forte παμπέλυς in ultimo ſenio hæc aliquando tangit calumnia, non facile προβεβήκοτας, vel quos Galenus ὡμογέροντας adpellat, crudos & virentes ſenes. Inter priores etiam non pauci cum Leontino Gorgia, centum & ſeptem annorum ſene, quæſiti, cur in vita tamdiu eſſe velint? ſe non habere reſpondebunt, cur ſenectutem incuſent. Valer. Max. L. VIII. C. 14.

m) Hiſt. Nat. L. VII. C. 50. ad finem.

n) ὁ γρύλλε γρύλλε θνήσκε καὶ τέφρη γίνευ. Philemon apud Stobæum §. 115. p. m. 589.

male ſe habere. Ego dum ſenilis valetudinis cauſſam tueor, de aliis ſenibus non loquor, quam quibus ſolers ſemper valetudinis ſuæ cura fuit. Nam quæ ex anteactæ vitæ erroribus germinant mala, longo plerumque & indivulſo ſatellitio ſenes comitantur, eosque tandem, Hippocrate *o*) ipſo docente, ſub lentis exhauſti corporis ruinis exſtinguunt. Hi frivole exſpectant durabilioris vitæ vigorem, & concuſſæ tam imprudenter valetudinis ſuæ præſidia ſenes fruſtra requirunt, meritas autem ſocordiæ ſuæ & prodigentiæ pœnas luunt. At qui ſobrii & ad omnes valetudinis inſidias attenti, adeoque incolumes ingreſſi ſunt ſenium, eos nec mentis ſerenitas, nec corporis ad neceſſarias functiones obſequium deſtituit, nec mors inter minas morborum perimit *p*). Illi haud juſtioribus votis virilis ætatis robur repetunt, quam qui hoc gaudent, cunas infantiæ ſuæ. Quomodo enim iſta ætas, quæ multis experimentis, largaque & frequenti rerum patientia ſe domuit, *Democrito σωφροσύνης ἄνθος q*) vocata, placidum hoc tempus cum priori turbido commutare, & vitæ fluctibus, quos proſpere evaſit, ſe denuo committere cupiat? quomodo dediſcere iterum velit, ut denuo & ſub impari fortaſſis ſucceſſu diſcat? Fruitur partorum bonorum memoria, non inter ſpes novas & ambiguas fluctuat, neque pabulum ſtudii & doctrinæ eripi ſibi ſentit, ſub quo etiam animus florem juventæ retinet. Multos videas & corpore & animo robuſtos ſenes, multos viciſſim debiles & valetudinarios juvenes: unde Plutarchus *r*), bene monuit,

o) *παραμένειν ἐς τὸ γέρας τὰ νοσήματα καὶ ξυναποθνήσκειν* aït de morb. I. Ed. Lind. T. II. p. 24. 9. it. Aph. II. 39. Talia vero mala ſunt *δύσπνοιαι, κατάῤῥοι βηχώδεες, στραγγουρίαι, δυσουρίαι, ἄρθρων πόνοι, καχεξίαι, νεφρίτιδες, ἀποπληξίαι* & maxime ſenſuum vitia. Aph. III. 31.

p) Soluit inſtar ſomni blande obregentis, adeoque cum voluptate potius quam dolore, ut Plato ait, *μᾶλλον μεθ' ἡδονῆς ἢ λύπης* apud Stobæum S. 112. p. 584.

q) Apud Stobæum S. 112. p. m. 584.

r) Op. T. II. p. 791. D.

nuit, non ſenes a republica arcendos eſſe, ſed viribus deſtitutos, non admittendos juvenes, ſed qui præeſſe valeant. Ita ſenem *Antigonum* univerſam pene Aſiam ſubegiſſe, *Aridæum* juvenem velut in ſcena mutam regis perſonam egiſſe memorat. Plus conſilii maturitas promittit, quam armata juvenilis audacia. Robuſtos non duces eſſe debere, ſed ducum ſtragula portare, ſcite cenſuit Timotheus *s*). Hinc decem non *Aiacis* ſed *Neſtoris* ſimiles Agamemnon *t*) optat pro celeriori Trojæ excidio. Camillo ſeni, cum ſextum tribunatum detrectaret, univerſus populus reſtitit, & non equitis vel peditis munus ſed conſilium ejus ductumque ſe expoſcere graviter commonuit *u*). Turanius etiam poſt nonaginta ætatis annos procurationis ſuæ vacationi a *C. Cæſare* datæ ſuccenſuit, & in lectulo ſe compoſuit, plangique velut examinem a familiaribus voluit. Luxit domus otium domini, nec finivit luctum, quam labor illi ſuus reſtitutus *x*). Et quis in ſenibus illis corporis vel animi vim deſideret? cui ante oculos Cato eſt, qui octogenario longe major cauſſam ſuam ipſe dixit, in quo nemo vel infidam memoriam, vel hæſitantem linguam, vel laterum imbelle robur ſenſit *y*). Miror, Plinium, dum *Xenophilum* muſicum centum & quinque annos ſine omni corporis incommodo vixiſſe refert *z*), id pro miraculo habere & ſolitario exemplo: cum alio loco *a*) alios enumeret, haud deterioris ſortis, inter

s) Ibid. p. 788. D.

t) Homer. Iliad. III. 372. Omnis gerendi belli auxilium in Neſtore poſuit, & noctu etiam ipſum conſuluit indignante Achille, apud Stobæum S. 116. p. m. 596.

u) Op. T. I. p. 248. D.

x) Coel. Rhodigin. antiq. lect. L. XI. C. I.

y) Val. Maxim. L. VIII. C. 7. n. 1.

z) Hiſt. nat. L. VII. Cap. 50.

a) Ib. L. XXV. C. 3. Huc ille ſenex apud Plautum in Mil. A. III. S. I. v. 34. pertinet, qui clare inquit, oculis video, pernix ſum manibus, ſum pedes mobilis. Confer. ideam vegeti ſenis apud Sid. Apoll. L. IV. Ep. 13. Auſonii pater de ſe ipſo:

Nonaginta annos baculo ſine corpore toto
Exegi cunctis integer officiis.

inter quos eſt *Antonius Caſtor*, quem centum annis exactis nullum ſcribit corporis malum expertum eſſe, ne per ætatem quidem memoria aut vigore concuſſis. Negavit Cyrus, cum admodum ſenex moreretur, ſenectutem ſuam imbecilliorem factam, quam adoleſcentia fuiſſet *b*). Sane ſi pondera librare, diſcum jacere, bovem humeris geſtare cum Milone non licet, multæ ſane res ſunt, quæ ſine corporeis viribus honeſte & decenter peraguntur. Si alii in navi conſcendunt malos, alii ſentinam exhauriunt, an nihil agit, qui ad puppim ſedens clavum quiete dirigit? Nunquam viribus & celeritate tantæ res geruntur, quam conſilio & auctoritate, quibus non orbari ſenes, ſed etiam augeri ſolent. Ageſilai ſenectus qua non præſtantior juventute fuit? & quanto hoſtibus terrori prope finem vitæ *c*)? Nicodorus legislator in ſenectute plus profuit, quam pugil in juventute *d*).

Duo tantum ſunt tam felicis ſenectutis munimenta, ſobrietas, & perennis, moderata tamen, corporis & animi exercitatio, quibus ſuſtentantur vires, huic ætati, quæ nihil impetuoſe agit, congruentes *e*). Experiuntur etiam debiles & imbecilli inter crebra robuſtiorum ſui ævi funera, quid diligens & provida ſui tutela promittat? Illuſtre exemplum dedit Ludov. Cornarius *f*), cui

b) Xenoph. in Cyrop. & ex eo Cicero de ſenect. C. 9.

c) Plutarch. ex Xenophonte Op. T. II. p. 784. E.

d) Aelian. v. hiſt. L. II. C. 23.

e) His paria non ſunt, quæ ad ſenectutem multos deducere creduntur, varii generis adminicula. Mellis & panis uſum jactat antiquitas, & Diaphanes docet in Geopon. L. XV. C. 7. ὅν ἂν γῆρα μέλιτι μετὰ ἄρτου μόνου τρεφόμενοι ἐπὶ πλεῖστον βιοῦσι. Simile Plinius habet, multos longam ſenectutem mulſi nutritu toleraſſe, Pollionis Romilii exemplo, qui Auguſto roganti, quibus tam longam vitam præſidiis deberet? intus mulſo foris oleo reſpondit. H. N. L. XXII. C. 24. ubi ex codice Colbertiano mulſi intrita Harduinus legit. V. II. p. 294. Ficus ſenibus meliorem valetudinem facere & minus rugarum, idem Plinius tradit. L. XXIII. C. 7. Huc illud refer, an guſtatus fœniculi, quo ſerpentes ſenectutem exeunt, proſit ſenibus? ib. L. XX. C. 22. Hæc certe & talia pauci vel nullius momenti ſunt.

f) Conſil. Tract. I. C. 6.

cui faventiorem corporis temperiem negavit Natura, eandemque juvenilis error magis corrupit, ut ad annum usque quadrageſimum cum graviſſimis morbis conflictatus & tantum non oppreſſus quæreret incaſſum in pharmacis ſalutem, at mox in ſobriæ vitæ cultu reperiret. Sic, quod bene miraculum eſt, anno nondum elapſo ab omnibus corporis incommodis liber, nihil poſthac, modo ab iſto vitæ tramite non deflecteret, novorum malorum ſenſit, quin & fortuitos adflicti corporis caſus, ut cum aliquando rheda dejectus concuſſusque decumberet, jam ſolius Naturæ in puro corpore efficatioris ſuppetiis vicit. Teſtatur ipſe trium jam & octoginta annorum ſenex, ſe commodiſſime valere, in viliori etiam cibo plus gratiæ quam exquiſitis olim gulæ lautitiis reperire, ſcalas, colles, equos promte & ſine laſſitudinis ſenſu adſcendere, hilaris & pacati animi eſſe, legere, ſcribere, meditari, & pleno ſenſuum ac memoriæ vigore frui. Hinc diſputat *g*) idoneus in hoc argumento judex adverſus eos, qui neceſſario poſt ſeptuaginta annos vitam miſere & cum tædio trahi clamitant, ipſe in illo ſenio, quod ad centum annos protraxit, tanta valetudine gaviſus, ut remotas abs ſe eſſe & morborum & mortis cauſſas, ipſo illo continui vigoris ſenſu convinceretur. Ad ejus conſpectum & vim ſermonis obſtupuit juvenis quidam *h*), cui optabilis hucusque longæ juventutis flos viſus erat, & nunc quidem celerem tranſitum ad illam tam ſerenæ & purgatæ voluptatis ſenectutem in votis ſuis eſſe commoto animo adſeveravit. Utinam plurium oculis ſe ingereret facies ſenectutis per Naturæ non violatas leges venuſta & venerabilis *i*)! Ibis ſenex exhalante viroſo aromaticam conſequi virtutem dicitur. Sic hominum ætas, quæ deſpumavit & deferbuit, virulentum illud in primo fervore ætatis indomitum ultro retundit vel abolet. At his quidem ſenibus, cum quibus tantum vitiorum conſenuerunt miniſteria, non nimis gratulor, in quibus partim doloſi adhuc cineres gliſcunt, partim inexpiabile eſt admiſſæ ſemel corrupte-

g) Ib. C. 21.

h) Ib. Tr. III. S. Ep. ad Patriarch. Aquileg. Barbaro.

i) καὶ ἐν τῷ γήρᾳ λάμπει τὸ κάλλος. Julian. Op. p. m. 311. A.

ruptelæ damnum. Nulla ſpuma, nullo fervore opus eſt, ut quis ſapere diſcat. In iis ſolis, qui parta Naturæ bona adſiduove cultu aucta & a tot offendiculis vitæ prudenter liberata transferunt ad ſenectutem, hæc erit ſinceri ſolatii & defecatæ voluptatis plena, animumque dabit ſerenum & quaſi jacta contra fortunæ fluctus anchora ſtabilem, ut parte cupiditatibus obnoxia, jam pleniori fide ſopita, non audeant amplius tot Sirenes, quæ maximam hominum partem captivam tenent, ſenes in illo contra vitiorum illecebras callo, in illis confirmatæ virtutis munimentis, accedere. Quales profecto ſenes vegetos pollentesque ingenio & adhuc operoſos *k*) videre, audire, ſequi, maximum eſt juvenum in illo lubrico ætatis ſtadio fluctuantium decus & incitamentum *l*).

k) Neque enim, ut diu incolumis perſiſtat, plenum corporis & animi otium ætas illa fert, nec deſiderat. Chryſippus & Cleanthes in ſumma ſenectute docuerunt, Plato octogenario major eundem fecit ſcribendi & vivendi finem. Iſocrates in grandiori ætate ſcripſit παναθηναϊκὸν, quod opus ardentis ſpiritus plenum Val. Maximus vocat. Sophocles impactam a filio languentis ingenii calumniam recitato publice Oedipo ſuo diſcuſſit, Simonides in carminum adhuc certamen tam grandævus deſcendit. Quid quod in nova etiam palæſtra ſe exercere & inſuetos labores ordiri multi ſenes non dubitaverint. Ita Lacydes Cyrenaicus Geometriæ, Cato Græcis litteris, Socrates etiam fidibus operam dederunt.

l) Quos ideo honeſtiores olim juvenes ſummo ſtudio ſectati ſunt, ut Ariſtidem Cimon, Chabriam Phocio, Fabium Maximum Cato, Sullam Pompejus, Philopœmenem Polybius. Plutarch. Op. T. II. p. 791. A. Graviter Auguſtus, audite, inquit, juvenes ſenem, quem juvenem ſenes audiverunt! ib. p. 784. D.

PRO-

PROLUSIO
DE
PISCIUM SALUTARI CIBO
PANEGYRI
IV. MEDICINAE CANDIDATORUM
d. 18. MENS. SEPT. 1752.
PRAEMISSA.

Gratum piſcium cibum eſſe, & omni fere ævo fuiſſe, ſi priſcæ frugalitatis & ſuperſtitionis exempla prætereo *a*), pauci negant, ſalutarem eſſe, multi ambigunt. Videntur de ſemet ipſis judicium perhibere piſces, cum morbis minus obnoxii ſint, &

a) A piſcibus tanquam re vel ſacra vel lauta nimis abſtinuerunt Aegyptii Syrique, Lydi etiam ac primi Græci. Nam in Aegypto, cœleſte piſcium ſignum colente, etiam bellum exarſit, quod Cynopolitæ piſcem oxyrinchum ediſſent. Plutarch. Op. T. II. p. 380. B. In Græcia vero primos heroes, licet ad Helleſpontum caſtra metatos, negat Plato piſcibus uſos eſſe, nec Homerus niſi ſociorum Menelai & Ulyſſis meminit, qui urgentem famem piſcatu piſcium repreſſerunt. In Lydia gregatim ad littus venere piſces, quod capere nemo auderet. Varr. de re ruſt. L. III. C. 17. Ita verum magna ex parte eſt illud Naſonis faſtor. VI. de priſci ævi continentia:

> Piſces ſine fraude nataſſe,
> Oſtreaque in conchis tuta fuiſſe ſuis.

Verum recentior Græcia ruptis illis frugalitatis & religionis vinculis obſonii nomen, quod omnes cibi cum pane ſumti gerebant, ſolis mox piſcibus vel præcipue tribuit, & Rhodiis tantum delicium fuere, ut ἐλευθέριον vocarent, qui piſces, φροντικὸν, qui carnes adpeteret. Aelian.

& judice Ariſtotele a peſte etiam, quæ armentorum & volucrum greges invadit, immunes *b*). Nec dubitant paſſim, qui ſuam vel

Aelian. Hiſt. var. L. I. C. 28. Opſodaedalus Archeſtratus majori ſollicitudine maria ob ventris delicias luſtravit & perquiſivit, quam Geographi terras. Omnes longe ſuperavit luxus Romanorum, qui ἰχθυοτροφεῖα ingenti ſumtu adornabant, & pelagios piſces, ne gulam Neptuni imperio ſubjectam haberent, in piſcinas revocabant, L. Lucullo, quem Pompejus Xerxem togatum nominabat, Euripum & maria exciſis montibus admittente. Queſtus jam Cato fuit, pluris piſcem quam bovem venire, Plut. Op. T. II. p. 668. B. & alii, piſcem contra argentum expendi, ἴσων ἴσω vendi, ut hinc Antiphanes nobiliores piſces ἀνθρωποφάγυς adpellaret, quod facultates lurconum abſumeret, ut Euſtathius interpretatur. Conf. Iſ. Caſauboni notas in Athenæi deipnoſ. L. 7. C. 18. p. m. 546. Notum certamen eſt inter Octavium & Apitium de mullo quatuor librorum & ultra, quem Tiberius ad explorandum duumvirorum illorum luxum in macellum deferri juſſerat. Licitati ſunt, vicit Octavius, ingentem inter ſuos gloriam conſecutus, cum quinque millibus H. S. emiſſet piſcem, quem Cæſar vendiderat, ne Apitius quidem emerat. Senec. Ep. 94. Is erat Apitius, qui poſt multos numorum myriades gulæ & ventris cauſſa profuſos Miuturni, in urbe Campaniæ utplurimum degens, ut locuſtis ſuis, piſce illo cruſtato veſceretur, ad rumorem, majores in Africa dari, ne unico quidem die exſpectato illuc profectus & multa navigationis incommoda perpeſſus, cum jam conſpectis, quas maximas offerebant piſcatores, locuſtis audiret, majores in eo mari non gigni, protinus Minturnum rediit. Athen. deipnoſ. L. I. C. 6. p. m. 7. Notæ ſunt cœnæ C. Cæſaris & Vitellii, notæ piſcinæ Hirtii & aliorum, cum quibus noſtræ comparatæ ſtagna verius ſunt, quæ piſcibus an ranis plena? nihil guloſorum illorum judicio interſit.

b) L. VIII. hiſt. animal. C. 19. Non incidit eo judice νόσημα λοιμῶδες piſcibus univerſis, ut fit bobus, equis, feris. Aegrotare tamen ſingulos ipſe ib, C. 20. ex macie quorundam colligit in pinguium genere captorum. Quod & Plinius habet in H. N. L. IX. C. 49. Verum de ipſis piſcium epidemicis morbis non omnis obſervatio deeſt. Ambroſ. Stegmann in Eph. N. C. Dec. III. A. V. & VI. O. 171. p. 386. refert, in lacu dulci Mansfeldiaco aliisve A. 1680. copiam piſcium ſub maculis varii coloris per corpus ſparſis periiſſe, idque malignis nebulis aquas inquinantibus tribuit. Ephemerides Gallorum A. 1679. naves tabaco onuſtas ad inſulam S. Chriſtophori merſas ita ſcribunt contaminaſſe aquas, ut iis exſtincti piſces & ad littus ejecti febris peſtilentialis paulo poſt exortæ cauſſæ vel fomenta fuerint. At hæc oppido raro!

vel aliorum valetudinem jactant, eam cum illa piſcium comparare. Nihil quidem inde certæ concluſionis efficitur, partim quod obſervationes eorum, qui marium ſcrutantur incolas, ipſamque eorum valetudinem, nimis adhuc anguſtæ, tumultuariæ & ambiguæ ſint, partim quod animalia, quæ ſuis legibus valent, ſub his licet ſana & longæva *c*), id beneficii in corpus humanum, cui in cibum cedunt, quippe alia lege ſanum, non neceſſario transferant; neque tamen a ratione alienum eſt, inter alimonias ex victu animali receptas uſuque comprobatas illam tantiſper ſalubriorem judicare, quæ adparentis vitii magis expers eſt. Gravior ſine dubio quadrupedum claſſem ſuſpicio premit, ubi toties oves hydrope & tinea, boves viſcerum abſceſſibus, porci lepra laborant. Capras Ariſtoteles *d*) valetudinarias, Varro *e*) nunquam a febre liberas, Plutarchus *f*) inprimis epilepticas, & ideo epilepticis infeſtas ipſe Hippocrates *g*) tradiderunt. Cujus tam multiplicis culpæ an reæ omnino ſint, non in præſenti diſputo, certe quod ſimiles querelæ de piſcibus ſileant, vel interpellent modeſtius, pro eorum quodammodo ſalubriori tutiorique uſu militat.

Major vis argumenti latet in ipſa de ſalubribus cibis judicandi norma. Quæ ſi judice Galeno *h*) in eo conſiſtit, ut cibus, qui

c) De longævis etiam piſcibus collegit varia Obſervatio Ledelii in Eph. N. C. Dec. II. A. X. O. 9. cum ſcholio.

d) Hiſt. animal. L. VIII. C. X.

e) De re ruſtica L. II. C. 3. nemo, inquit, ſanus ſanas capras promittit, nunquam enim ſine febre ſunt. Non minus ex Archelao Plinius negat febre carere. H. N. L. VIII. c. 50.

f) In Quæſt. Rom. Op. T. II. p. 290. A. negat flamini Diali licuiſſe capros tangere vel nominare, quod animal morbo comitiali obnoxium veſcentes forte inficeret.

g) De morb. ſacr. Op. Ed. Lind. T. II. p. 333. 10. Hinc qui mediterranea Africæ loca incolunt, ſanari non poſſe judicat, quia caprinis carnibus & pellibus utuntur, nec ſtratum vel pallium vel calceamentum habent, quod caprinum non ſit. Ib. p. 326. III. 6.

h) L. III. de aliment. facult. C. 25. 27. Op. Cl. II. p. 30. H.

qui medium ſanguinem inter craſſum & tenuem gignit, præſtet reliquis, id de piſcibus valere eodem auctore edocemur. Congruit Oribaſii *i*) ſententia, quæ piſces inter res probi ſucci, & medio loco inter ea, quæ attenuant & incraſſant, collocat, ſub qua laude omnes piſces comprehendit, qui nec fœtorem nec lentorem habent. Vix diſcrebat Celſus *k*), qui omnibus piſcibus, qui non ſaliuntur, juxta cum avibus medium locum inter fortia & imbecilla alimenta tribuit. Nec repugnat experientiæ fides, cum totæ gentes ſub hoc victu vel ſolo vel frequentiori pancratice vixerint *l*). Ipſe variis locis ſuadet Hippocrates, & κȣ̃φον ἔδεσμα piſces vocat *m*): ex qua ratione otioſis, imbecillis, litteratis, ſenibus ipſisque ægrotis vel a morbo convaleſcentibus Galenus magnopere commendat *n*), & Trallianus in morbis tantum non omnibus haud hæſitanter permittit *o*). Aretæus non in

i) Synopſ. L. IV. C. 3. p. m. 82. it. C. 13. p. m. 85. Excipit, qui in ſtagnis, paludibus & locis limoſis degunt. Addit C. 15. p. m. 87. b. ubi inter res coctu faciles retulit piſces, inter æque ſalubria ſemper coctu facilius eſſe, cujus major gratia fuerit: quod pro piſcibus haud leviter pugnat.

k) Medic. L. II. C. 18. ubi piſces eo loco ponit, quo in quadrupedum numero ſunt lepores, vel aves a minimis ad phœnicopterum.

l) Toti populi ἰχθυοφάγοι fuerunt, alios κρεοφάγȣς unice fuiſſe non legimus. v. Plin. H. N. L. VII. C. 2. XVI. 1. Strabo Geogr. L. XV. prope Geodroſiam populos deſcribit, non modo piſcibus pro obſonio & pane uſos, ſed & pecorum carnes piſcibus ſuis objicientes. Teſte Arriano L. VIII. Nearchus plures gentes detexit, quorum panis fuit farina ex aſſis tritisque piſcibus. Mutare victum coegit Alexander M. v. Plin. H. N. L. VI. C. 23. Hodie pleroſque Aſiæ & Græciæ populos piſcibus crebro veſci & optime valere teſtatur P. Bellonius Obſ. L. I.

m) De affect. Op. V. II. p. 191. 16. tum coctos tum aſſos, tum per ſe tum cum aliis cibis. Κȣφότεροι θαλάσσιοι, de diæt. Op. V. I. p. 221. 18.

n) De facult. aliment. L. III. C. 3. ubi præſtantiſſimum alimentum & laudatiſſimum ſanguinem mediæ conſiſtentiæ præbere cenſet. v. Op. Cl. II. p. 30. B. D. H. p. 31. B. p. 34. H. Pro imbecillis maxime L. III. de alim. fac. C. 29. commendat. Ita paſſim quartanariis, ſtomachicis, epilepticis, pleuriticis præſcribit.

o) Medic. L. I. p. 67. it. 106. L II. p. 134. L. VIII. p. 441 &c.

in chronicis ſolum, ut cephalæa & elephantiaſi, ſed & ipſis acutis, ut phrenitide diu durante & pleuritide piſces maxime ſaxatiles exhibet *p*): quos etiam Aegineta *q*) boni ſucci & coctioni auſcultantes ac modice humectantes, nec minus Aetius *r*) jucundum nutrimentum, coctu facile & ſaluberrimum, vocant. Adde, levi ſalſugine orexin ciere, nec gravare, ut carnes. Hinc etiam eos, qui convaleſcere incipiunt, ad piſces tanquam *κȣφότατον ὄψον* primum ablegandos eſſe, jam olim Zeno & Crato cenſuerunt *s*).

Sed fas eſt, haud plane intactum relinquere, quid alii, qui piſcium cauſſæ minus favent, objicere iis ſub quadam veri ſpecie ſoleant. Provocant, ut ſub antiquæ auctoritatis ſcuto pugnare videantur, ad Celſum, qui ipſos piſces ſaxatiles mali ſucci eſſe tradidit *t*). Dum unam piſcium ſpeciem coarguit, cauſſa quidem nondum excidimus; at mirari omnino licet, hæc tanto viro contra omnium veteris medicinæ principum teſtimonia excidiſſe. Neque conciliari ipſe ſecum poteſt, qui omnes ſuperius piſces, qui non ſaliuntur, in eandem cum avibus claſſem conjecit, & in ipſis paſſim morbis indulſit, & nunc peripneumonicis, ſi levari incipiunt, pro refectione piſciculos ſuaſit, nunc in gravedine tertio poſt abſtinentiam die *u*). Igitur mendoſi loci ſuſpicio nata

p) In cephalæa de morb. diut. L. I. C. 2. p. m. 117. D. Edit. Bœrhaav. in elephantiaſi ib. L. II. C. 13. p. m. 136. A. in phrenitide de morb. acut. L. I. C. 1. p. m. 74. B. in pleuritide ib. C. X. p. 91. C.

q) Op. L. I. C. 90.

r) L. II. C. 138.

s) Plutarch. ſympoſ. IV. Op. T. II. p. 668. Sic Oribaſius L. IV. C. 3. p. m. 85. b. imbecillis & convaleſcentibus exhibet. Congruit Simon Sethi, qui piſces juvare ait *τȣ̀ς τὴν δύναμιν ἀσθενεῖς καὶ τȣ̀ς ἀνακομιζομένȣς ἀπὸ νόσȣ.* de alim fac.

t) De Medic. C. II. C. 21. ubi inter res mali ſucci piſces refert ſaxatiles, omnesque qui ex tenerrimo genere ſunt.

u) Pro peripneumonicis L. IV. C. 7. in gravedine L. IV. C. 3.

nata eſt Balduino Ronſſeo *x*), & probata plurimis. Crediderim id ſpectaſſe Celſum, quod piſces illi tam teneri & friabiles facile vitientur in ventriculo, impuris humoribus ſcatente. Haud diſſimulamus, hæc de corruptibili piſcium cibo judicia omni ævo audita eſſe; eadem vero de lacte & ovis valent, nunquam ideo e ſalubrium & probe alentium ciborum numero expunctis *y*). Diphilus Siphnius apud Athenæum pariter piſces ſaxatiles εὐφθάρτους adpellat, ſub qua tamen voce nihil latere opprobrii, ſubjecta verba docent, quæ piſces illos coctu faciles & leves ventriculo eſſe, bonumque ſuccum gignere teſtantur *z*). Nimirum veteres coctionem cibi nunc cum Empedocle in putrefactione, nunc cum Eraſiſtrato in tritu collocabant, hinc σῆψις & πέψις, εὔφθαρτον & εὔπεπτον, tanquam verba unius ſenſus inter ſe permutabant. Et quis neget, modicam illam ſalſuginem, piſcibus marinis familiarem, ſua virtute metum, ſi quis eſt, celeris corruptionis, magis cohibere? licet non eo gradu, ut carnes piſcium induret & coctioni rebelles reddat, quod Georgio Cheynæo nuper viſum eſſe miror *a*). Hoc enim, ſi de purpuris & buccinis, de ſepia & loli-

x) In Comment. ad dictum locum p. 237. Dic, inquit, amice lector, ſi quisquam hic Celſo (modo ita pronuntiatum reliquit) ſubſcribere audeat: nam quis ſaxatiles piſces, qui optimum laudatiſſimumque ſanguinem gignunt, atque citiſſime in ventriculo conficiuntur, ut improbi ſucci rejiciat? Quis rurſum teneritudinem alimentorum ſumme commendatam incuſet? Nam ſi ſaxatiles teneroſque piſces, quod facile in probum ſuccum convertantur, atque id ſi minus conſequuntur, damnaris, eadem lege & ratione ova ſorbilia, lac recens mulctum, phaſides, perdices, capones rejicimus. Igitur pro ſaxatilibus legit ſtagnatilibus (vox Aurelii Victoris) pro tenerrimo valentiſſimo. Me judice paulo audacius.

y) Bene Jo. Nonnius de re cibaria L. 3. C. 13. p. 319. bonum alimentum vocamus, non quod nunquam corrumpitur, ſed temperatis corporibus nil damni affert.

z) Deipnoſoph. L. VIII. C. 14. p. m. 355. Ita ſcari carnem levem, friabilem, teneram, coctu facilem vocat, quæve deſcendit facile & prompte diſtribuitur. Sunt tamen etiam, qui paulo ægrius coquuntur, at eo plus alunt, ut aurata, glaucus, paſſer. Ex his mulli rite confecti carnem præ omnibus nutrire ait.

a) Hygien. C. II. §. 4. n. 4. it. §. 17.

loligine, de cetaceis ſimilibusque intelligit, repugnat nemo; at & nemo, cui de piſcium ſalubritate ſermo eſt, de iis facile cogitat. De reliquis Symmachum apud Plutarchum audiat, qui de ſale maris ſalubriter condiente, ut hinc ſuaviſſima non minus quam innocentiſſima ſint marina opſonia, docte diſſeruit *b*). Illi longius progrediuntur, qui ipſum mare accuſant, tanquam elementum & nobis alienum & humanæ naturæ inimicum, hinc minime aptum, cujus aquæ bibantur, nedum edantur, quæ educat *c*). Piſces igitur, ajunt, nec communi ſpiritu ali, nec cognati cum noſtro alimenti partem ſuſcipere. Largimur facile, illos non tam congeneris nobiscum naturæ eſſe, quam carnes volatilium & quadrupedum, quos eo nomine Melch. Sebizius præfert *d*). At quanto majori gradu diſtant vegetabilia, in uſum tamen vitæ humanæ præcipue & primum deſtinata! Plus ex his æque quam piſcibus alieni & feculenti in opere coctionis ſegregari haud inficior, neque vero aliud inde ſequitur, quam minori copia chyli & ſanguinis interiores viſcerum receſſus oppleri; hinc plethoræ & internæ corruptionis cauſſas, quæ a copia elaboratioris & citius alcaleſcentis alimenti pendent, minus quam ex quadrupedum victu metuendas eſſe. Arabum ſchola etiam gravius piſcium innocentiam adflixit. Rhaſes omnes piſces frigidos, humidos, duros vocat, longam in ventriculo moram tribuit, & ſitim objicit, quam accendunt, ſanguinem phlegmaticum, quem pariunt *e*). Mireris, homines, qui loca mediterranea a mari remotiora incolebant, piſciumque doctrinam negligebant, ab aſperis tamen cen-

b) Sympoſ. L. IV. Op. T. II. p. 668. D. it. 669. B. ὄψα θαλάττης πρὸς τῷ ἡδίςῳ καὶ τὸ ἀβλαβέςατον ἔχει.

c) ἀσύμφυλον ἡμῖν καὶ ἀλλότριον καὶ πολέμιον τῇ φύσει τȣ̃ ἀνθρώπȣ ςοχοῖον vocarunt mare Pythagoræi ex inſtitutione Aegyptiaca. Plut. Op. T. II. p. 729. A. Hæc ibidem ἄτοπος ſententia dicitur & γελοῖον.

d) De aliment. facult. L. III. C. 13. p. 982. Permittit tamen L. V. Qu. 89. p. 1434. truttas, luceolos, ſalmarinos in ipſa febre bilioſa & ardente.

e) L. ad Almanſor. tract. III. C. 16.

cenſuris ſibi neutiquam temperaſſe. Frigidum non facile dixerim, quod ſuo genio in corpore vivente alcaleſcit; nec humidum valde, cui nota duritiei & origo ſitis tribui poteſt. At illam inprimis duritiem in cibo tam molli & tenero ipſe ſenſus confutat, & moram in ventriculo adeo parvam agnoſcit Vitus Riedlinus, piſcibus alioqui non nimis propitius, ut eos nunquam ſatiare, & qui ventriculum vel maxime iis repleverint, protinus iterum eſurire ſcribat *f*). Sitis vero quomodo facile in ſanguine phlegmatico ſubſiſtat, quem eorum judicio frigidi humidique piſces generant? Non nego illam accendi poſſe vel a ſalis vel aromatis condimento, vel ipſius ventriculi corruptela, quæ nova ingeſta, inprimis facile mutabilia, coinquinat: hoc tamen ipſorum piſcium vitium non eſt. Quod tandem Julius Alexandrinus *g*) objicit, non verum ſimplicemque cibum eſſe piſces, ſed medicamentoſum, adeoque corpori, quod ſecunda valetudine fruitur, inutilem vel noxium; id nulla evinci ratione poteſt. Quidquid a corpore cito mutatur & ſubigitur, non eſt medicamentoſum, huic enim vis competit, corpus ipſum mutandi.

Juſtior eorum cenſura eſt, qui ob tenue, licet probum, ex plerisque piſcibus alimentum negant cibum eſſe, athletis, foſſoribus, agricolis aliisve congruentem *h*), qui forti & copioſo nutrimento, quod virium ſuarum conſtantiam tuetur, inter diſpendia vitæ exercitatæ egent. Horum omnino robur caro bubula & ſuilla, ac legumina cum atro pane felicius ſuſtentant. Neque iis repugno, qui pituitoſis, flatulentis, catarrhoſis, hypochondriacis, in quorum ventriculo cauſſa moræ & corruptionis fomes hæret, negant piſces, maxime in quibus glutinoſus lentor eſt. Meminerint autem omnes, ne ambigue nimis & hæſitan-

f) Lin. med. A. 1697. O. 2. p. 9. ubi catarrhos ex nimio eſu piſcium, ſub quo ſerum creſcit, derivat.

g) L. XIV. ſalubrium.

h) Nec Galenus negat, piſces durabile alimentum non eſſe: L. IV. de alim. facult. c. 26. De piſcibus tamen duriuſculæ carnis & valentius nutrientis v. Athen. deipnoſ. L. VII. C. 20. p. m. 320. Reliquos recte dicit non convenire robuſtis & τοῖς ἐν ἀξιώμασιν ἥρωσι.

ſitanter judicent, diverſas piſcium claſſes ſpectandas eſſe, inter quas ſemper lacuſtres deteriores ſunt, fluviatiles meliores, marini optimi, inprimis ſaxatiles: unde jucundiores olim cœnas ad littora inſtruebant. Neque illud prætereundum eſt, eorundem in ſua claſſe piſcium differre partes, ſuperne præter caput ſicciores, ſub ventre leviores, quippe plus exercitas & melioris nutrimenti. Aetatis pariter, quæ grandior omnes animalium carnes ad cibum ineptiores reddit *i*), & temporum anni habenda eſt ratio, ob quæ tincas æſtate damnamus, & gammari extra tempus, quo ovis implentur, vileſcunt. Magnitudinem piſcium ganeones adpetunt *k*), at qui maximam non attingunt, merito a Celſo præferuntur. Neque ineptam puto ſcholæ Salernitanæ regulam, ſecundum quam magnitudo in mollibus, parvitas in duris commendabilior eſt. Quo etiam pertinet, humidiores aſſos, duriores elixos præſtare, neutros facile frigidos comedendos. Qui plus panis ſimulque potum vini victui piſcium jungunt, ne corruptibile illud emergat, videntur ſolliciti eſſe; & ſimilis ratio ſubeſt, dum piſces ante alios cibos, & nunquam poſt majores labores commendant. In oppleto enim ventriculo longior mora eſt, in calente celerior corruptela. Sed vereor, ut ad particularia nimis deſcendam, quæ in diæteticis traduntur.

i) De barbo tamen aliter ſentit Auſonius:
tu melior pejori ævo, tibi contigit uni
Viventum e numero non illaudata ſenectus.

k) Prudentes piſces volo non infantulos, inquit apud Athenæum Philippus in Philyra.

PRO-

PROLUSIO
DE
LIMITANDIS LAUDIBUS PERSPIRATIONIS

PANEGYRI
III. MEDICINAE CANDIDATORUM
D. II. MENS. SEPT. 1753.
PRAEMISSA.

Primum ſanitatis fulcrum eſt, bona alimonia ſub juſtis coctionum præſidiis refoveri, alterum, a ſuperfluis, effœtis, noxiis, quæ ſub ipſo vitali motu naſcuntur, decenti ratione ac tempore repurgari. Ad ſtabilem corporis vigorem non enititur, qui omnes vulgo tradi ſolitas tuendæ valetudinis leges circa externæ vitæ regimen ſolertiſſime conſectatur, iſta tamen excretionum opportunitate deſtituitur. *a*) Sub hac vero etiam inſignem legum illarum neglectum impune ferri videas, neque id ſine medicorum, qui illas ſæpe moroſius commendant, opprobrio. Quid enim noxæ erit, ſi varia germinant ex vitæ erroribus in ſinu corporis vitia, modo virtus illa intro vigeat, quæ ſubleſtæ fidei incolas celeri protinus exilio mulctat, & ſic coctionis, ſecretionis, nutri-

a) Ideo non dubitat Frid. Hoffmannus diminutas excretiones vocare veras & adæquatas morborum cauſſas, ita ut nullus vel ſponte a natura vel arte ſanetur morbus, niſi iis reſtitutis. v. med. ſyſtemat. T. II. P. III. C. V. §. 16. p. m. 410.

nutritionisque operam, a Natura impenſam, nullis induciis indultis, ab omni offendiculo liberat. Tres ſunt regiæ viæ, quæ per alvum, renes & cutem, quidquid hoſtile latet, & ipſa mora infeſtius, tempeſtive expellunt. *b*) Spondet Leonhardus Fuchſius, neminem facile morbis corripi, *c*) cui juſtum alvi auſcultat officium, & orientium in primis ſtatim viis cruditatum, ſub ſatellitio flatuum, ſpaſmorum dolorumque, eliminat cauſſas. Plus eſt in renum officio momenti, quo magis evolutis ſub perenni interno motu ſalibus oleisque, ſi juſto diutius in vitali humorum latice ſubſiſtunt, per interiores viſcerum receſſus labes diſpergitur. At perſpirationis commoda, quæ tenuiſſimæ corruptelæ ſtimulos per cutaneos meatus copioſe diſſipant, etiam tunc, ſi languet alvus, ſi parcius ſecedit lotium, nihil non hujus injuriæ expiare, & omnia fere ſummæ ſalubritatis momenta in ſe continere creduntur. Habet hæc doctrina a multis, quibus fulciri ſolet, rationibus luculentum robur, nec minus tamen fallacem e coloribus, quibus exornari ſolet, & evanidum fucum. Fateor, ſubtile eſſe & penetrare ac lædere aptius, quod perſpirando ejicitur, hinc nullo temporis articulo hujus tam neceſſariæ excretionis beneficium in ſanis vegetisque interquieſcere, ſed maſſam humorum a virulenti inquinamenti, tum interne nati, tum externe admiſſi contagio perpetim abluere; cum e contrario inteſtina ſtercoribus, veſica lotio, ſæpe moram in corpore ſatis longam, idque ſine offenſa valetudinis, indulgeant. Neque id nego, in morbis, ubi auctior motus plus atterit & corrumpit, adeo-

b) Haud alias adgnoſcimus excretiones, depurando corpori proprie ſervientes. Lacrymæ, mucus, ſaliva, cerumen, ſemen, lac & alia, licet pariter excernantur, nihil in ſe vitii habent, ob quod proprie excrementitii liquoris nomen mereantur.

c) Op. T. I. inſt. med. L. II. S. 5. C. 2. p. m 121. C. inprimis, inquit, ſtudendum eſt, ut venter quotidie bis ſemelve pro conſuetudine eat. Qui ſi naturæ beneficio laxus fuerit, id in magnam felicitatis partem eſt numerandum. Quippe qui alvum natura apertum habent, haud facile morbis corripiuntur. Qui contra adſtricta ſunt alvo, ii perpetuo cum morbis conflictantur.

adeoque attrita & corrupta evehendi major neceſſitas incumbit, plurimum præſidii in vigore cutaneæ excretionis, quæ tanto ambitu patet, ceterisque plus & nocentius expellit, merito exſpectari, *d*) idque ſi cito contigerit, ſiſti in ortu atrociora mala. Addo, tutius & celerius imminentem morbum cognoſci ex læſa perſpiratione, *e*) ſub qua incipit, quam læſis functionibus, ſub quibus adoleſcit, vel vita antecedente, quæ crebro inquirentium operam deludit.

Verum hæc nihil impediunt, quin laudum illarum, quibus fortiter perſpirantes cumulantur, limite opus ſit. Nunquam periculo caret, tantis diſpendiis, quæ dubio ſucceſſu reparantur, exhauriri. Valent quidem, in quibus reparantur, at ſæpe eos periclitari neceſſe eſt, cum crebræ, quæ in vita humana occurrunt, cauſſæ, nunc perſpirationem lædunt, nunc neceſſariorum ſupplementorum partem, ob languentes aliquando coctiones, intercipiunt. Et dum optime valent, patet, perſpirando non ſola noxia in iis eliminari, ſed & non contemnendam coctiſſimorum humorum copiam, cujus ad fulcienda corporis miniſteria diutius ſalutaris eſſe opera poterat. Si una nox apud Sanctorium

d) Ex his multi lucem pro illuſtranda corticis peruviani virtute mutuantur. Hæc virtus nonnullis ſuſpecta viſa eſt, quippe nihil morboſi ad ſenſum evacuans. Verum ut dudum Sanctorius in medic. ſtatic. S. I. §. 61. reprehendit medicos, qui per alvum & urinam tantum in omni ægritudine expulſionem moliuntur, de augenda perſpiratione non cogitant; ita Liſterus ad redarguendam in his medicorum ſocordiam, provocat ad virtutem corticis, aucta perſpiratione in febribus ſalutaris. Subtilius hæc computat Noguez in Comment. ad med. ſtat. Sanct. p. 357. & nixus Sanctorius calculo, plus perſpirando ejici, quam alvo & lotio ſimul, concludit, morboſum in febribus intermittentibus per purgantia & diuretica lentius vinci & expelli quam per diaphoreticam corticis virtutem: febrem vero perſpiratione impedita majorem accendi, quam reliquis excretionibus ſimul impeditis. Ingenio hæc non vacant, at hodie comparatio calculi excretorum ad mentem Sanctorii non agnoſcitur.

e) v. Jac. Keilii med. ſtatic. Brit. p. m. 13. prima morborum ſemina ex ponderatione, incrementa ex læſis partium officiis cognoſcuntur.

rium quinquaginta tenuiſſimi fluidi uncias rapit & difflat, *f*) minima ejus pars eſt, quæ exilium meretur, maximus vero coctionis vigor requiritur, qui tantum perditorum intra tam breve tempus conſtanti lege reſtituat. Igitur tutius valet corpus, quod minus perdit, nec tantis indiget ſuppetiis.

Videas borealium gentium corpora, longe minus illis, quæ ſub calidiori cœlo vivunt, perſpirantia, ut calculi Sanctorii, Dodarti, Keilii, Gorteri aliorumque inter ſe mutuo comparati docent, valere athletice & extremæ paſſim ſenectutis onera vegetius ſuſtinere. Diſerte Hippocrates imbecilliores vocat, qui bene, robuſtiores, qui male perſpirant. *g*) Addit quidem, ſi utrique in morbos incidunt, illos facilius, hos difficilius eluctari, at nemo non promte perſpicit, quæ hujus diſcriminis ratio lateat. Nempe ideo imbecillis magis adfulget ſpes ſalutis, quia ex levi cauſſa protinus corripiuntur, certius robuſtis periculum imminet, quia a cauſſis ægritudinum non niſi graviſſimis vincuntur.

Si veteres athletas reſpicio, aliosve, quibus omne ſtudium in virium tutela & augmento poſitum fuit, crebrioribus inter exercitia ſua & lotiones unctionibus uſos video, *h*) ſub quibus ſine

f) Med. ſtatic. S. IV. §. 1. ſub ſomno placido, ait, ſeptem horis quinquaginta uncias cocti perſpirabilis ſæpe exhalare.

g) Hippocr. de alim. Op. Edit. Linden. V. I. p. 596. VI. 5 & 6. ἀσθενεστέρους vocat τοὺς διαπνευομένους καλῶς, e contrario ἰσχυροτέρους τοὺς διαπνευομένους κακῶς.

h) Quartus gymnaſii locus erat olim unctionibus deſtinatus nomine alipterii. Ibi, qui ſe exercere volebant, ungi prius & deinde pulvere conſpergi ſolebant, reduces ab exercitio & ferreis ſtrigilibus deterſi rurſusque ut plurimum uncti balnea adibant: e quibus egreſſi novam unctionem ſuſtinebant, nunc oleo ſimplici, nunc odoribus condito, nunc ceromate vel etiam diapaſmate pro coercendis ſudoribus. v. Plin. H. N. L. 21. C. 19. Lavari vero & ungi tam erat apud omnes frequens pro valetudine tuenda, ut referente Stobæo Arihimedem ſervuli vi abſtractum ab abaco ungerent, ſolitum adhuc in corpore uncto figuras mathematicas deſignare. conf. H. Mercurial. de arte gymnaſt. L. I. C. 8.

ſine dubio perſpiratio multum fuit imminuta, id vero impune. Galenus docet, *i*) & præteritam laſſitudinem & futuram ſic mitigari in colluctantibus, nempe ob inhibita ſudorum diſpendia. Hinc & inuncti ſe pulvere conſpergebant, non tam, ne manus laberetur, in qua certe cautione parum gloriæ erat, *k*) quam ut ſudoribus ſub tenaciori unguine minus diffluerent, in quo plus erat pro valetudine præſidii. Illa vero ſe inungendi conſuetudo in Africa hodie adverſus ſiccantis aëris colores non minus frequens eſt, ubi paſſim totæ gentes colorato vernice obvolvunt corpora, ſpurciores etiam fuliginem cum pinguibus ſubactam pro eodem ſcopo adhibent, *l*) & ſub his perſpirationis impedimentis nihil incommodi ſentiunt. Neque, quod eandem maxime minuit, frigus, modo non inter ſubitas caloris viciſſitudines ingruat, lædit corpora, quæ ſemper ſub æſtuante cœlo languent & parvo labore conficiuntur, ſub frigidiori levitatem & agilitatem, quæ nulla facile opera gravatur, percipiunt. Quid quod in frigidiſſimis regionibus fere nudos incedere videas, quos ſtrenuum gelu minus offendit, quam molles apud nos homines & continuis caloribus adſuetos auræ jucundæ lenocinium. Invictæ veritatis canon eſt, debiles ſemper infirma valetudine laboraturos eſſe, niſi ſenſim & per gradus frigori adſueſcant, ſub quo plus nativi caloris, coctionis ac roboris accipiunt.

Hæc & ſimilia probe expendens cl. Reaumurius ipſo diminutæ perſpirationis beneficio vitam inſectorum prolongare, & per gradus quidem aucti caloris curſum dierum præcipitare, ſub juſto autem frigoris moderamine retardare in inſectis docuit. *m*)

Ea-

i) L. 6. de valet. tuend. C. ult.

k) Dulcis ſine pulvere palma. Horat. Ep. I. L. I.

l) Hoc de incolis promontorii bonæ ſpei ſcribunt. Non diſſimile eſt, quod de camelis apud Chardinum legimus, quorum verno tempore pili cadunt, ut ſint inſtar porcelli fervente aqua deterſi. Tunc vero contra puncturas muſcarum pice oblinuntur, ſine omni noxa ſuppreſſæ perſpirationis.

m) v. ej. memoires à l'hiſtoires des inſectes V. II. M. I. de la durée de la vie des chryſalides, de moyens de la prolonger & de moyens de l'abreger.

Oſten-

Eadem ab his cauſſis in homine, ſua etiam ſtadia, quibus creſcit & decreſcit, decurrente fieri poſſe, non vane conjicit. Nam in calidis regionibus omnia citius maturitatem ſuam attingere, citius puellas nubiles fieri, citius feminarum fœcunditatem exhauriri videmus, quam in frigidis locis, quorum incolæ lentiori gradu ætatum ſpatia emetiuntur, & longævorum exemplis abundant, plura etiam numeraturi, ſi tam moderate in exercendis corporibus & tam ſobrie in cœnis ſuis viverent, ac fieri a plerisque ſolet ſub calidiori cœlo. Nec parum probabile eſt, æſtatem plus vitæ noſtræ demere quam hiemem. Natura ipſa in multis animalibus, ut protrahat vitam ſub perpetua actione brevem, hiemalis frigoris vincula injicit. Sic inſecta obtorpeſcunt hieme, ſic ſcarabæi & muſcæ in cavis arborum hærent, donec vernus calor torporem ſolvit, ſub novo quaſi in vitam reditu. Formicæ, quas ajunt æſtate commeatum in horrea ſua convehere, ut ſit, ex quo per hiemem vivant, tunc potius coacervatæ reperiuntur, una ſuper alteram, immobiles inſtar mortuarum. *n*) Inter quadrupedia etiam urſi & mures montani & campeſtres, ne de aliis dicam, partem hiemis

Oſtendit, animalia ejusdem ſpeciei, ratione temporis, quo naſcuntur, perſpirationi magis vel minus faventis, nunc breviorem vitam habere, nunc quater vel quinquies longiorem. Si eruca menſe julii mutatur in chryſalidem, hæc manet per dies tredecim, antequam papilio emergit: ſi vero eruca in formam chryſalidis tranſit initio ſeptembris, hæc manebit per novem vel decem menſes, antequam papilio evolvitur. Vel hac ratione clarius: vita inſecti ſub triplici illa forma erucæ, chryſalidis & papilionis ſic differt, ut eruca, ſi nata ſit menſe julii, haud pereat forma papilionis quam menſe junii ſequentis anni; ſi vero menſe maji eruca naſcatur, peritura ſit menſe julii ejusdem anni ſub eadem papilionis forma. Hoc tribuit compactæ chryſalidum cruſtæ, quæ minus in frigore perſpirat, cum tamen papilio tener mollis & humidus exire prius non poſſit, quam ſuam a juſto caloris ſiccantis gradu conſiſtentiam nactus. Egregiis ſub regio nutu experimentis rem confirmavit, & inſectorum dicta lege pereuntium vitam quinquies immo ſexies longiorem reddidit.

n) v. cl. Reaumur. l. c. p. m. 3.

mis ſine alimentis tranſigunt & in ſtatu quodam ſtuporis, quem nihil vincit quam calor, ſive per artem ſive naturam excitatus. Igitur imminuto motu, cum quo ſiſtuntur perſpirabilis materiæ diſpendia, ſimul in viribus ſuis ſuſpenditur, quidquid vitæ cauſſas deſtruit. Vix tamen optabile erit homini, ſi fieri poſſet, ſub ſimili inertia actionum, & ſub iisdem ſoporibus vitam per ſecula extendere, niſi forte jucundum putet, morum, regnorum, ſcientiarum converſiones & novas quaſi rerum formas ſub illis renovatæ vitæ intervallis crebro intueri. Verum aliæ ſunt rationes, quæ vitæ viribus decentius parcunt.

Hic illud unice urgeo, quod Naturæ inſtitutis non congruat, nimis copioſe perſpirare. Nam ut aër ſub vario caloris & frigoris gradu corpus noſtrum adluat, lege naturali, quæ valetudini noſtræ nunquam infeſta eſt, contingit. Huic adſueſcere nos poſſe, docet jam commemorata hominum in frigidiſſimis regionibus nuditas, quæ omnes tempeſtatum injurias ſine querelis tolerat. Et nonne facies noſtræ ac manus tolerant pariter? nonne nuda tenerarum puellarum colla & pectora? *o*) An reliquarum partium, ut easdem ferant, major infirmitas eſt? Non verecundiæ laxo vincula, non omnem veſtium tutelam adſpernor. Opus omnino eſt, ut perſpiret cutis. At opus non eſt, ut neceſſariæ & ſalutaris perſpirationis limites excedens in perpetuo quaſi tepidario ſit, & rivos humorum vitalium una cum viribus effundat. Sane mollities noſtra inter leves frigoris offenſas ad excalefacta cubicula confugiens parit ſibimet ipſi damna, ex ſuppreſſo ſolitæ perſpirationis gradu emergentia, in quo periculo non ſunt, qui parcius perſpirant. Fateor, ſi ſemel iſta conſuetudo invaluit, duram & noſtra culpa impoſitam legem ferendam eſſe, certe non reſcindi niſi caute & pedetentim poſſe. Quamdiu vero res integra eſt, ſuffragamur parentum conſiliis, qui ad neceſſariam vitæ varietatem liberos ſuos adſuefaciunt, neque

o) Quod hic adſuetæ puellæ ferunt, vix durus arator ferret, inquit vir perilluſtris Gerh. v. Swieten in comment. ad aph. Boerh. T. II. p. 37. ubi hoc argumentum docte illuſtrat.

que actioni aëris aliarumque rerum, cum quibus perpetuum commercium eſt, temere eos ſubtrahunt. Non beneficium perſpirationis in iis ſiſtitur, ſed ad ſalubriorem gradum revocatur, cum reliquos certa & conſtans ſub ambiguis ſupplementis jactura lædat & debilitet, quin & in locum perſpirabilium, ſub fotu caloris patentem nimis, cruda rapiantur & obſtruant, donec febris pro reſolutione & expulſione exſurgens obſeſſas vias ad tempus liberet. Mox hæc vel ſimilis ſcena ſub exiguis intervallis renovatur.

PROLUSIO DE SALUTARIS SOMNI MENSURA ET TEMPORE.

PANEGYRI

II. MEDICINAE CANDIDATORUM

d. 28. MENS. DEC. 1753.

PRAEMISSA.

Exhauſtum vigiliis corpus cibo & ſomno reficitur, ſed, ut adparet, ſub gravi onere & impendio. Nam cura parandi cibi, qui indigentiæ alendi corporis per omnem ætatem ſufficit, inter inſignes laborum moleſtias plerorumque incumbit cervicibus. Et quis ſomnum, qui dimidiam multis vitam eripit, *a)* ut

a) Somnus ut publicanus dimidium vitæ tempus nobiscum dividit, *ὥσπερ τελώνης ἥμυσιν ἡμῖν τȣ̃ βίȣ συνδιαιρεῖται χρόνον.* Verba ſunt Clementis Alex. II. pædagog. C. 9. Op. Edit. Potter. p. 187. A. Cui reſpondet illud Plinii: nocturnæ quietis æſtimatione dimidio quisque ſpatio vitæ ſuæ vivit, pars æqua morti ſimilis exigitur, aut pœna, niſi contigit quies. Hiſt. nat. L. VII. C. 50. Ed. Hard. Vol. I. p. 406. 8. Et vigil ille nec ad requiem facilis Hannibal apud Silium Punicor. L. XII. v. 560. credidit

abſcedere vitæ,
quod ſopor eripuit tempus.

ut iners & ſine fructu effluat, beneficium ſuum gratis impertiri dixerit? Neque vero majora ſunt merita, quam quæ fugientibus ultro vitæ cauſſis manum injiciunt, & caduci ſua indole corporis ſtabilitatem tuentur. Præterea utramque, de qua dixi, injuriæ ſpeciem ab inſtitutis Naturæ facile depellit temperantia, quæ cibo ſomnoque, iſtis ſub certo tantum limite ſalutaribus Naturæ auxiliis, quantum redundat, detrahens, ibi ſumtuum querelas reſcindit, hic etiam vitam extendit, nec tamen miniſteria vigiliarum juſto virium commeatu deſtituit. Videas certe homines, ad id, quod Naturæ ſatis eſt, attentos, adeoque in modicis adquieſcentes animo & corpore vigere, illud inſuper moderati victus ſomnique præmium conſequi, ut major utriusque uſum gratia comitetur, & inſignior virium, quæ inde emergunt, alacritas ac conſtantia ſit. E contrario occurrunt quotidie, qui a lautis epulis imbecilliores, a protacto ſomno torpidiores reſurgunt. Neque tamen auſteris quorundam ſententiis ſubſcribo, qui tanquam venenum fugiunt, quidquid ciborum, etiam

ſub

Nobis quidem vitæ pars eſt, quæ edormitur, quippe ἄνεσις corporis non ἔκλυσις, ſed leto ſimillima: unde mortalem ſe eſſe didicit Alexander. Venuſte cum Homero Georgius Leontinus fratrem mortis dixit, & in ultimo ſenio ſomnolentus, cum quomodo ſe haberet quærerent, jam ſomnus, inquit, fratri ſuo me incipit tradere, ἤδη με ὁ ὕπνος ἄρχεται παρακατίθεσθαι τῷ ἀδελφῷ. v. Aelian. Var. Hiſt. L. II. C. 35. Aptiſſime Ariſtoteles ſomnum vitæ & mortis interliminium vocat, μεθόριον τοῦ ζῆν καὶ μὴ ζῆν L. V. de generat. C. I. Op. Edit. Du Val. Tom. II. p. 695. C. Fuerunt autem, qui, ut in pleriſque fieri ſolet, ad contraria delapſi ſomnum non modo pro parte vitæ ſed & meliori habuerunt, ut chorus Thebanorum apud Senecam in Hercule fur. A. IV. v. 1068. Sine dubio iis vnice ante oculos eſt vita miſera, curis, ærumnis morbisque fracta, in qua ὕπνος ἰατρὸς, ὑγεία βίου, σώματος σωτηρία, πανδαμάτωρ, παγκλαύστων ἀλγέων ἐπίῤῥοθος paſſim audit, & ſecundum Prudentium hymn. VI. Cathemer. p. m. 70.

mens æſtuans procellis
curisque ſauciata
totis bibit medullis
obliviale poclum.

ſub famis condimento, gulæ lenocinatur, & qui ſomnum blande obrepentem ſub duris operimentis, inſtratis etiam littorum calculis vel ſpinis ſylvarum confeſtim excutiunt. *b*) Stultiores dari non cenſeo, quam qui indulgentiæ Naturæ, ad id, cui dulcedi-

b) Quod de Aſcetis Epiphanius refert. Erat autem multorum hominum ſtudium, ὑπνομαχεῖν, futile profecto & noxium. Quid enim futilius, quam ſanctis Naturæ inſtitutis obluctari? quæ omni arte, quidquid machinarum opponat, potiora vel invitos ad ſomnum impulerunt, ſub ipſo interdum horribili tormentorum fragore, nunc ſub ingeſtis etiam atrociſſimis verberibus. Neque Herculis robuſtiſſimum corpus hic reſiſtit,

et feſſa cervix capite ſummiſſo labat,
flexo genu jam totus ad terram ruit,
ut cæſa ſylvæ ornus.

Senec. in Herc. fur. A. IV. v. 1045.

Et quid nocentius iſtis futilis ſapientiæ tentaminibus, quibus vis corpori infertur, & vita brevior magisque calamitoſa redditur? Nam citius elangueſcunt, & ſub continuo attritu conficiuntur organa, ut, qui interpoſita ad Naturæ leges quiete, octoginta ſæpe annos attigiſſet, hac non ſublata dicam, ſed nimis diminuta ad dimidiam hujus ætatis partem fruſtra adſpiret. Delectat vero multos fabula totarum, quæ ſomno caruerunt, gentium. Sic Troglodytas Agatarchides ſcribit non pro aliorum hominum more ſomnum capere, ſed eum ad nocturnos rogos cantibus ſuis repellere. v. Photii Biblioth. Ed. Gr. Schott. p. 738. Dio Caſſius Ulpium Marcellum ἀϋπνότατον vocat, qui ab Imperatore Commodo adverſus Britannos miſſus, ut militibus ſuis quaſi ſemper vigilans admirationi eſſet, duodenos codicillos quolibet propemodum veſperi conſcriptos per ſingulas noctis horas, alios ad alios adferri curavit. Atque idem Marcellus victu ſimplici adverſus ſomnum pugnans Roma adferri panem juſſit, ut vetuſtior & infirmas gingivas cruentans minus ad edendum alliceret. v. Dion. Caſſ. Hiſt. Rom. L. 62. 8. Ed. Fabr. V. II. p. 1210. Alii meram ideo aquam biberunt, ita ſomnum non niſi ſummis oculis inſidere perſuaſi. Alii potu tenui, ut juſculorum carnis, ſeri lactis, infuſi Thee vel Coffee ad unciam unam vel alteram omni ſemihorula ſumto repulerunt ſomnum, ut Sherardus, qui his auxiliis tres dies noctesque ſine ſomno perduravit, referente H. Boerhaavio, ſed & improbante, quod inter funeſta multorum amicorum experimenta vitam his præcipitari cognoverit. v. Comment. in inſtit. §. 192. Ed. Haller. Vol. IV. p. 531.

cedinem jungit, nunquam temere invitanti moroſe obluctantur, & propitiam ejus manum, cujus ſuſpecta eſſe munera nequeunt, ſub inſidiarum metu repellunt.

In his non aliam Natura inſtinctuum ſuorum catenam habet, quam qua vigilantibus, qui virium & humorum multum ſub functionum ſuarum exercitiis perdiderunt, famem in hac novæ alimoniæ indigentia accendit, ad corpus iterum replendum; repletis proclivitatem ad ſomnum parit, *c)* ad ea, quæ ſuſcepta ſunt, ſublatis coctionum impedimentis ſubigenda magis & perficienda; ſic demum refectis coctique humoris nova copia inſtructis agilitatem ad priſtina vitæ munera obeunda, immo voluptatem inſpirat. Quem ſcopum magis illuſtrant corporeæ ſtructuræ leges, dum cibus a famelico ſumtus, & quidquid ſpirituum coctorumque humorum fere ſupereſt, in præſidium coctionis ſuæ alliciens ſenſum torporis parit: cui mox accedit, quod crudus adhuc chylus cum ſpiſſiori jam ſanguine permixtus & interno calore rareſcens majora diſtendat vaſa compreſſis minoribus, quod fieri in molli cerebro nequit, *d)* quin ſomnus obrepat, ſenſumque & motum

c) Somnum a cibo naſci, omnium inprimis imbecillorum ſenſus docet. Ariſtoteles Op. Tom. II. p. 96. *γίνονται*, inquit, *οἱ ὕπνοι ἀπὸ τῆς τροφῆς*. Arguit vero ex hypotheſi *ἀναθυμίασιν τῶν σιτίων*. Omne animal a paſtu ſomnolentum: tunc nocet moveri, juvat quieſcere vel dormire, nec ſomnus in quartam horam differendus, quod Sanctorio placuit. v. Med. ſtat. S. IV. §. 28. conf. notas Gorteri ad illum §.

d) in cerebro ſolo ſunt veluti vigiliarum ita ſomni leges ſtabilitæ. Hinc ſomno carent animalia, quibus cerebrum non eſt, niſi improprie pro ſomno accipias torporem in inſectis ſub hiemali frigore natum, cum liquidorum univerſali fere quiete. Limitanda proinde ſententia Ariſtotelis eſt, qui negat dari animal, *ὃ ἀεὶ ἐγρήγορεν ἢ ἀεὶ καθεύδει* l. c. p. 91. c. Cerebri vero & communis ſenſorii in vigiliis hæc eſt conditio, ut ratione ſolidorum pateant origines nervorum, recipiant & transmittant, ratione fluidorum ſpiritus ex affluente illuc ſanguine ſecedant, & ad organa ſenſuum motuumque voluntariorum conſcia vel dirigente anima deriventur. In ſomno autem collapſus eſt minimorum vaſorum cerebri cum penuria ſpirituum ad dictas functiones neceſſariorum, ſive quod

motum animalem, a compreſſis minimis ejus vaſis pendentem, adeoque omne inter animam & corpus commercium, tantiſper ſuſpendat. Quo intermedio tempore nova diſpendia ab actionibus vigilum naſci conſueta ſiſtuntur, *e*) ſtricta ſolida laxantur, fluida minus jam preſſa liqueſcunt, & humoribus diurno motu, qui tenuiora expulit, compactis, nunc ubi ſomnus occupat, blando & æquabili tritu, quem nulla muſculorum actio turbat vel alio divertit, circumactis ſenſimque ſolutis patet iterum in minora vaſa ingreſſus, reditque ſub excitante ſtimulo, *f*) poſt quietem illam cerebro & ner-

quod ipſe ſanguis non ſufficienti rivo accedat, unde ligatis experimento Drelincurtiano caroditibus ſtatim obdormiſcit animal, ſæpe etiam a gravi venæſectione homines in funeſtos ſomnos incidunt, v. Ant. Beniven. de abd. morb. cauſſ. C. 50. ſive quod ſpiſſior ſanguis accedat quidem, ſed parum tenuis liquidi ex ſinu ſuo promat, quæ cauſſa naturalis ſomni; ſive quod vires motus pro ſecretione deficiant. Breviter Galenus: cerebrum in vigiliis ſemper exercetur, in ſomno quieſcit. v. Op. Junt. Edit. CL. III. p. 19. A. Succincte etiam, & niſi cor pro primo ſenſorio habuiſſet, vere Ariſtoteles l. c. p. 98. ſomnum vocat τῦ πρώτυ αἰσθητηρίυ κατάληψιν πρὸς τὸ μὴ δύνασθαι ἐνεργεῖν.

e) Siſti nimis manifeſtum eſt ex tot cauſſarum, quæ diſſipant & conſumunt, quieſcente in ſomno actione & placidiori jam reddito humorum circuitu, ſilente etiam magis ſenſibilium excretionum ſtimulo. Jam Plinius corpora omnium animalium dormientia vigilantibus pondere præſtare ſcribit l. c. V. II. p. 385. 7. Joh. de Gorter de perſp. inſenſib. Ed. II. C. XII. 22. p. 122. experimentis centies repetitis ſibi conſtare ait, diurnam perſpirationem nocturna longe majorem eſſe, immo duplo majorem. Neque in hoc Keilii, qui in medic. ſtat. Brit. p. m. 14. perſpirationem diurnam nocturnæ ſesquialteram dixit, calculus multum differt, ut adeo Sanctorius, in Med. Stat. S. IV. §. 1, 2, 18, 19, 56. ubi contrarium docuit, ex paucis obſervationibus nimis generatim concluſiſſe videri poſſit, inprimis cum in America ſeptentrionali ad eundem gradum aeris & tempeſtatum quam Venetiis accurate inſtituta Leiningii experimenta eidem in his & aliis repugnent.

f) Excitat nunc nova actio rerum externarum, ut fulgur vel ſonus, nunc ſtimulus alvi, veſicæ, pituitæ pulmonalis & alia, quibus mox evigilantis frictus, oſcillatio & pandiculatio accedunt. Dubitat H. Bœrhaavius, animal unquam ſponte expergiſci, ſine nova actione prius in mente excitata, regenitis licet intra definitum tempus ſpiritibus. Meminit juve-

nervis in tam tenera textura neceſſariam, conſuetus in vigiliis animalium functionum vigor. Tam mirabilem Natura ordinem tenet in corpore ſub perpetuis ruinis refovendo. Unde inprimis colliguntur leges, quæ menſura ſomni ſingulis pro corporum ſuorum conditione conveniat? & an inter illas rite determinatas aliquid etiam ſalubritatis in ſomno diurno ſit?

Juvat de menſura illa cogitare, infra vel ſupra quam ſomni beneficium in noxam tranſit. Somnus & vigilia, inquit Hippocrates, *g*) ſi modum excedunt, mala. Si juſto brevior ille eſt, attrita parcius reficit, ſpiritus in opere functionum animalium tum neceſſarios juſta copia haud reparat, ſolida vigiliis conſtricta magis & tenſa non ſatis laxat, fluida iisdem diſſipata & ſpiſſata, non ut par erat, pro novo tenuiorum humorum proventu ſolvit. Sic languent vires, opus inprimis coctionis & nutritionis, *h*) quod blandum & æquabilem motum poſtulat, læditur, corpus emaciatur, cruda perſiſtunt, febris & alia mala imminent. *i*)

Hinc

juvenis cujusdam, qui inebriatus ab aulicis & in tenebricoſum locum delatus tres dies noctesque perdormivit, quod non tam ebrietati debetur, quam ſilentio cauſſarum excitantium. v. Comment. ad §. 590. Ed. Hall. V. IV. p. 512-

g) Aph. S. II. 3. S. VII. 71.

h) Coctio & nutritio melius in ſomno peraguntur, & eo nimis interrupto læduntur. Dormientibus bona coctio, inquit Galenus de ſympt cauſſ. L. I. c. 8. Nam coctio non fit agitando, ſed ſub æquabili, licet debiliori, motu ingeſta macerando, nec crudi ingreſſum in ſanguinem præcipitando. Id quod ſomni tempore certius contingit, ubi longior ingeſtorum in ventriculo mora affuſis ſenſim liquidis ſaponaceis lente ſegregat partes ſui ſimiles, & ſalubriorem chylum elaborat. Sub vigiliis, ubi interveniens motus muſcularis varie turbat, magis omnia tumultuarie fiunt. Inprimis motus ille a paſtu, omni ævo damnatus, cruda rapit intro, quæ nova internorum viſcerum coctio non emendat. Bene hinc Sanctorio laudatur a cibo ſomnus, a ſomno coctio, a coctione perſpiratio Med. ſtat. S. IV. § 59. Nutritio quoque in ſomno melior. Illa enim ſitum naturalem partium requirit remittente omni tenſione. Aegre vero nec tuto partibus tenſis & inæqualiter agitatis adhæret alimonia. At embryonum infantumque, quibus tantum ſomni, celerrima nutritio.

i) V. Sanctorii medic. ſtatic. S. IV. §. 30.

Hinc Jo. Gorterus exceſſum quam penuriam ſomni mavult. *k*) Verum illius etiam luculentiora damna ſunt. Nam a longiori ſomno relaxatis diutius vaſis, & torpeſcente nimis per laxata illa humorum motu, hi iterum inviſcantur & ad ſpiſſitudinem tendunt; quippe cujus duplex ſpecies eſt, altera a motu compingente & tenuia difflante, altera a nimia quiete & debilitate, per quam ultro partes humorum noſtrorum ſibi commiſſæ coeunt. *l*) Maxime circa extrema, ubi ſilente muſculorum actione languidior motus eſt, ſiſtuntur humores, accumulantur, in celluloſis præſertim locis, perſpirabile, & reliqua excernenda, retinentur. Interne ex eodem torpore motuum cerebrum, in quo parvus niſus eſt reſiſtendi, oppletur, gravatur, ſenſus hebeſcunt, nervi diu collapſi coaleſcunt, oblitteratis ſimul eorum muneribus, *m*) corpus denique totum fit frigidum, laxum, iners, ponderoſum, & ut Lowerus probat, *n*) dum in ſomno plus ſanguinis per arterias ad cerebrum ruit, quam per venas revehitur, apoplexiæ obnoxium. Inter hæc igitur utrinque incommoda menſuram ſomni varie definiunt, nunc in ea amplificanda nunc coarctanda & circumſcribendis noctibus occupati. Ordinaria plerorumque ſanorum confirmati corporis norma eſſe poteſt pars tertia diei, ſive octo horæ ex viginti quatuor. Pro diſcrimine ſanorum multi laxio-

k) de perſp. inſenſib. ad aph. 336. Sanctorii p. 454.

l) Hinc bene laudatus Gorterus l. c. C. VI. §. 5. p. 33. hoc ſpecificum eſt humoribus: quod, ſi fuerint viſcidi & glutinoſi, quiete vel nimio ſomno aut debilitate organorum facti, a motu attenuentur; verum ſi compacti ſint motu corporis, quiete iterum & ſomno liqueſcant. Conf. Sanctor. med. Stat. S. IV. §. 50.

m) Unde hebetudo, cœcitas, fatuitas & ſimilia mala. H. Bœrhaavius vidit medicum ſatis eruditum, qui mirabilem voluptatem in ſomno quærens recepit ſe in locum ſilentem & obſcurum, & dormiit ita pene perpetuo, ut deſtructa animalitate fatuus in noſocomio perierit. Comment. in Inſtit. §. 590. Ed. Haller Vol. IV. p. 513. Cœcitatis ex ſomno exemplum in P. Corn. Ruſo, Romano olim conſule habet Plinius in H. N. L. VII. C. 50. de Catalepſi cl. Imbert dans les memoires de l'Acad. des ſciences 1713. Ed. Amſt. p. 419.

n) de Corde Cap. II.

laxiores terminos ab horis ſex ad novem conſtituunt, *o*) ſeveriores ultra horas quatuor non deſignant, *p*) & cum Clemente Alexandrino *q*) maximam noctis partem reſecandam pro vigiliis eſſe

o) Ad minimum ſex, ad ſummum novem horas dormire licet, inquit Jo. Horſtius in manud. ad medic. p. 226. In quam ſententiam ei præivit pater Greg. Horſtius, qui in ſtatu ſanitatis coctionem peragi & vires animales roborari horis ad minimum ſex, ad ſummum novem exiſtimat, & hinc ſomnum concludit bene intermedio tempore, & frequentius ſeptem horis determinari. v. de ſanit. ſtudioſ. tuend. L. I. C. 10. Vix diſcrepat ſententia Jo. Beverovicii, quam in theſ. ſanit. P. 2. C. 17. his verbis proponit: infra ſex horas dormire vix ſufficit, quod vero eſt ultra novem horas nimium eſt, ſeptem horæ ſufficiunt. Atque hunc terminum ſeptem horarum, Auguſto olim familiarem, v. Suet. C. 78. probant plurimi, ut V. F. Plempius in fundam. medic. L. 3. C. 7. G. Mœbius in Inſtit. L. 3. P. 2. C. 6. & Jo. Jac. Jœpſerius in manud. ad vit. long. P. l. C. 10. ubi vulgare illud citat:

Septem horis dormiſſe ſat eſt juvenique ſenique.

Septem illas horas Caſp. Hofmannus & Guido Patinus ſic probant, ut alter ad detrahendam, alter ad adjiciendam horam proclivior ſit. Ita C. Hofmannus: ſex aut ſeptem horis ſomnum naturalem circumſcribimus. Addit, ne poſſe quidem ſanos ulterius dormire v. Inſtit. med. V. 31. 7. At G. Patinus de tuend. valet. c. 4. ſic habet: in genere fere conſtat, ſomnum ſeptem vel octo horarum circiter eſſe debere. Aliam horam, ſi opus, addit Henr. Rantzovius de conſerv. valet. C. II. cujus hæc ad filios verba ſunt: ſomnus veſter ſpatio ſeptem, octo, vel ad ſummum novem horarum circumſcribatur. Nugatorium eſt illud Th. Lanſii ex Grutero: quinque horis dormit viator, ſeptem ſtudioſus, octo mercator, undecim quicunque nequam.

p) M. Ant. Muretum Andr. Schottus in vita ejus ſcribit ad ſummum ſingulis noctibus quinas horas, plerumque quaternas aut etiam ternas tribuiſſe. Arſenius monachus, præceptor olim Arcadii & Honorii ſatis eſſe monacho dixit, ſi unam horam dormiverit. Georgius Caſtriotus tempore belli, quo Epirum recuperavit, per ſingulas noctes binis horis ſomno indulſit. Utrumque ex obſcuræ fidei auctoribus Zwingerus refert.

q) Laudat *τῆς νυκτὸς τὸ πλεῖστον εἰς ἐγρήγορσιν ἀποτεμνομένους* L. II. pædag. c. 9. Op. Edit. Potter. p. 29. Cui illud ejusdem reſpondet: *οὐ γὰρ χρὴ παννύχιον εὕδειν.* Merito hinc ib. p. 17. cum ſobriis *ἀναπαύσεως τεχνάσματα βλακικὰ*, ignavæ quietis artificia & illecebras

eſſe monent, tantum abeſt, ut de die adjiciant. Quæ componi diſſidia non poſſunt, niſi ſingulorum, quibus hanc menſuram commendes, ratione ſolertius habita.

Minime vero Natura per has humanæ cognitionis ſalebras ducit, ſed opportuno inſtinctu etiam rudiores inſtruit, ut neutiquam periclitentur, qui ad illum provide attendunt. *r*) Conſtat, multa circa nos animalia vigilare, edere, dormire, variis ejusdem diei intervallis. Dum vires ſentiunt, fatiſcere ad pabulum; inde ad ſomnum ſe convertunt. Non male id exemplum ſequeretur homo, ſi ederet, quoties famelicus, dormiret, quoties a labore ſuo torpidus eſſet. Illud etiam commodi ſequeretur, ut parvæ conſumtioni exiguus cibus, huic brevis ſomnus ſufficeret; cum e contrario, qui nimis protrahunt vigilias & fatigantur, fractis coctionum præſidiis ambiguo ſucceſſu per dicta adminicula reparare nituntur, quod perdidere. Homo tamen, ne diei negotia interpellentur, bis tantum de die vel ſemel cibum capiens, & quidquid ſomni eſt, in noctem rejiciens, hac ſtabilita per magnam ætatis par-

bras damnat, ut ſtratorum, pulvinorum, ſtragularum mollitiem, qua in lanuginoſas plumas tanquam vaſtum hiatum incidunt. Quibus ſane rejectis ſub ſobrio victu multum ſuperflui ſomni reſecatur. Sed huc non pertinent moleſtiora ſuperius p. 235. ad Not. b. improbata. Nec niſi operam ludunt, qui nocturnum Platonis horologium, vel ſphæram Ariſtotelis, vel globulorum Alexandri in pelvim ruentium ſtrepitum ac ſimilia circa lectulos dormientium requirunt.

r) provide dico, ne Herm. Boerhaavii, qui ipſe alioqui Naturæ inſtinctus reverenter habet, auctoritatem, mihi præ multis venerabilem, objiciant. Is inſtit. §. 770. nimium ſomnum docet iis nocere, qui præ ceteris in eum proclives, his prodeſſe, qui ad pervigilia promti. Verum eſt, non laxis humidisque, quales illi, ſed ſtrictis & ſiccis, quales hi, ſomni laxantis & rigantis vires convenire. Nec illud experientia difficulter confirmat, quo plus dormitur, eo magis cupidinem ſomni creſcere, immo hos, qui interdum conſueto ſomno aliquot horas adjiciunt, toto plerumque die ſe ſomnolentos ſentire. At velim, cum pravæ conſuetudinis ſtimulo vocem Naturæ non confundi. Hic ſomnus ultro offertur, ibi ſtudioſe quæritur; hic naturalis, ibi morboſus eſt. Nec enim de alio ſomno quam nimio Boerhaavius loquitur.

partem conſuetudine haud læditur. Conſenſus ille moratiorum gentium mutui commercii & neceſſariæ interdum ſolitudinis horas, ſub quibus fas eſt adire alios, ſub quibus nefas, bene dirimit dierum & noctium limite, & ſic omnino impedit, ne officia, quæ vel aliis vel nobis debemus, facile inter ſe collidant. Igitur, qui ex conſuetis dierum laboribus ſine inſigniori laſſitudinis ſenſu eluctatur, illum haud decere diurni ſomni uſum arbitror, non tam quod Naturæ, quam humanæ ſocietatis opportunitatibus aliquatenus repugnet. Verum non in omni vitæ genere, corporis temperie, ætatis ſtadio, & incidentium cauſſarum requiſitis eadem honeſtam voluntatem virium copia comitatur, unde quidem ſomni, ſive in ſolam noctem, ſive aliquando in diem rejiciendi ratio & menſura variat.

Spectemus nonnihil vitæ genus, & primum quidem agile & exercitatum ſub magnis corporis & animi commotionibus, quibus cito ſpiritus in nervis, organa ſenſuum & motuum voluntariorum adeuntibus, exhauriuntur & deficiunt. Fieri hic perpetuam ſub ventriculi & internorum viſcerum actione reparationem haud diffiteor, at diſpendiis vigiliarum imparem agnoſco. Tempus igitur inſtabit, ut vaſa minima cerebri ex ſanguine, tenuiſſimis liquidis orbato, parum accipiant vel nihil, adeoque impleta minus, immo etiam externe preſſa collabantur. Succedere jam debet illud tempus, in quo major reparatio fit quam jactura, quod de ſomno valere, quis non ex dictis perſpicit? Hæc tam neceſſaria quies, quidquid ſenſuum motuumque animæ ſervit, ſopiens, magna, ut diximus, inhibet diſpendia, & molle cerebrum nervosque a longo opere feſſos luculento otio recreat. Id vero non ſufficit, cauſſas novarum conſumtionum & languores miniſtrantium partium cohibere. Accedere debet ipſa reparatio, cum jam tranquillior nec in plures operas diſtracta vitæ poteſtas benignius omnia loca permeat, & iisdem, pro magnitudine ſua ac diſtantia a corde, æquabili virium rivo & blando fotu, compacta ſolvente, *s*) proſpiciens coctionis præſidia firmat, no-

s) in ſomno ſanguis funditur, *χεῖται τὸ αἷμα*, inquit Hippocrates de diæta III. Op. Lind. Ed. Vol. I. p. 250. XV. 3.

novumque pro novo die ſpirituum commeatum præbet. Sine dubio definita ſunt tempora, quibus ingeſta coquuntûr, attenuantur, adſimilantur, ut tandem elaboratiſſimum illud liquidum, omnes actiones corporis expertum, minima vaſa cerebri ſeu nervos impleat, & in iis ubertim ad deſtinata functionum loca derivetur, ac vigiliarum miniſteria inſtauret. Pone, intra viginti quatuor horas in ſano tantum parari ſpirituum, quantum in vitæ exercitatæ vigiliis per horas octodecim requiſita ferat impendia: ſex horis in eo opus erit, ut perdita ſomno reparentur. Cum impar ſit, etiam in eodem homine, vitæ negotioſæ gradus, pro vario incumbentium negotiorum onere, ſemper tamen meminerit, cibum labori, utrique ſomnum reſpondere debere. Solet vero, ſi non longus, certe profundus, qui optime coquit & cito reparat, occupare exercitatos, quali ſomno Galenus tribuit, quod etiam pravo cibo non lædantur. *t*) Seorſim de magnis animi commotionibus probe tenendum eſt, plus eos fatigare quam magnos corporis motus. Hi enim nervis certarum partium in opere conſtitutarum, illæ toti nervorum generi vim inferunt; hi inter conſumtiones præparant humores ad novam ſpirituum a ſomno geneſin, illæ conſumunt tantum non reſtituunt; hi abrumpi ex arbitrio poſſunt ad vires quiete refocillandas, illæ pergunt perenni ſtimulo nervos pungere, ipſumque ſomnum, ut medelam morbi, prohibere. Hinc Sanctorius graviter pronuntiat, corpus animo commoto quieſcens plus perſpirare & perdere, quam corpus animo quieſcente commotum. *u*) Non hic prætereo eruditos, quibus cerebri & nervorum functiones maxime ſerviunt, unde conſumi ſpiritus, craſſa vero ſub quiete corporis figi, coctiones enervari, & chronicos morbos, maxime circa viſcera abdominis, ubi omnis motus languidior, radices agere, ſatis promptum intellectu eſt. Hic partim interpoſitis corporis exer-

t) De altiori ſomno eos premente differit Galenus l. de ſympt. cauſ. op. CL. III. p. 10. A. quod is optime coquat, docet l. de alim. fac. Op. CL. II. p. 10. B. quod hinc pravo cibo non lædantur, ibidem adſtruit.

u) medic. ſtatic. S. VII. §. 35.

exercitiis, partim longi ſomni refectione adjuvantur. *x*) Quod probe olim cognitum fuit Trœzeniis Epidauriis, qui in ara communi Muſis & ſomno ſacra fecerunt, haud majorem rati Muſis amicum eſſe quam ſomnum. *y*) Atque hunc iis, quippe infirmioribus prima nocte capiendum eſſe, ſuadere poſſunt & ratio aeris, nunquam niſi ſub occaſu ſolis nocentioris, cui nemo prudens ex G. Cheynæi judicio ſe temere ſubmittit, *z*) & oculorum, quo-

x) quod Homerus Iliad. II. v. 24. de principibus dixit, quibus cura populorum incumbit, & hic quidem de ipſo Agamemnone.

Οὐ χρὴ παννύχον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα

Non oportet per totam noctem dormire virum conſiliis potentem.

illud ad Oppiani Alieut. V. v. 6. commentatus Conr. Rittershuſius in app. p. m. 356. ad litteratos quidem adplicare ſimili verſiculo voluit:

Οὐ χρὴ παννύχιον μουσῶν θεράποντα καθεύδειν.

Verum ſi omitto, quid pro publico commodo ferendum incommodi ſit, utrorumque valetudo protractiori ſomno eget. Paucos excipio, qui *χαλκέντεροι* et ipſo uſu confirmati multa hic ferunt, ut olim Scopelianus ſophiſta, a veſpera ad diei ortum ſtudiis intentus. Vocatur Philoſtrato *ἀϋπνέτατος ἀνθρώπων*, qui tamen, ut addit, *διατέλεσε ἐς γῆρας βαθὺ ἀκέραιος καὶ ἄρτιος.* v. Philoſtr. Op. Edit. Olear. p. 515.

y) Pauſan. L. II. Corinth. gr. text. p. 74. *Βρωμός ἐστιν ἀρχαῖος, ἐπὶ δὲ αὐτῷ μούσαις καὶ ὕπνῳ θύουσι, λέγοντες τὸν ὕπνον μάλιστα φίλον ταῖς μούσαις.*

z) G. Cheynæus circa occaſum ſolis hora altera aut tertia nullum infirmis tempus nocentius judicat, hinc prudenter ait facere, qui, ne illi periculo caput objiciant, æſtate paulo poſt occaſum ſolis, hieme octava vel nona hora cubitum eunt, & tepidi lectu fotu contra injurias illas corpus defendunt; inprimis cum hoc inter coctionis beneficia primis noctis horis magis reficiatur, licet matutinis plus perſpiret v. Sanct. l. c. S. VI. §. 29. Supponit, halitus, quos calor diurni ſolis elevat, nocturno frigore denſatos circa ingreſſum noctis gravi noxa deſtillare, & perſpirabili materiæ exitum præcludere, ſerumque acre & lentum inter certas valetudinis offenſas accumulare. Urit incautos ipſe res ſereno cœlo cadens. Ebrius minus ſibi nocet Cheynæi judicio, qui mature decumbit, quam ſobrius vigilans & ſtudia in ſeram noctem protrahens. v. ejus Panac. C. III. §. 3. 5.

quorum acies ad inſtabile candelarum lumen hebeſcit, & ipſius ſomni, magis corpus intra paucas horas ante mediam noctem, quam intra geminum tempus poſt illam reficientis. Ab eruditis corpore non animo quieſcentibus ad illos tranſeo, quorum & corpus & animum corrupit otium. Hi, ſi quid conſilii admittunt, nec cibi multum nec ſomni capiant, inter tam pauca ignavi corporis diſpendia, corruptelam vero ex humoribus tam lente meantibus & vi omni coctionum deſtitutis vita exercitata, ſi quid adhuc ſpei eſt, antevertant.

Potioris etiam momenti eſt attentio ad propriam corporum indolem ac temperiem, ſomno nunc longiori nunc breviori faventem. Ariſtoteles his, quibus magnum caput & anguſta vaſa ſunt, majorem ad ſomnum propenſionem. exiguam illis, quorum ampla ſunt vaſa, tribuit. *a*) Ratio obſcura non eſt, cum fluida ab anguſtioribus vaſis, quæ admittunt minus, ad molliora & dilatabiliora cerebri, quæ omnium minime reſiſtunt, eo promtius ruant, quo latius in magno capite campus ille patet. Verum eadem vaſa ab admiſſa mole tumentia, tum coercente cranio nequeunt cedere, premunt deorſum, quæ vis ad minima cerebri vaſa, ſeu nervorum origines redundans, aditumque pro ſecretione occludens, neceſſario ſomnum parit. Quod & plethoricis contingit, plerumque, & inprimis ſub majori motu, ſomnolentis. Nec obeſorum alia ratio eſt ob anguſtiora vaſa. Dum ſomnum captant ſub decliviori corporis ſitu, cito in illum profundiſſimum incidunt. Talis obeſus Heracleæ tyrannus Dionyſius fuit, quem vix oblongis aciculis in adipem immerſis revocare e ſoporibus ſuis licuit. *b*) Iſte vero ſomnus, in quem ex dicta cauſſa obeſi ruunt, non ideo, quod ad Malpighii ſententiam adeps acrem ſanguinem demulceat, diu tanquam naturalis conſiderandus non eſt. Merito iis Vop. Fort. Plempius ſomnum, quia auget

a) *μαγαλοκέφαλοι καὶ ἀδηλοφλέβοι* ei dicuntur *φίλυπνοι* l.c. Op. Vol. II. p. 96. e contrario *οἱ δὲ φλεβώδεες ȣ̓χ ὑπνοτικοί.* p. 97.

b) ex Memnone Photius refert in bibl. Ed. Gr. Schott- p, 360.

auget morbum, non niſi brevem permittit, & vigiliis ſiccari corpus adipemque motu attenuari præcipit. *c*) Hic maxime naturalis corporum temperies, ſtricta nimirum vel laxa nobis ante oculos verſatur. Si ſtrictior aridiorque, ſine dubio relaxantis ſalubriter & humectantis ſomni munere indiget, adeoque protrahendi illius veniam negabit nemo. Hinc veteres Germani, quorum labor duravit corpora, teſte Tacito *d*) ſomnum in diem extraxerunt. Laxa vero, mollia, humida & debilia corpora, nimio ſomno, qui plus laxat & humectat, metuant enervari & viſcidis humoribus obrui. Patet ex his, quid de phlegmaticis, cholericis, ſanguineis & melancholicis ſentiendum ſit? Phlegmatici, quibus cum laxis illis humidisque magna affinitas eſt, ſic ſomno fruantur, ut ignaviæ pabulum non fiat; quamvis ob lentam in iis coctionem non nimis reſcindi debeat. *e*) Cholerici ſtrictis illis propiores largum ex conſilio G. Patini *f*) ſomnum capiant, & quod Plempius *g*) vult, a paſtu. Sanguineis ut victus ita ſomnus plenior ſit, *h*) melancholicis ut parcior cibus & lenta con-

c) de togat. valet. tuend. C. 6. n. 11. Plus vero ſomnus in pinguefaciendo poteſt quam reliqua omnia, & omne animal macilentum manebit, utcunque ſagines, niſi dormierit, verba ſunt H. Bœrhaavii in Comment. ad Inſtit. § 368. Ed. Hall. Vol. VI. p. 144.

d) de morib. Germ. C. 22.

e) G. Mœbius inſtit. L. 2. P. 2. C. 6. iis ſomnum octo vel novem horarum concedit. Ad decem aſcendit Jo. Jac. Jœpſerius in manud. ad vit. long. P. I. C. 10. Favet hæc indulgentia quidem deſideriis phlegmaticorum, ſed ſenſim nimis partium tonum deſtruit. Præfero judicium Plempii l. c. qui breviorem commendat ſomnum, & vigilias, quæ corpus exſiccant & roborant, imperat. Iis, puto, etiam adclamat Auſonius; a linea rape membra molli
Parmeno lecto.

f) de tuend. valet. c. 4. Nec tamen largiori ſomno, licet profit, facile adſueſcunt. Nimium improbat Sanctorius l. c. S. IV. §. 51.

g) de togat. valet. tuend. l. c.

h) in horum ſomnum ad horas octo vel novem conſentit G. Francus ſatyr. med. 18. p. 385.

conſumtio eſt, ita ſomno, ad quem minus propendent, carere diutius poſſunt.

Aetatem ſi reſpicimus, tenella infantum non tertiam diei partem, quam ordinariam ſomni menſuram dixi, ſed duas facile tertias dormiendo conſumit, & a graviſſimis morbis inde vindicatur. Hic fere alterna nutricum opera eſt, nunc ubera præbere vel pulticulam, nunc cunis tradere. Laxa quidem corpora infantum ſunt, quibus videri poſſit laxantis ſomni vis non nimis convenire. At hæc laxitas iis, ut incrementum capiant, amica & neceſſaria fugere non debet, quod benigne laxat; modo quæ implent & nutriunt, ne copia gravet debilem vim coctionis, parce & crebro offerantur. Puerilis ætas omni gradu aliquid ſomno detrahat, ut is tamen horis vigiliarum non multo inferior ſit. Viris juvenibus, ad florentem vegetamque ætatem jam enixis breviſſimus ſomnus ſufficit, ſub tanto quo gaudent, virium reparantium vigore. *i*) Ad hos maxime pertinet menſura illa ſex vel ſeptem horarum. Caveant vero vigiliis nimis adſueſcere, ne idem iis contingat, quod Galeno, qui hinc majori ætate in moleſtum pervigilium incidit. *k*) Viri adultiores horam addant, quia lentior in iis coctio eſt, nec corpus niſi adipe augetur. Senes, quippe exſucci rigidique, ſomno, qui mollit, & ut Galeni dictione utar, *l*) humectat, ſpiritusque & effluvia cohibet; largiori reficiantur; certe quia ſomnus eorum interruptus eſt, diutius in tepore

i) Jo. Jac. Jœpſer. in Iſag. ad vit. long. P. I. C. 10. qui ætatis florentis ſunt, inquit, breviorem ſomnum poſcunt, ſcilicet horarum ſeptem. Joſ. Quercetanus in diæt. potyh. S. 2. C. 10. p. 129. juvenibus ſanis & robuſtis ſatis eſſe ſex horas judicat.

k) L. II. de aliment. facult. C. 40. Id quoque de ſe ipſo H. Bœrhaavius ſcribit. Comment. ad inſtit. in §. 768. Ed. Hall. Vol. VI. p. 145.

l) Comm. in Hipp. de vict rat. in ac. morb. Op. CL. VII. p. 128. C. Ita alio loco: ſemper vigiliæ exſiccant, ſomnus humectat. Op. Cl. III. p. 184. A. Hinc & ſitis medelam vocat ib. p. 185. G. denique pulſum mollem ideo ſomno tribuit Op. CL. IV. p. 109. D.

pore lectuli hæreant. *m)* Si verum eſt, quibus tardior coctio, eos longo, quibus celerior, eos brevi ſomno egere, elucet facile in ſenibus, ubi omnia lente reparantur, ſomni ſalubritas. *n)* Vegetiſſimus ſenex, Ludovicus Cornarius adeo ſalutare in ſe expertus eſt, non ſemel vel bis de die, ſed decies immo vicies pauxillum cibi capere: cum tali vero victu quid magis conſpirat, quam alterna brevis & crebri ſomni refectio? Par ratio eorum eſt, qui e longis morbis reſurgunt, largiori cibo & ſomno reficiendi.

Multa paſſim incidunt alia, quæ ſolitos ſomni & vigiliarum terminos migrare permittunt. Crebræ ipſa ingeſta hujus varietatis cauſſæ ſunt. Nam quæ ſolubiliora adſumuntur, nec mora in ventriculo, nec longiori coctione, nec protracti ſomni beneficio egent. At quæ craſſiora ſunt & tenaciora, velut ultro ad ſomnum invitant, ita retineri ejus ope & coqui diutius debent. Quid compotationes, quid magnæ evacuationes & variæ cœli tempeſtates ad majorem ſomni gradum conferant, obſcurum non eſt. Illud Hippocratis: vere & hieme longiſſimos ſomnos eſſe, *o)* ſatis experientia confirmat. Ingens præterea vis eſt conſuetudinis, quæ ut cibi ſalubris commoda, inſalubris noxas ſæpe tollit, ita ſomni nunc brevioris, nunc longioris, nunc in tempus parum opportunum rejecti vincit aliquamdiu diſcrimina. *p)*

Inje-

m) Negat. Dan. Sennertus, eſſe aliquid, quod ſenum corpora plus foveat, quam ſomnum, hinc eum vitam ſenum vocari. Inſtit. L. IV. P. I. C. 6.

n) Conſentiunt auctores tantum non omnes de ſenum largiori ſomno. Inter hos v. Dan. Sennert. inſtit. med. L. III. C. II. O. 5. Jo. Beverovic. theſ. ſanit. P. I. L. IV. C. 2. it. P. II. C. 19. Leonh. Fuchſii inſtit. med. L. II. S. 4. C. 11. Gotter Mœbius, iis ut pueris octo vel novem horas parciori manu indulget. v. Inſtit. L. II. P. II. C, 6.

o) ὕπνοι μακότατοι ventribus eo tempore calidioribus tribuuntur in Aph. 15. S. I.

p) Unde tot exempla, licet adſperſis fabulis non ſemper vacua, hominum vel diu carentium ſomno, vel ex eo nonniſi poſt longum tempus expergefactorum. Inſomnes fuiſſe, & per tres menſes quidem virum grandævum Gu. Rolfincius in meth. med. ſpec. conſ. L. I. C. 3. per ſex menſes

pue-

Injecta conſuetudinis mentio me vocat adhuc ad ambiguam ſomni meridiani ſalubritatem. Dubium non eſt, quin ille ſomnus adſuetis conveniat, noceat inſuetis, ex quibus horum lædi viſcera & perſpirationem hebetari, illorum caput levius ſentiri, unaque hora libram, vel ſi nihil heſterni vitii reſtat, ſemilibram perſpirare teſtatur Sanctorius. *q*) Neque vero ſola conſuetudo, ſed & aliæ rationes, hujus ſomni, modo brevior ſit, agunt vindicias. Ipſius Hippocratis judicio, ne corpus ab æſtate reſiccetur, brevis ſomnus interdiu confert. *r*) Juſtius illum a prandio probat, quam Celſus ante cibum. *s*) Immo vero coguntur meridiari, qui corpus

puerum Dominic. Panarolus in Pentecoſt. L. V. O. 4. per quatuordecim menſes mente captum Jo. Fernelius in pathol. L. V. C. 4. per tres annos Mæcenatem Plinius in H. N. L. VII. C. 51. per decem annos Nizolium Jo. Heurnius C. 16. de morb. Cap. quin & per annos triginta quinque matronam nobilem, de cetero vegetam, Hier. Mercurialis in Pract. P. I. C. 27. enarrant. Inter diu dormientes Epimenides Gnoſius in proverbium abiit. De ſeptem viris Epheſiis ſævitiam Decii fugientibus Paul. Diaconus in hiſt. Longob. L. I. C. 3. & alii incredibilia referunt, de puero Lubecenſi per ſeptem annos dormiente Alb. Krantzius L. VIII. Vandal. C. 34. de ruſtico Germano, qui ſub fœni cumulo totum autumnum hiememque ſomno tranſegit, ex M. Damaſceno Balth. Bonifacius in hiſtor. ludicr. L. XVII. C. I. ubi ſimilia occurrunt, ſuo pretio, quod apud me magnum non eſt, æſtimanda.

q) alterum in med. ſtatic. S. IV. §. 66. alterum §. 43. & 37. docet. De tradito perſpirabilium calculo ſub id tempus dubitat ad illum locum Gorterus.

r) de diæta l. Op. Ed. Lind. Vol. I. p. 209. XXXVI. 25. Ita & ib. p. 246. VIII. 7. ſomnos a brandio breves, ſi Pleias orta, imperat. Cui congruenter Joſ. Quercetanus l. c. p. 128. de die in ſella dormire jubet, erecto capite, ne ſomnus excedat.

s) Celſus L. I. C. 2. longis diebus meridiari potius ante cibum, ſin minus, poſt eum, imbecillis ſuadet, per hiemem potiſſimum totis noctibus conquieſcere. Ad hunc locum B. Ronſſeus non probat indulgentiam Celſi. Ratio, cur minus ſalubre ſit a cibo meridiari, male in imaginaria cibi corruptione quæritur, cui ſenſus Naturæ ipſius repugnat, veræ indigentiæ comes.

pus multum in aere calido exercent. Crebrior certe ejus ſomni uſus eſt in calidis regionibus. Negat Varro vivere ſe ſine eo æſtivis diebus poſſe. *t*) Dum Plinius incolis in inſula Taprobana, qui ſub Claudio legatos Romam miſerant, nec interdiu nec in diem ſomnum eſſe ſcribit, *u*) id videtur tanquam ſingulare & a ſuorum civium & cognitarum gentium moribus alienum referre. Noſtra quidem corpora idem ſolis calor non exſiccat, nec tamen, inprimis dum aliæ cauſſæ accedunt, ut victus plenior craſſiorque, injuriæ expers eſt. In menſa Marchionis Badenſis cum medici multi adverſus ſomnum meridianum acriter declamarent, ſurrexit Felix Platerus, celebris præ aliis tunc medicus, ſenioque & auctoritate venerabilis, atque ad ſe ipſum provocans, qui tot annis ſine morbo vixiſſet, at vix die ſine ſomno meridiano, facile frivola illorum judicia compeſcuit. Crato in ſiccioribus probat. *x*) Sane ultro patet, ſi ſomnus illo tempore non habet, quod emendet, ſi neque coctio laborat, neque ſpiritus deficiunt, ut in robuſtis, quibus penu cerebri, quo opus eſt, abunde & diu ſuggerit, abſtinendum ab eo eſſe, utpote non minus noxio, quam ſuperius de ſomno nimio dixi. Vereor autem, ne dictæ rationes ſæpe ingruant, ut adeo multis nomen ſomni meridiani immerito tam inviſum ſit. Dabimus, ſomnum, qui ideo noctis filius dicitur, ſub nocturnis horis plus convenire, & tunc maxime mereri, ut eum cum Menandro ſalutem corporis, cum Hippocrate cibum viſcerum adpellemus; certe concurrunt multa, quæ diurnum excludere vetant. Quis auſit negare illum pueris, aut ſenibus, aut morbo exhauſtis? *y*) Sub vegetioribus etiam annis quis neſcit multa

t) L. I. de re ruſtica C. II. 5. ubi ſocero Fundano hæc verba paulo obſcuriora tribuit: ego æſtivo die, ſi non diffinderem meo inſititio ſomno meridie, vivere non poſſem. Confer L. III. C. II. 15.

u) Hiſt. Nat. L. VI. C. 22. Ed. Hard. Vol. I. 314. 8.

x) Concil. med. C. 103.

y) Jo. Riolanus de diæt. ſanor. C. 13. infantibus & ſenibus ſomnum meridianum valde convenire judicat, & ſenibus quidem ſtatim a cibo licere. Citat illud Neſtoris:

Ut

multa incidere, vel ob itinera nocturna vel alios labores, ex ipſo ſæpe vivendi genere in illud tempus ingruentes, ut a die cogamur repetere, quæ nox negavit. Oppianus piſcatores laudat ſomni ſatietatem non amantes, z) quod certior noctu eorum præda ſit. Aequius veniam dediſſet, diurno ſomno corpus recreandi.

Ut lavit ſumſitque cibum, dat membra ſopori.
Namque hæc juſta ſeni.

z) Non ſit piſcator *ὕπνου φιλέων κόρον* Alieut. III. v. 45. ſomno, ait, eorum corpora effeminantur, *ὕπνῳ μαλθάσσοντα* Alieut. V. v. 16.

PROLUSIO
DE
SALUTARI SITUS CORPOREI VARIETATE LITTERALIS ETIAM,
QUI
SCRIBENDO, LEGENDO, MEDITANDOQUE OCCUPANTUR, OPPORTUNA,

PANEGYRI

WILH. LUDOV. CHÜDEN

D. 17. MENS. MART. 1756.

PRAEMISSA.

In vitæ legibus ad valetudinis tutelam ſanciendis occurrunt variæ, quæ cum a multis negligi impune & violari videantur, medicos, tanquam auſteros nimis & futilia ſuadentes, cenſuris ac cavillis plurimorum ſubjiciunt. Verum ut hominem perfecte ſanum ſuis, quibus innutritus eſt, vivere legibus non repugnamus, nec illud, quod ei ex præſagio noſtro metuendum erat, niſi collectis ſub longo annorum decurſu viribus in funeſtam noxam erumpere, hanc etiam deinceps, prout vaga hominum inter tot cauſſarum fallacias conjectura facile aberrat, rebus plerumque a fonte mali alieniſſimis tribui, crebro uſu animadvertimus; ita ſaltem infirmis celeriorem ac luculentiorem erroris ſui ſenſum, hinc majorem legum noſtrarum, quas provida tot ſecu-

lorum

lorum attentio ſtabilivit, reverentiam ſuboriri, earumque ſalutari obſervatione illa artis opprobria tempeſtive dilui exiſtimamus. Ingenui & gratioſi medici non eſt, jugum imponere, quod vel ipſe in ſimili valetudinis ſtatu defugiat, vel nihil veræ rationis, qua ſpes ſalutis nititur, in ſe contineat. Quæ tamen ejus ad adſenſum & indulgentiam pronior voluntas non impedit, quo minus bene mereri quam placere malit, hinc aliquando in minutiis *a*), quas novit in magnam molem injuriarum, quæ valetudinem opprimunt, ſenſim increſcere, paulo moroſius, nec frivole tamen, ut imperiti arguunt, ſubſiſtat.

Poteſt inter has minutias, quæ ſuo in progreſſu momento non deſtituuntur, litteratorum, qui legendo, ſcribendo meditandoque multum & diu occupantur, opportunus corporis ſitus referri. Quem dum animus ſuggerit nonnihil inſpicere, multiplicem illum ſitum variis vitæ muneribus ſervientem, cujus ut capax corpus eſſet, omnis ejus fabrica in hunc ſcopum ſapientiſſime inſtructa conſpirat, non eſſe neglectu & deſuetudine coarctandum, & in uno tantum alterove, initæ vitæ rationibus magis congruente, adquieſcendum arbitror. Id maxime volo, corpus noſtrum, quod alternis motus & quietis præſidiis ſuſtinetur, in eo ſitu, qui nunc jacentium eſt, nunc ſtantium, ſedentium, euntium & vario motus gradu ſeſe exercentium, perpetuam varietatem requirere. Nullus ex his ſitus eſt, nam reliquos, in quibus homines ſcenici & geſticulatores ſe exercent, hic non moror, qui non omnibus neceſſarius ſit, omnibus tamen diu protractus noceat, adeoque & omnibus, qui valere cupiunt, crebræ permutationis legem imponat.

Videtur ex his diutiſſime ſitus jacentis ferri poſſe, qui tam placidus ſopor membra reſolvit, totas ſibi noctes vindicat. Nemo tamen neſcit, chronicorum morborum, qui lecto adfigunt conſtantius, incommoda ex iſto ſitu non parva ſui parte ſubnaſci & ſuſtentari. Qui in nocturna quiete & diuturnis etiam morbis illum

a) Verum reperietur, qui minutias ſpernit, illum pedetentim quidem & paullatim, at peſſum omnino iturum eſſe, inquit G. Cheynæus de infirm. valet tuend. C. IV. §. 9. p. m. 239.

illum jacentis corporis ſitum crebro & ſub primo moleſtiæ ſenſu invertunt, ne decubitus in unam partem continuus preſſa vaſa ſuffocet, bene ſibi conſulere nemo facile dubitat. At arthritici, rheumatici, lethargici aliive, quibus vel nulla movendi corporis poteſtas eſt, vel ſenſus moleſtiæ ob ſoporem nullus, niſi aliena manu, quæ ſitum crebro mutet, & mollem alutam ſubjiciat, juventur, cito exhibent in locis variis, dorſo imprimis, ubi parum adipis & integumentorum eſt, loca vitali motu privata, ſub manifeſtis ingruentis gangrænæ, nec, ſi ſitus corrigi nequit, ſiſtendæ indiciis *b*). Stantium diu etiam major moleſtia eſt. Nam ut pes immobilis columna fiat, nec antrorſum nec retrorſum cedens, multiplici muſculorum, imprimis extenſorum, actione & virium varie concurrentium non levi impendio perficitur. Bruta ut bipeda ſtant, vix longo uſu adſueſcunt, nec niſi breviter hunc ſitum ſuſtinent: facilius quidem homo ſub majori pedum peluisque latitudine & coxarum diſtantia, nec tamen parum ex longa muſculorum actione, licet ſub ſpecie quietis, fatigatur *c*), uti in ſcenicis ludis experiuntur, qui immobiles ſtatuas repræſentant. Homines, quibus aulici moris & decori rigor crebras & longas ſtationes injungit, tumore, imbecillitate, rigiditate *d*) aliis-

b) Qui cogitat, ſub uno jacentium ſitu tot partes premi, tot vaſa oſſibus proxime inſtrata, ut circa ſcapulas, os ſacrum & coccygis, marginem ilei, ſpinas vertebrarum, trochanteres majores femoris, calcem &c. intelligit facile, diu id ſuſtineri non poſſe, præſertim in emaciatis. Perill. Switenius in comment. ad Bœrh. §. 472. T. I. p. 742. non poteſt ſatis, inquit, inculcari medicis, ut de gangræna a decubitu naſcitura cogitent, ubi imprimis in morbis acutis hebetes & ſemiſopitos vident, & paucarum horarum ſpatio circa os coccygis omnia corrumpi.

c) Dum ſtamus erecti, pes, tarſus, tibia, femur, tota ſeries vertebrarum & caput ipſum per ſuos muſculos uno tempore eriguntur. v. H. Bœerh. præl. acad. in inſtit. c. Comment. Haller. T. V. P. I. p. 258. ſq. Docet J. A. Borellus, quanto molimine virium & quam variarum partium miniſterio opus ſit, dum erectum ſtantium ſitum exponit, de motu anim. C. 18. prop. 132. 134. 135. Confer. Hier. Fabric. ab Aquap. Op. Anat. & Phyſiol. Ed. Lipſ. p. m. 336. & 356.

d) Frequens inde malum etiam in aliis partibus diu extenſis. Faquierios in

aliisque pedum vitiis per omnem fere ætatem, quæ ad occaſum vergit, laborant; nec multo benignior militum in protractis excubiis ſors eſt. Fuit, qui ex convivio redux feneſtræ incubuit, innitens ſimul cubito & ſic tota nocte perſiſtens. Is cum mane corpus movere vellet, concidit & gangræna utrumque os occupans celeri ad femora adſcenſu exitium attulit *e*). Ambulatio quidem longe fatigat minus quam ſtatio *f*), quin & leniſſima inque locis apricis & ruralibus ſaluberrima motus naturalis ſpecies dici meretur, quæ ſanguinem in extremis euntem lentius ſuperatis actione muſculari valvulis ad cor vegetius revehit, doloresque ex nimia quiete ſanat *g*); neque tamen infirmis ad laſſitudinem, quæ vires exhaurit, temere protrahenda eſt. Id quod de aliis validiorum exercitationum generibus, quæ a robuſtis tantum, & ne his quidem, tuto ſatis feruntur *h*), longe plus valet.

Palam eſt, fabricam corporis in varie exercendis, quibus a natura deſtinatur, vitæ functionibus legem reperire durationis ſuæ & dextræ valetudinis, tanquam laborum, quos cum ratione diſpen-

in India legimus manus tenſo cubito erigere diu, donec tractu temporis plane rigeſcant, perdita omni flectendi poteſtate.

e) v. Aph. Bœrh. c. Comment. Switen. T. I. p. 739. Fecit aliquid frigus, plus ſubligacula arctius adſtricta & venas comprimentia, plurimum ipſa ſtatio tam diuturna, licet cubitorum nixu aliquatenus levata.

f) Quæ jam bene inter ſe comparavit H. Fabric. ab Aquap. l. c. Crus ſtans & quieſcens magis movetur, quam crus, quod transfertur. Ibi omnes cruris articuli & muſculi in actione ſunt, & totam ſimul ſuſtinent molem corporis, hic coxa tantum & genu flectitur, dumque transfertur, ſe ſolum geſtat.

g) Sanctorius medic. ſtatic. S. §. 13. ambulatio, inquit remedium eſt, ſi diu jacenti dolores pedum ſuperveniunt, ſi iter facienti quies.

h) Audent ruricolæ febres chronicas curſu ad laſſitudinem continuato profligare, quod non ſemel iis, ipſo Galeno notante, exitiale fuit. Fætor halitus, ſudoris, lotii a magno labore vel curſu docet, quam cito ſub majori attritu humores alcaleſcant. Ipſi diſci eburnei vel fruſta cornu cervi ſub mutuo tritu fœtent, evoluto, quod latuit, acri ſale & oleo. Hinc Platoni politic. 3. diſplicuit medicina gymnaſtica, quod verius foveat morbos quam auferat.

diſpenſat, præmium. Ut nimia quies lento humorum circuitu retardat diſtribuenda, retinet expellenda, corrumpit retenta & morbis maxime chronicis aditum parat; ita motus & exercitatio major, diſſipat tenuia, figit craſſiora, acria evolvit, ſolida atterit, minima oblitterat, ſenium præcipitat, & ad morbos maxime putres acutosque diſponit. Quos utrosque ſcopulos prætervehitur vita, quæ varium iſtum corporis ſitum, nunc cum quiete nunc motu, & vario quidem utriusque gradu, conjunctum, muneribus ſuis, quæ neutrum facile poſtulant, vel quieſcere vel moveri continuo, vel in his una lege verſari prudenter accommodat. Sentiunt pueri, quam corpus illa ætate cereum fingi facile & adſueſcere variis motibus pro vario vitæ uſu poſſit. Hinc ipſo naturæ inſtinctu tentare & experiri incipiunt tam flexilium partium obſequia, ac domi ſe continere pro ſupplicio habent.

Litteratos meditando., legendo ſcribendoque multum occupatos non ſors iniquior ad vitam ſedentariam præ aliis adſtringit, nec id ipſum, quo occupantur, excludit illam motus corporei varietatem, valetudini noſtræ tam amicam. Quærit G. Cheynæus, an corporis fabrica, ſi primi parentes in officio perſtitiſſent, ſedentariam & contemplativam vitam ſine incommodo tuliſſet *i*)? Quam quidem quæſtionem, cum hodiernum corporum ſtatum cum priſtino comparare nimis ambiguum ſit, ipſe rejicit; id tamen hic ſubmonebo, non adparere, contemplationem illam, quæ hominem ad Deum penitius converſum magis decuiſſe creditur, vita tantum ſedentaria eguiſſe. Suggerit meditationem & ſuſtentat, imo plus ab ingruente corpore vindicat, quidquid in vita agili occurrit. Neque tamen inficior, hunc hodie plerorumque litteratorum, qui ſpeculationibus indulgent, morem eſſe, ut ſub fixiori rerum, in quas inquirunt, obtutu, corpus illa varii motus ſalubritate defraudent. Nihil exercent quam manus, oculos & animum, dum ſcribunt, legunt & meditantur. Torpent reliqua ſuo otio relicta, & in viſcera imprimis imi ventris ſub illo opere magis compreſſi, & per ſe etiam in ipſa ſanitate, ſi illam

i) l. c. C. IV. p. m. 123.

illam externi motus præſidia haud ſatis tuentur, in propulſionem humorum parva virtute nitentis, lenta ſenſim & acris ſaburra decumbit, & figitur. Quidquid eſt hypochondriaci ſqualloris, quidquid atrabilariæ fecis, quod ſuam ſenſim fuliginem capiti adſpergit, ex his latebris virulentius indies & nova noxa erumpit. Abſit, ut diſciplinis id tribuamus, quaſi alio pretio potiri illis non liceat. Certe hæc via aditum magis ad illas obſtruit, vel dulcem adquiſitæ doctrinæ theſaurum iſto perditæ ſanitatis opprobrio nimis contaminat. Neque vero his, ut aliqua a tantis malis immunitate fruantur, inſolida ſuadere auſim corporis exercitia, ut vel Spurinam *k*) ſequantur pila uſum, vel Socratem *l*), qui ſanitatis cauſſa ſaltare didicit, vel Cyrum *m*), ad cujus menſam nemo accedere ἀνίδρωτος debuit. Scio tutum non eſſe, valido impura corpora motu exerceri. At levem ſitus varietatem, quæ incommoda non ſit, nec a muſis divellat nimis, haud credo ſub ſpe aliqua levandæ valetudinis detracturos eſſe.

Laudatur a Georgio Cheynæo in legendo ſcribendoque erectus, quantum licet, corporis ſitus, capite & pectore parum inclinato, ad pluteum leviter declivo innitens. Addit, dici non poſſe, quantum is ſanitati conducat, & negat, moleſti aliquid ſubeſſe, ſi quis imprimis mature adſueſcat. Poterit ex ſuperius dictis difficilis videri ſtatio ad pluteum, ſi paulo magis continuetur. At ipſa laſſitudo ſtantes quam ſedentes admonet, diſcedendum paululum eſſe, & vel deambulandum leviter vel diſcumbendum, antequam fas ſit, ad interruptum opus reverti. Nullius diſpendii eſt parum hoc intervallum, favetque meditationi, quæ lecta paulo ante vel ſcripta recoquit magis & animo infigit. Poteſt menſa iis, quibus pro more utimur, paulo altior, quæ ſcribentes legentesque ſine curvandi corporis neceſſitate admittit,

k) Sic pugnavit cum ſenectute, ut poſt annos LXXVII. oculorum auriumque vigor integer & agile corpus vividumque eſſet. Plinius L. III. Ep. 1. id ſibi exemplum fore ſcribit, ut primum ratio ætatis receptui canere permiſerit.

l) Viderunt eum ſæpe & amici familiares operam memphiticæ ſaltationi navantem. Athen. deipnoſ. L. I. C. 6. p. m. 20.

m) Xenoph. de Inſtit. Cyr. L. II. p. m. 123.

mittit, æque ad illum uſum opportuna videri; at præterea, quod deſidentes, quia nimis vacant ſenſu incommodi, ad novi ſitus opportunitatem pro vera corporis indigentia non attendant, certe alliditur pectus ad duriuſculam menſæ prominentiam, imprimis panno vel molli aluta non tectam, quod in ſtante metuendum minus eſt, ubi corpus liberius ſuſpenſum nullo aſperiori contactu offenditur. Nec ſtatio ipſa pedes penitus immotos requirit, ut una iis extenſionis, una innixius ratio ſit. Ipſo enim naturæ inſtinctu, nunc uno magis nunc altero pede ſub levi quadam, crebra tamen, ſitus varietate nitimur, ut muſculorum venas comprimentium alterna actio ſuperſit, humorum circuitum promovens. Ad loca etiam remotiora, quæ a fonte motus & caloris plus diſtant, facilior ſub iſta ſtatione deſcenſus fotum præſtat, ne hoc quidem nomine exigui ad ſanitatem momenti. Situs vero erectus, qui non minus dignitati hominis altiora adſpirantis convenit quam valetudini, dum ſanguinem ab opere ſecretionis reducem per vias decliviores ſinuum venarumque promtius revehit, animumque, cujus jam ſedem nulla humorum mora & colluvies gravat, in ſuis functionibus ſereniorem reddit, ne antrorſum pro levando oculorum miniſterio propendeat nimis, pulpita omnino conducunt in eadem altitudine poſita, & in progreſſu leviter elevata, ut liber, quidquid ſuperius vel inferius continet, in eadem fere diſtantia oculis offerat. Qui ubi ſimul luce diei fruuntur, horis maxime matutinis, æque ac ipſum caput ad ſeniles adhuc operas ſufficient, cum, quod alio loco dictum eſt, reliquis inſtabile ſquallentis candelæ fulgur & oculos præſtringat, & tetro pulmones halitu infeſtet. Noctuas illas dixeris, ut olim Chærephontem, qui ſummam lucubrando maciem contrahunt. Plus proficit moderatum quam magnum virium tum corporis tum ingenii impendium.

PRO-

PROLUSIO
DE
SALUTARI DORMIENTIUM SITU
PANEGYRI
PETRI ERNESTI ASCH
d. 7. MENS. APR. 1756.
PRAEMISSA.

Omnis ſitus ratio, ut corporis noſtri indigentiæ conveniens & ſalutaris appellari poſſit, iis maxime metienda commodis eſt, quæ ex liberiori humorum per vaſa circuitu & hinc pendente omnium functionum vigore redundant. Nullus facile ſitus eſt, qui non in aliqua parte circuitum acceleret magis, in alia retardet, unde varietatem ſitus adeo commendabilem & vitæ officiis non minus quam valetudini ex inſtituto Naturæ ſervientem exponere paucis nuper adgreſſi ſumus. Viciſſitudo dierum & noctium in ſitu corporis, ibi erecto, hic declivi, præcipuum nobis per vices impertit beneficium, cum motum humorum ibi magis per ſuperiora, hic inferiora ſub alternis ſalubritatis momentis levet & expediat. Id, quod attentis, qua ratione eveniat, obſcurum eſſe nequit. Nam velut in erecto vigilantium ſitu ſanguis ſolo fere ponderis ſui niſu ex ſuperioribus locis ad cor promtiſſime remeat, ex inferioribus autem majori arteriarum impulſu & concurrente crebra muſculorum actione, valvularumque, quæ niſum ponderis retro urgentis ſuſtinent, vi indiget, adeoque ad eundem motus ſui terminum in illo adſcenſu

 ægrius

ægrius eluctatur; ita in conſueto dormientium ſitu contraria motus ratio obtinet, ob quam major humorum mora circa caput, minor quam ante circa pedes eſt. Sic vero ſapienti naturæ legi cautum fuit, ut mutuam partes in ferendo onere operam navarent, nunc verſarentur in functione ſua, nunc vacarent, quod cum iſta ſitus varietate ſalubriter conjunctum eſt. Dum per diem, quod divi, ſanguis venoſus ſuperne celerius verſus cor ſe exonerat, patet ſimul, arterioſum ſanguinem ab incude cordis recens pulſum majori gradu caloris vigorisque per vaſa capitis meare, & actionum animalium robur plenius ſuſtentare. Nec patet minus nocte eundem ſanguinem venoſum ex ipſa ſitus ratione impeditius ad cor revehi, ſub lentiori humorum per caput tranſitu accumulari ſenſim & vitalem calorem minui. Præterea vero quod mollis & tenera cerebri fabrica, ne vigor diurni attritus duret diutius, in lentiori nocturna quietis motu juſtum reperiat refectionis intervallum, conſtat ſimul, intra idem tempus inferioribus partibus proſpici, in quarum jam altiori ſitu aditus ſanguinis ad cor facilior eſt: unde pedes morbidi imprimis & neglectis per diem corporis exercitiis frigidi tumentesque, in lecto mox detumeſcunt & tempeſtivo calore refoventur. Quæ res paulo plus lucis accipiet, dum in præſenti opportunum maxime dormientium ſitum in potioribus ſalubritatis ſuæ præſidiis ſuccincte expendemus.

Hippocrates *a*), cui probantur ægri in latus dextrum aut ſiniſtrum, dum dormiunt, recumbentes, manibus, cervice ac pedibus paululum reductis totoque corpore molliter poſito, id addit, talem fere eſſe ſani jacentis habitum, eo ſemper melioris præſagii, quo ſit bene valentium ſimilior. Quamvis autem ſani, quos in hoc vel illo ſitu eligendo nihil inſtruit quam proprii commodi vel incommodi ſenſus, haud penitus in unam legem

a) In prænotat. Op. Ed. Lind. V. I. p. 450. III. 5—7. Ita Joh. Bohnius naturalem decubitum deſcribit, ſi capite nonnihil elatiore truncus horizonti paralellum obſervat ſitum, artubus modice contractis, cruribus ſi non profundius declinantibus, certe non elevatis, toto vero corpore in alterutrum latus inclinante. v. Not. ſequ.

gem conſpirent, ut fieri plerumque ſolet, ſi res ex arbitrio agitur; vix tamen in potioribus momentis diſcrepant, quin ſentiant, id impune non fieri. Inter illa momenta maxime capitis ſitum reſpicio, non humilem nimis vel cum reliquo corpore æqualem, quoniam a ſanguine ſub illo ſitu languentius ad cor recurrente, obruitur premiturque cerebrum & hinc mane expergefacti de torpore ſomnolento, gravedine capitis, tinnitu aurium & tumore faciei multum conqueruntur, ne de ipſis dicam inter dormiendum turbulentis & moleſtis inſomniis. Hæc quidem mala evaneſcere paullatim videntur ſub novi ſitus vigilantium beneficio, at crebro inter ſimiles errores reditu fixior iis ſedes eſt, in epilepſiam, apoplexiam & paralyſin apud eos degenerans, qui in capitis & nervorum morbos, vertiginem ſpaſmos & his adfinia mala, proniores ſunt *b*). E contrario illis, qui altiori paululum capite decumbunt, quietior dulciorque ſomnus eſt, & intra brevius tempus finitus recreat magis, eximiumque ad novas operas corpori & animo vigorem inſpirat. Nulli autem, Richardo Lowero judice *c*) in certius ſub iſto declivioris capitis ſitu periculum incidunt, quam nocturni compotatores, in quibus lectum mox ingreſſis lotium nec tam promte veſicam ſubit, nec ſi ſubit, in cervicem ejus ſimili nixu, quem corpus erectum habet, agere poteſt, nec nervi in ſuo jam miniſterio languentiores accumulati prementisque lotii ſenſu ſatis ad neceſſariæ expulſionis officium irritantur, unde ſerum acceſſu ad debita loca & exitu prohibitum, adeoque intro redundans, inque ipſa jam cerebri vaſa pronius decumbens, ſenſim paralyſin, tremorem, lethargum, quin & apoplexiam parit. Nec tamen ſitum nimis erectum, quaſi ſedentis

b) Jo. Bohnii de offic. med. clin. & for. C. XX. p. 413.

c) De corde Cap. II. p. m. 154. Ideo ſuadet, ſi ab iſta bibendi conſuetudine retrahi non poſſint, ut certe lectum prius petant, quam potulentorum majori copia per lotium reddita: reddituros vero largius & citius eſſe, ſi veſtibus exutis aut paullum relaxatis ambienti aëri, non tamen incaute nimis, ſe exponant. Nam omne corpus aëri, qui vaſa cutanea ſtringit, expoſitum plus lotii reddit, quam ſub tepore lecti. Addit ſub hac cautione multos inter pocula ad ſeram plerumque noctem protracta viridem ſatis ſenectutem attigiſſe.

dentis in lecto probare auſim. Haud ille ſitus ſomnum eum conſtantia admittit, nec ſub tenſione muſculorum, qui ipſi quietis indigi corpus fulcire pergunt, moleſtiæ expers eſt. Plerumque vero laborantis reſpirationis indicium præbet, mali ideo in acutis morbis præſagii *d*), nec multo melioris in chronicis. Vidi virum craſſi & obeſi corporis, de die adhuc munera ſua ultimis vitæ annis dextre ſatis obeuntem, at frui ſomno, niſi ſub erecto ſitu, prorſus impotem. Solent, dum torpor obrepit in hoc ſtatu vacillantis facile corporis prona facie & curvato ventre ſomnum captare longe magis moleſtum & interruptum. Prava etiam nonnullorum conſuetudo eſt, facie in menſam vel librum inclinata obdormiſcere *e*), quod liberiorem aëris uſuram valde intercipit, ſtuporem capitis & ſenſuum, imprimis viſus hebetudinem parit, coctionem præterea preſſo ventre lædit flatusque & cruditates accumulat. In ventrem ipſum procumbere, niſi quis adſuetus ſit, vel delirium judice Hippocrate vel dolorem ventris ſignificat *f*).

Alterum ſomni probe capiendi momentum eſt decubitus in dextrum vel ſiniſtrum latus, per vices, dum expergiſcimur, mutandus. Sunt, qui dextro primum, dein ſiniſtro decumbere ſuadent *g*), quod hepar in iis, qui ſiniſtro ſtatim decumbunt, videatur mole ſua nimis ventriculo incumbere & premere pylorum, chylique coctionem ac diſtributionem remorari. Addunt, in ſiniſtrum latus vix diu ferri decubitum ſine anguſtiis cordis &

d) Luculenter Hippocrates in Coacis, ubi noxii decubitus varietatem tangit, erectum, inquit, ſedere velle, malum in acutis, peſſimum vero in peripneumonicis & pleuriticis. Op. V. I. p. 571. ad finem. Confer. Corn. Celſum de medic. L. II. C. IV. & qui plura et obſervatis cel. Hofmanni aliorumve collegit, virum cl. G. C. Feuerlinum in diſp. inaug. de ſitu erecto in morbis periculoſis valde noxio. Hal. 1721.

e) v. C. B. Behrens Select. Diætet. S. VII. C. II. §. 9. p. 449.

f) Op. V. I. p. 571. n. 362. Fuit tamen noſtra ætate Rex magnus & doctus, qui ſe ſemper pronum in lectum abjicere, manibusque capiti ſubjectis ſomnum præſtinare ſolebat. Verba ſunt Jo. Nic. Pechlini in obſ. phyſ. med. L. III. obſ. 35. p. 509.

g) Unde vulgaris verſiculus: dormiture latus dextrum preme, mane ſiniſtrum!

& impedito vaſorum abdominalium motu, ſtabiliente mali hypochondriaci fomitem. Sufficit mutare ſitum *h*), & ſic abſcedere interdum ſuo pondere vicinis partibus moleſto hepar, interdum accedere, ut ipſo fotu & calore ſuo robur coctionis ſuſtentet; modo illa ſitus mutatio non ſit frequens nimis & cum crebra jactatione corporis conjuncta. Damnamus vero, quem huic in latera opponimus ſupinum *i*) totius corporis decubitum; capiti æque ac aliis partibus non una ex ratione infeſtum. Dyſpnœam, incubum, dolores renum, calculos, pollutiones nocturnas, & alia mala, iis præſertim, quibus hæmorrhagia narium frequentior eſt, metuenda, inde naſci, crebræ obſervationes teſtantur *k*). Nec adſuetis diu fertur ille ſitus, niſi laterum noxa intercedat *l*).

Poſ-

h) Optimam, inquit, laudatus Pechlinus l. c. & ſaluberrimam jacendi formam indepti ſunt, qui in latus ſe inclinant nunc dextrum nunc ſiniſtrum. At ſæpe uno latere non licet uti, in quo pulmo vel alia pars laborat. Magnus belli imperator, Turcicis victoriis clarus, lateri uni ſuetus incumbere, quo abdita ſanies tuſſiculoſam hecticam fovit, juvari ob hanc jacendi formam nulla arte potuit, donec medici conſilio rejicere corpus in alterum latus cœpiſſet, quo facto ſenſim phlegmata tuſſi educta ſunt & perſanatus morbus.

i) ὕπτων κεῖσθαι ἐκ ἀσεῖον, inquit Hippocrates prænot. l. c. V. I. p. 571. n. 358. it. 361. Ibi jungit crura extenta, hic valde incurvata & complicata, ac plus damnat, dum ſitum ſupinum comitantur. Recte Celſus de med. L. I. C. 4. gravis morbi periculum vocat, ubi ſupinus æger jacet. Notat enim exhauſtas vires, ob quas niti, ut olim, in latus non licet.

k) Quia fluxus ſanguinis ad fauces & trachæam ſtrangulatum minatur v. J. Bohn de offic. med. clin. & for. Cap. XX. p. 414. ubi quoque apoplecticos & aſthmaticos tangit, quibus maxime erectiori ſitu opus eſt, illis ne ad caput jam oppletum ſanguis pronius ruat, his ob muſculos reſpirationis ſupino decubitu magis tenſos. De diabeticis & imprimis ſalacibus ad nocturnam pollutionem proclivioribus citat Hildanum VI. Obſ. 37.

l) Etſi moleſtius dormiunt, qui univerſum corpus, caput & calcem in eadem recta horizontali tenent, opus tamen aliquando eſſe, id fieri ex laterum vitio, docet J. N. Pechlinus, & hypochondriaci meminit, cui primum in dextrum deinde & ſiniſtrum latus decumbendi libertas adempta erat. Is, ſi in dextrum vellet conniti, copia & murmur flatuum, dolores, alvus laxa & ſyncopæ æmula ſymptomata nata ſunt: ſi inde in ſini-

Poſſunt vero ſitus hujus, qui ad planum proxime accedit, incommoda, quæ caput vehementius in ſomno adfligunt, plenius intelligi ex varia figura cerebri animalium & notabili imprimis ſinuum venarumque poſitu. In quadrupedibus, quibus caput in terram proclive eſt, cerebellum aliquatenus cerebro incumbit, ſinus laterales inter utrumque ſuperne decurrunt, ventriculus etiam quartus cerebello ſubjectus ſupra reliquos cerebri ventriculos collocatur. At in erecto homine, cujus caput ſuper reliquum corpus eminet, cerebrum incumbit cerebello, ſub forti tamen duræ matris, quæ vim ſuſpendit, velo, ſinus laterales decliviores ex inferiore latere occipitis utrinque obliqui feruntur, antequam in venas jugulares terminantur. Igitur ſi ob ſitum ſupinum occipite altius collum eſt, ſanguis non prono amplius alveo jugulares ſubit, ſed ſub quodam adſcenſus molimine, adeoque in motu ſuo retardatur, & per morem aggeſtus tumet ſubjectasque teneras partes non ſine noxa ſenſim creſcente gravat & opplet. Nequit enim ſanguis ſive in ſinubus ſive venis ſiſti, quin ad baſin cerebri nervosque defluens partim mole ſua partim ſubſequente corruptela paralyſes, ſopores convulſionesque pariat, in ventriculum imprimis quartum cerebello ſubjectum, cum declivior profundiorque reliquis in cerebro ventriculis ſit, pronior humor ruat reclinato capite. Velut infantum cerebra abundant aqua, ita hæc in ventriculis cerebri collecta in quartum potius ex ſupino in cunis decubitu defluit, premitque medullam oblongatam nervis præcordiorum proſpicientem, unde cordis oppreſſio & convulſivi motus ſenſim oriuntur *m*). Qui ipſi infantes

ſiniſtrum ſe conjiceret, perpetui & velut catenati flatus cum impudicis ructibus & fere tonitruantibus, crebroque dejectionis alvinæ impetu per horarum aliquot intervallum ſecuti ſunt. Hinc ſupinum jacere oportuit, vel non niſi plene peracta coctione cubitum ire. Scite ſubjicit, ex his intelligi, nec minimorum prætereundam memoriam, & ſæpe in levibus ſitum eſſe, ut quis commode vivere & valetudinarii corporis noxas emendare poſſit. l. c. p. 510.

m) Rich. Lowerus de Corde C. II. p. 163. ſq. ita, ait, impleri caput lympha e plexu choroide ſecreta, ut ſenſu ponderis, nervis præcordiorum communicato cordis ſæpe oppreſſio & incubus inducantur. Ideo in

tes in alio ſitu, velut in ſinu aut ulnis nutricum elato magis capite, placidius dormiunt.

Tertium momentum in commodo extremarum partium ſitu conſiſtit. Cubito inniti multum, vel capite incumbere brachiis, vel hæc ſupra caput projicere, vaga etiam & pendula, extra ipſum ſæpe lectum, ſtuporem parit & motus impotentiam, aliquando in imbecillioribus paralyſin. Convenit ea prope corpus adducere, ſub levi flexu nec juſto tegmine deſtituere. Major etiam ad tegendos pedes, quippe a fonte caloris remotiores, cuſtodia requiritur. Hos nec diſpergere valde, nec collidere invicem, nec cum rigore extendere, nec ſurſum nimis retrahere convenit. Notum eſt, flexores artuum propria contractilitate prævalere extenſoribus, hinc alium ſitum diu ferri ſine moleſtia non poſſe, quam articulis leviter inflexis, qui ſtatus eſt muſculorum a voluntaria actione quieſcentium. Uti vero duo maxime præſidia ex nocturni decubitus ratione ſequuntur, ut ſanguis venoſus e pedibus recedat magis, arterioſus influat largius, hinc inferne liberior humorum circuitus & calor ſit; ſequitur, ut pedes in lecto haud reliquo corpore decliviores eſſe debeant. De qua re frigidiores, qui ſeroſo abundant latice uberius edocentur, cum iis ſæpe ſomnus ob frigoris ſenſum haud obrepat prius, quam ſubſtrata culcitra & pedibus paulo altius poſitis *n*).

Ad confirmanda boni decubitus commoda cum cubiculi lecti & ſtragulorum ratio multum conferat, de his pauca, in iſta argumenti cognatione, coronidis loco ſubjiciam. Cubiculum requirimus amplum, ſoli & aëri pervium, non quale plerumque eligi ſolet, anguſtum in umbra latibulum, in quo concluſus aër & corporum effluviis brevi inquinatus ad ſpiritum commode ducendum

in hydrocephalo nunquam impune ſupini dormiunt. Imo robuſtum virum nominat, qui per duos annos nunquam in dorſum converſus dormivit, quin ſimul incubo corriperetur, hinc in lectum ſuum admitteret ſervum, qui ſtatim audito gemitu herum in latus alterutrum converteret, & ſic progreſſum mali cohiberet. Auctorem incubi & fautorem non minimum Gu. Rolfincius vocat ſupinum decubitum. Conf. med. L. II. C. X. p. 178.

n) Rr. Lower. de Corde C. II. p. 150. 151.

dum ſit inhabilis *o*). Nec laudamus excalefactum, quod pariter reſpirationem, quam in decliviori corporis ſitu aura frigiduſcula lævat, reddit difficilem, caput ſtupefacit, os ſiccat, oculos ſenſusque obtundit *p*). Nec præhumidum vacat culpa, quod ne multorum exemplo ad lethargum diſponat, crebro ex odoratis ſuffitu corrigi debet *q*). Mundum perpetuo ſit, & a ſordidis locis ſecluſum, & illo imprimis aëris ſæpe renovati acceſſu ſalubrius. Lectus cum ſtragulis ejusmodi convenit, qui corpus moderate tegit, & contra frigoris tuetur noxas, a quibus inhibito perſpirabili catarrhi, tormina ventris, diarrhœa & alia mala oriuntur, quæ nec iis parcunt, qui æſtivis diebus non vel negligenter tecti dormiunt *r*). At caput non niſi levibus haud facile panneis,

o) Conſtat perire animalia, non in vacuo ſolum, licet in eo celerius, ſed & in aëre concluſo. Ajunt ex puro aëre pabulum hauriri, ſine quo vita non ſubſiſtat, abſumto pabulo nec renovato in eodem aëre interire animal. Alii corporum halitus arguunt, quos diſpergi oportuit, non in illo aëre, jam contaminato & noxio, iterum inſpirari. Plerique non alio nomine halitus illos accuſant, quam quod elaſticitatem aëris, pro vita conſervanda inſpirantibus neceſſariam, minuant. Has omnes ſententias deſtruere viſa ſunt Jac. Piſtorini experimenta, quibus docuit, duo animalia in eodem concluſo aëre non citius perire quam unum, cum tamen duo vel pabulum illud vitæ ex eodem aëre citius abſumant, vel halitus ſive in ſe ſive ob elaterem aëris diminutum noxios effundant cumulatius, quam unum. At Joſ. Verattus inter ſolertiſſima & caute iterata experimenta docuit, omnino duo vel plura animalia in eodem aëre citius interire quam unum. Quin & proſecutus experimenta barometron vaſi inſervit, & ex deſcenſu mercurii in pluribus animalibus notabiliori ſententiam ſtabilivit, mortem ab imminuta aëris elaſticitate ſequi, licet res in ranis, quibus forte uſus Piſtorinus, ob cauſſas huic animali proprias non æque ſucceſſerit. v. Comment. Acad. Bonon. T. II. P. I. p. 34. it. T. II. P. II. p. 267.

p) Conf. B. Timæi Op. med. L. I. C. 24. hinc Hipp. in epid. ſomnus in loco frigido capiendus, ſed tecto: Op. V. I. S. IV. p. 808. n. 35.

q) Lauſannenſem ſenatorem in hypocauſto præhumido dormientem lethargo occubuiſſe notat G. F. Hildanus Op. p. 640.

r) Sub æſtivo etiam & calidiſſimo aëre corpus, quippe eo calidius, ſi tectum non eſt, refrigeratur, unde Incolis in India orientali ſub dio dormientibus paresis vel hydrops. Non idem ſit vigilantibus, in eadem licet

neis, plumeis, pelliceis tegumentis obvolvendum, nec reliquum corpus, ut ſudoribus diffluat, ſub moleſti caloris fomentis demergendum eſt. Hinc qui ſuper pelle caprina dormiunt, creduntur epileptici fieri. Certe calor pellium minus halitus animalium diſſipat, ſuos etiam evolvit & miſcet, hinc tetro odore & infeſto ſtimulo nervos vellicat. Robuſtis, imprimis æſtate, levius incumbant ſtragula, debilibus, imprimis hyeme, denſius; illis textilia magis & villoſa, his plumata congruunt: nec vero conſueta temere mutanda ſunt. Fuit generoſus, qui militiæ, quam ſecutus, in ſtramine diu dormivit, valedicens haud potuit, quidquid arte tentatum eſſet, nocturna rurſus quiete frui, quam cum palea ei ſubjiceretur, cui cum vix incubuiſſet, ſomno prehenſus eſt *s*).

licet nuditate, ob vegetiorem in his, quam dormientibus humorum circuitum. Conf. Sanctorii med. ſtat. S. IV. §. 52.

s) v. C. B. Behrens ſelect. med. S. VII. Cap. II. §. 5. p. 446.

PROLUSIO
DE
LEGE CONSUETUDINIS CONCILIANDA
CUM
LEGIBUS MEDICIS,
PANEGYRI
II. MEDICINÆ CANDIDATORUM
d. 14. MENS. JUL. 1756.
PRAEMISSA.

Legibus medicis, quæ ipſius Naturæ ſunt, ab attento ad ejus veſtigia oculo, quantum fieri poteſt, in omni limite ſuo exploratis confirmatisque inſultare & vim inferre videtur conſuetudo, cujus multi aliud, & quaſi diverſum a Natura, nec longo gradu inferius, agnoſcunt imperium. Verum leges actionum in ſtructura corporis expreſſas non abolet, vel mutat, vel novas condit conſuetudo, ſed inſitas varie excitat, nunc neglectu deprimit, nunc ad hæc vel illa vitæ munera plenius accommodat. Ita in partibus corporis rite adſuefactis reſultat vis, noxiis in conſueto vitæ tramite cauſſis reſiſtendi, frigora, venena, & ſi quid gravius eſt, tolerandi ſuperandique. In aliis partibus tanquam derelictis inertia & infirmitas naſcitur, quæ leviſſimis & in hac rerum viciſſitudine crebro obviis offendiculis facile ſuccumbit. Infinita occurrunt, quæ ad multiplicem uſum, cujus hoc corpus noſtrum

noſtrum ſub juſta cultura capax eſt, non ſatis ſolerter revocata tantum non oblitterantur, & in vindictam ſui neglectus velut ſepulta jacent: alia, quæ ſub ingenti exercitio & longa conſuetudine ad virium ſuarum mirabile faſtigium adſcendunt. Neminem puto vel milleſima parte experiri, quibus obeundis miniſteriis, quibus ferendis incommodis idoneum corpus ſit, & quantum munimenti in ſe ipſo contra ambientium cauſſarum noxas reperiat. Non omnes Natura opes ſuas & poteſtates, quas confert, primo oculorum conſpectui objicit, ſed tenues prima ſpecie & quaſi incultas ſiſtit, ſub ſcrutinio autem & labore noſtro pandit ſinum, latenteſque & ad ſtuporem usque immenſas divitias, quæ exhauriri & in ultimis cognoſci finibus nunquam poſſunt, in præmium impenſæ operæ ſenſim & per gradus manifeſtat. Multa hujus originis ſunt, quæ credulum ævum dæmoniacis artibus & incantamentis, frivole argutum fabulis & commentis adnumeravit.

Poteſt conſuetudo generatim conſiderari tanquam virium corporis ex lege fabricæ emergentium certa & ſucceſſu temporis ſtabilita, ratione maſſæ & celeritatis, determinatio, quæ corpori ab iterata actione habitum parit, a damno illam alioqui comitante immunem, nec minus frequentem rerum externarum, in quarum commercio ſumus, actionem, minus expertis inimicam, ſine incommodo tolerandi robur conciliat *a*). Illa facilitas agendi, illa tolerandi immunitas ejusmodi ſtatus corporis eſt, ad quem Natura nos in anteceſſum diſpoſuit: ejusmodi fructus, qui nullius, fundum Naturæ probe excolentis, induſtriam fallit, licet non raro a ſanioribus ejus inſtitutis abducat. Creſcit par-

tium

a) Non male Ariſtoteles conſuetudinem vocat *ἕξιν* ſeu *δυνάμεις δεκτικὰς καὶ ποιητικὰς*, ſeu habitum ex frequenti actione & paſſione nobis impreſſum: ob illam promtius agimus, ob hanc minus patimur, quam alii. Sect. XXI. probl. 14. Hinc ipſa Natura dicitur adſueſcere, vel gaudere conſuetis, quod veteres *φύσιν ἐπίκτητον* vocabant. Adſueſcendo deligit homo, quæ plus Naturæ conveniunt, quæ minus, repudiat, læſus ſubinde vel negligens ſe lædi, perſiſtit ſine nova noxa. Gal. de ſanit. tuend. L. V. Op. Cl. II. p. 593. H. C.

tium virtus exercitio, curſus veloces, lucta robuſtos, eſus voraces reddit, & ea, quibus novitii, licet ſaniſſimi, certo læduntur, impune ſuſtinet, legumque medicarum contemtu non tam ſibi, quam aliis, qui imitari audent, nocet. Quis juſtus rerum arbiter ſuccenſet medicis, ſi aërem intercluſum ſæpius renovare, ſqualidumque & putri halitu infectum ſuffimentis ſubinde corrigere ſuadent? At ille apud Sanctorium exactis in ſordido carcere viginti annis, cum libertati redditus adflictam, & levatus nonnihil arte, ruentem denuo valetudinem ſentiret, non prius cum hac in gratiam rediit, quam data occaſione in eundem rurſus carcerem detruſus *b*). Quid immundo circa littora halitu exundantis maris infeſtius? Ille vero piſcator, qui in mari conſenuit, ad fragrantiſſimos odores in aulæ regiæ feſtivitate diffuſos cecidit ſideratus, mox omnium medicorum præſagio derelictus, jamque ad ſepulturam deducendus, at ex conſilio regii medici, Chriſtophori a Vega, qui morbi genium acutius inſpexit, ad littus delatus limoque & alga coopertus, ad novos halitus, magis ſibi per omnem vitam familiares, intra quatuor horas revixit *c*). Non multo aliter Sabæos apud Strabonem, probis odoribus ſtupefactos ſuffitus bituminis & barba hirci accenſa reſtituit *d*). Nempe ex his, quibuscum nobis magna conſuetudo intercedit, etiam ſub omni admixta ſpurcitie, ſeparat Natura, quæ ſibi conveniunt, reliqua luculenter noxia expellere didicit, velut eruditi ex viliſſimis ſæpe libris bonum doctrinæ ſemen, ut ex Ennii ſtercoribus aurum, rejectis ſcoriis colligunt. An ideo medici tramitem præceptorum plerisque utilium deſerant, & laudatis illis, quæ adſuetis quibusdam profuiſſe didicerint, plurimorum ſalutem prodant? Nemo facile eſt, qui non in multis

b) L. IV. vitandor. error. C. IV. p. m. 226.

c) v. Zacut. Luſit. L. III. prax. med. admir. O. 103. Ita Lev. Lemnius ruſtici meminit ad ingreſſum officinæ aromatariæ deliquio correpti, qui fimo equino naribus admoto animam in agone recepit L. II. de occult. nat. mirac. C. 9. p. m. 167. De carnifice idem fere teſtatur Phil. Salmuth, quem in ſimili animi deliquio odor cloacæ refecit. C. III. O 71.

d) De ſitu orbis T. II. L. 16. p. m. 1124. B.

tis ex ſua conſuetudine vivit, quæ velut corpus in certo opere diu verſatum durat, & a noxa aliis metuenda defendit, ita medico quidem cognoſcenda eſt, ſed in ejus unius præſidium, non ut quidpiam a rigore legum ſuarum remittat in aliis, extra illum ſtatum conſuetudinis poſitis. Si, ut Cicero ait *e*), pernoctare venatorem in nive, ſi tabellarium tot milliaria uno die & ſub horrida tempeſtate emetiri, ſi hominem, qualem J. Jac. Wepferus deſcribit *f*, butyrum fervidum & bulliens cochleatim & ſine noxa ſorbillare viderit, haud aliis ſimile cubiculum, ſimile diurni itineris tentamen, ſimilem gulæ oſtulam temere ſuadebit, niſi callum hic in palato, ibi in pedibus, illic in toto corpore ſimilem adeſſe, prævio examine cognoverit. Succumbent inter eadem tentamina robuſtiores, quibus ex hoc argumento potioris valetudinis falſo plus præſidii adverſus illas corporis offenſiones, quas non æque ferre didicerunt, tribues. Non in ſimplici robore conſiſtit conſuetudo, ſed in partium corporis agentium & recipientium, cum illis rebus, quibuscum familiaris uſus diu ſubſtitit, conſenſu, in multis ſæpe imbecillioribus ſtabilito.

Cujus conſenſus ratio & ipſe adſueſcendi modus, ex crebro agentis & patientis commercio natus, non obſcure in alimentis, pharmacis & ipſis venenis elucet. Victus ſolidus, durus, pravus nullam parit, etiam in debilioribus, modo adſuetis, moleſtiam *g*). Nocet autem judice Celſo, quidquid contra conſuetudinem eſt, ſeu molle ſeu durum *h*). Nimirum talia, quæ ab initio

e) L. II. Tuſcul. Quæſt. XVII. 40. p. m. 337. pernoctant venatores in nive, in montibus vri ſe patiuntur. Vegetius peritos duces ait pedites in nivibus & imbribus, equites in abruptis locis & foſſis exercuiſſe, ſic laboris conſuetudinem in caſtris ſanitatem, in conflictu victoriam præſtare, de re milit. L. 3. Cap. 2. p. m. 84.

f) Ephem. N. C. D. II. A. VI. O. 121. ſchol. p. 252.

g) Diſerte Hippocrates facile, ait, cibos ferri, quibus quis adſuevit, etiamſi natura non bonos, ægre autem ferri, quibus haud adſuevit, etiam non malos, ſimiliter potus. De vict. acut. XVIII. 2. Op. Edit. Lind. T. II. p. 281. Eidem tutior vocatur victus ſibi ſemper ſimilis, quam ſi quis ad alium & meliorem repente tranſit, ib. p. 279. XV. 1. 2.

h) De Medic. L. II. C. 3.

initio parcius, mox copioſius & avidius a ventriculo adſumuntur, ac ſenſim ſubiguntur, hunc etiam in progreſſu mutant, & alio quam ante ſuccorum & virium commeatu inſtruunt. Mirum non eſt, reſpondere ſenſim virtutem coctionis indoli ingeſtorum, & ſubſiſtere in humoribus aliquam cum cibis, ex quibus conficiuntur, adfinitatem, quam refert, quidquid menſtrui ad loca novæ coctionis accedit, & ſic congenerem indolem ſolventis menſtrui & ſolvendorum ejusdem generis ciborum illuſtrat. Alexandri M. exercitum in India ob novum edulii genus magna parte interiiſſe legimus, unde prohiberi cibos per ſe innoxios oportuit. Qui hodie primum ad Americanos tranſeunt, male eorum cibos ferunt, velut incolæ noſtris frumentis læduntur. Tartari cruda carne equina, Itali ranis delectantur, Indi aſam fœtidam pro aromate cibis miſcent. Atque talia non ferunt ſolum adſueti, ſed & carere iis fere nequeunt, licet ſub primo uſu permoleſtis, uti de ſpiritu vini vel nicotiana conſtat. Ipſa, quæ naſcitur & per gradus creſcit, adſumtorum gratia & ſuavitas ſignum familiaritatis eſt inter nutriens & nutritum *i*). Ventriculus familiares cibos ſine magno robore coquit, dum huic, cui adſueſcit, ſimile relinquit, & coctionem ſub nova actione juvat. Semper vero, quo quid ſimilius eſt agenti, eo facilius adſimilatur, eo minus, quo plus diſcrepat, licet tenerior in ſe ſit & ſolubilior partium contextus *k*). Non alia ratio eſt, cur pharmaca crebrius exhibita non mutent amplius corpus, ſed ejus mutatis viribus ſuccumbant. Docuit jam olim Theophraſtus *l*), facul-

i) Hinc canon Hipp. deterior cibus & potus, at jucundior, melioribus ſed injucundioribus præferendus, Aph. S. II. 38.

k) Solidiora digerere adſueti mollioribus, ut aviculis vel piſciculis, offenduntur. Philippus II. Rex Hiſp. non potuit piſcibus adſueſcere, ut teſtatur Chriſt. a Vega Op. p. 170. Multi bubulam facilius quam piſces ſaxatiles conficiunt, inquit Galenus de alim. fac. L. I. Cap. I. Op. Cl. II. p. 7. G.

l) Hiſt. plantar. L. IX. C. 18. p. m. 191. Thraſiam ait totos manipulos hellebori eſitaſſe, & nihil inde commotum dixiſſe, eandem rem aliis medicamentum, aliis non eſſe. Chium Eudemum refert, licet aliquando viginti duas potiones hellebori uno die ſumſiſſet, nil quicquam vomuiſſe.

In

facultates medicaminum in adſuetis debiliores, in quibusdam inertes deprehendi. Hinc improbat Galenus *m*), bis vel ſemel in menſe purgari corpus & in malam conſuetudinem trahi. Huc etiam Celſus ſpectans cavere jubet, ne in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur *n*). Nihil enim mutat & alterat, niſi quamdiu diſſimile eſt, vel quæ Sanctorii verba ſunt *o*), nulla eſt vis medicamenti, niſi inter illud & Naturam diſcordia conſervetur. Quidquid corpus moleſte fert, iterato uſu fert benignius; ſed ut incommodi jam minus ſentit, ita minus virtutis ſuſcipit. Mercurialia lui venereæ in eodem corpore ſæpius oppoſita reperiuntur omni mox virtute vacua. Damnati ad mineras mercurii primis diebus vehementem ſentiunt ſalivæ fluxum, ad proſequendum autem opus flagellis compulſi ſpuere deſinunt, & ceſſante fluxu pereunt. Quantillum opii funeſto ſopore mergit! at fuit, qui drachmas decem & ultra quotidie ſumeret, unde exclamavit Garcias ab Horto: *tantum conſuetudo valet p*)! Merito Ariſtoteles cataplaſmata, quamvis earundem virium ſint, permutari ex certis intervallis voluit, quia adſueti pharmaci vires Natura contemnit *q*). Suadent etiam hodie peritiores medici, ſæpius in morbo protractiori permutare pharmaca, ne vel eorum inertia ſequatur, vel augenda indies quantitate opus ſit. Ex quo intelligunt, quam male ſibi conſulant, qui ad primas imminentis morbi, etiam imaginarii, inſidias ruunt celeriter ad uſum medicaminum, & penum domi inſtruunt, in quo panaceas omnes & Hygæam ipſam habitare ſibi, ſique poſſint, aliis perſuadent. Quid

In ſeptima tamen potione ſe præmunivit nonnihil. Sic Braſſavolus, Bodæus & alii multi draſtica adſuetis alvum non moviſſe, uberrimis experimentis confirmant.

m) in comment. ad aph. Hipp.

n) De medic. L. I. C. I, ad finem.

o) l. c. L. IV. C. 5. p. 233.

p) L. I. aromat. Indic. C. 4. p. m. 22. deſcribit illum ut ſtupidum & ſemper dormibundum, apte tamen & docte de omnibus diſputantem. Lyſis apud Sextum Emp. ſumſit quatuor drachmas. Op. Edit. Fabric. p. 22.

q) S. I. probl. 46. Male adfigunt cerata ſpleni vel ventriculo, donec cadunt, dum unius diei ſpatio localium virtus evaneſcit.

Quid quod adſiduus uſus venena, quæ longe gravius pharmacis corpus mutant, inertiſſima reddit. Libavius Aethiopes ſcorpionibus, Mercurialis gentes Indiæ occidentalis buſonibus veſci tradunt, apud Albertum Magnum occurrit, quæ araneos per totam vitam ſine damno deglutivit. Anum, cujus Galenus meminit, aluit cicuta *r*), puella, quam ex Rufo Avicenna citat, venenis innutrita coeuntes ſecum viros infecit & interfecit ipſa illæſa *s*). Quin & arſenico ſtudioſus Halenſis adſuevit, cujus parum cum carne pingui ſuilla ab initio ſumſit, nec id ſine vomitu, ſic tamen, ut iterato uſu remitteret vomitus, & ad notabilem ſenſim quantitatem adſcendere auderet *t*). Lentus ille in uſu progreſſus ſenſim nocentiſſima nobis conciliat. Fit ſimilitudo, ubi repugnantia erat, & humoribus veluti cum ingeſtis major jam cognatio eſt, ita per hanc plenior ſubigendi poteſtas accedit.

Motuum ratio non minus illuſtrat illum, de quo dicere cœpi, ex conſuetudine conſenſum, qui corpori partim facilitatem ex iterata actione, partim tolerantiam ex crebro, quem recipit, ambientium cauſſarum impulſu parit. Non quidem partis, quæ agit vel patitur, robur ab exercitio natum nullius momenti eſt, at majoris promtum illud ex frequenti miniſterio obſequium, cauſſis, a quibus patitur, ſe varie & illo ſitu, qui noxæ minus admittit, accommodans. Fibrarum ſæpius contractarum & diſtentarum ad unam legem actio ſub levi animi nutu recurrit, vel etiam anticipat. Robuſtos ad triremes damnatus fractis intra triduum viribus miratur ſociorum longe imbecilliorum in opere con-

r) III. ſimpl. facult. C. 18. Op. Cl. V. p. 22. C. A pauxillo auſpicata ad magnam copiam progreſſa eſt. Sextus Emp. drachmas XXX. ſumtas ait ſine damno. Op. L. I. C. 14. p. m. 22. Accuſat Sanctorius Fr. Valleſium, quod oſcitanter napellum pro cicuta ſubſtituat, L. VIII. controv. C. 5. id vero apud Avicennam jam legimus, v. Not. ſequ.

s) Op. Edit. Valgriſ. T. II. L. IV. Fen. VI. Tract. I. C. 2. p. 192. ad finem.

t) v. Sam. Scharſchmid. in Diæt. nuper Berolini 1755. edit. p. 20.

conſtantiam. Hinc maxima vis conſuetudinis eſt in tenera ætate, quæ formam celerius ſuſcipit ad agendum vel patiendum idoneam. Jam in recens natis id non obſcure adparet, qui effuſi in ſinum matris vel nutricis illum plurium menſium ſitum in utero repetunt, genua attollentes tibiis introrſum flexis, donec ligaturæ & faſciæ poſitum illum, quippe inceſſui, quo mox opus, minus faventem corrigunt. Ipſa hæc faſciandi ratio capitis & artuum fingit mollitiem, ut functionum, quibus deſtinantur, magna inde emergat varietas, *u*) vix in progreſſu ætatis corrigenda. Si ſuo arbitrio tenelli permitterentur, æqualis fere eſſet dextræ & ſiniſtræ manus poteſtas. At dextra, quam ex præſcripto parentum exercent magis, partibus ſingulis, quibus conſtat, in motum, licet non magnum ſemper, at certe varium, idque crebro deductis, pollet vigore, cum in altera manu multæ illarum partium per majorem quietem in officio ſuo langueſcant. Ita ſedentes diu jacenteſque ægre incedere videas, & aviculas caveæ diu detentas, cum libertati ſuæ reſtituuntur, vix jam in altum ſubvolare poſſe. Quam mirabilis vero actio eſt parvarum quoque ſub crebro exercitio partium, ut linguæ, qua femina illa Britannica filum per foramen acus trajicere, nodos arctiſſime nectere, quin & ſcribere potuit. *x*) Hominem inter pecora in montanis locis educatum miris ſaltibus agilem, nunc in tectis ædium felis inſtar decurrentem, nunc in menſam intactis poculis ſuper humeros convivarum ſalientem vidit in aula principis Papenbergenſis oculatus teſtis Phil. Camerarius. *y*) Etiam violenta exercitia, ne unum robur arguas, plus ſuſtinere adſuetos ſenes quam inſuetos juvenes quotidie obſervamus. Id probe inculcat canon ille

u) v. Th. Bartholini Anat. L. IV. C. 4. p. m. 699. ubi figura capitis, quæ anterius protuberat, ſi compreſſa eſt, inſulſos & amentes notare creditur. Crura Gallis magis directa quam Hiſpanis a faſciandi conſuetudine illis gentibus diverſa derivat Gal. de la Serna de conſerv. infant. Tr. III. C. 5.

x) v. Nic. Tulpii Obſ. L. III. 54.

y) hor. ſubceſiv. Cent. I. C. 75. p. m. 343.

ille Hippocratis, labores facilius ferri ab adſueto, debili licet & ſene, quam non adſuetis fortibus & juvenibus. *z*)

Aeri ſic multi adſueſcunt, ut qui deterior ſit, quemadmodum in profundis & ſubterraneis locis, non lædat foſſores, & in convallibus nati ſuum aerem montano præferant. Ita in loco humido enutriti ægre ſiccum, in ſicco ægre humidum ferunt. Maxime tempeſtas tum calida tum frigida incolis ſuis propitia eſt. Barbari infantes gelido amne mergunt, Alpini aliquid cum nivibus ſuis ſimile habent, & Lapponum filii nudipedes calcant glaciem, minus valituri ſub mitiori cœlo. Nuſpiam Natura noverca eſt, vel fœtus ſuos in diſcrimen ipſa adducit. Hinc ut patriæ potius quam exteris operam noſtram impendamus, non alio forte magis quam ipſo valetudinis vinculo obligamur. *a*) Peregrinantes raro evadunt inſueti cœli, licet in ſe benignioris, injurias, & toti ſæpe exercitus, velut illi olim ex Europa in Palæſtinam trajecti, dum loco moventur, in communes & funeſtos morbos, tanquam ab adflatu veneni, incidunt.

Neque in motus animi & miniſteria ſenſuum minor conſuetudinis poteſtas eſt. Torpet mens ſine adſidua contemplatione, hebeſcunt ſenſus ſub exiguo uſu, oculi uſum perdunt, dum diu in locis tenebricoſis hærent, velut qui conſpicillis uti incipiunt, mox ſine illis minus quam ante diſcernunt. Legere adſueti legunt diutius & cum minori viſus noxa, quam non adſueti, qui oculis præſtant. Plus mireris, magna animi pathemata vix lædere adſuetos, ut iracundos & laſcivos. Vidi ſenem fere octogenarium, mune-

z) Aph. S. II. §. 49. Subjicit §. 50. univerſim conſueta, etiamſi deteriora, minus inſuetis moleſta eſſe. Celſus L. I. C. 3. omnem, inquit, laborem facilius vel puer vel ſenex, quam inſuetus ſuſtinet.

a) Sunt, qui patrium aerem, quod ſolita magis & corpori jam amica virtute inſitum calorem recreet, ſemper præferunt, morboſque in eo mitius ferri & facilius ſuperari arbitrantur. Igitur, ſi quis in peregrino aere haud diu verſatus ægrotet, fugere illum ſuæ Naturæ diſſimilem, licet in ſe optimum, & ad patrium redire, licet in ſe peſſimum, ſuadet Paul. Zacchias Quæſt med. leg. L. V. Tit. IV. Qu. V. p. m. 360. Non repugno, niſi patrii aeris vitia nimis excedant.

munere meritisque venerabilem, at vehementer iracundum, cujus hoſpitio aliquot menſibus ex paternæ amicitiæ jure fruebar. Is hominem cenſuræ ſuæ ſubjectum, cum non procul abeſſem, extrema vocis contentione & incredibili mentis ardore vel furore potius objurgabat. Paulo poſt in cœna obſtupui ad ſubitam rerum converſionem: reperi enim magis quam ante comem, lætum, affabilem & in jucunda colloquia omnisque humanitatis officia effuſum, præterea cibo potuque liberalius fruentem. Mihi vero in aurem dixit agnatus ejus, frequens ante hac & tempeſtatis ejusmodi & ſubſequentis ſerenitatis ſpectator: vidiſtin hominem, cui ira, qua exæſtuat, tam mirabile vitæ & virium pabulum præbet? Laſcivum aliquem vidit meus olim præceptor, A. Q. Rivinus, ad res nullas niſi venereas idoneum, in quibus vero etiam ſenex ita excelluit, ut cum durabili virium conſtantia juvenes & robuſtos in illo certamine vinceret.

Non penitus omitto, quid in excreta & retenta conſuetudo valeat, et quomodo attentum medicum, ut in ſalutem ægri dextre conſulere poſſit, probe inſtruat. Sunt, qui hæmorrhagias, diarrhœas, vomitus & alias nunc his nunc illis temporibus ingruentes dejectiones cum præſidio valetudinis exſpectant, quibus tanquam morbis medici infauſto ſucceſſu mederi nituntur. Voluſium Plinius tradit nonageſimum ætatis annum exceſſiſſe, & copiam tamen ſanguinis ſingulis annis vomuiſſe. *b*) Sic multi fonticulis adſueſcunt, quos ſepties occluſit mulier apud Zacutum Luſitanum, toties nova pleuritide correpta, & tunc demum libera, cum deſiſteret obniti. *c*) Sagax Natura ignotas ſæpe vias reſerat, quæ iisdem deinde excretionibus commode patent, nec niſi ab imperitis occluduntur. Dabo Fr. Valleſio, *d*) conſuetudinem cir-

b) Hiſt. Nat. L. XI. C. 38. Edit. Hard. T. I. p. 634. 16.

c) III. prax. med. admir. O. 106.

d) Controv. med. & philoſoph. L. VIII. C. 5. p. 364. ſq. Vocat errorem medico indignum, conſuetudinem excretionis tueri: hanc enim a morbo poſtulari non conſuetudine, licet hæc efficiat, ut illa lenius feratur. Quid, inquit, opus eſt vacuare, ſi copiæ certis temporibus redundanti victus tenuis vel exercitia medentur? de quo Galenus de Conſuet. Op. Cl. II. p. 61. H.

circa hæc non tam excretionis ejusmodi indigentiam, quam tolerantiam notare: certe ab ea recedere, tutum nunquam eſt, niſi opportuniori impurorum humorum exitu reperto, vel nova ejus colluvie inhibita. Eſt & conſuetudo quædam ægrotandi, ſub qua multi cadendo per vices & reſurgendo ad ſeræ ſenectutis terminum perveniunt. *e*) Manent valetudinarii & ea ferunt, quibus, ſi ſaniſſimi laborare aliquando incipiunt, plerumque ſtatim, tanquam ad illum hoſtem minus præparati, ſuccumbunt. Nullo melius nomine de nobis, qui tot ærumnis naſcimur, judice Seneca Natura meruit, quam quod calamitatum mollimentum conſuetudinem inveniret, cito in familiaritatem graviſſima adducens. *f*) Ita omnia per conſuetudinem miteſcunt, qua non ferrei ſolum ad victum ventres & indomita ad frigus corpora fiunt, ſed &, ut vidimus, morborum dolorumque naſcitur tolerantia & miſeriarum oblivio. Lacedæmonum filios ſub flagris ad necem ingeſtis haud vultum mutaſſe legimus. Adſueſcimus ſecundis & adverſis, tranquillis & inquietis, ut grave onus adſuetos humeros leviter, leve inſuetos graviſſime premat. *g*)

Saluberrimum igitur Celſi præceptum eſt, *h*) non uniformem ſed variam vitam ſequi, quia tot inopinatis rerum ſortibus ſubjicimur, adeoque nihil facile intentatum relinquere, nihil non eo-

e) P. Zachias in Quæſt. med. Leg. Tit. I. Qu. VIII. n. 17. ſunt, inquit, qui morbos magnos & horribiles patiuntur: & ex iis præter ſpem non ſemel aut bis ſed multoties ſanari conſueverunt. Vidi ego, qui quolibet ſemeſtri tali morbo adflictaretur, ut nullum excogitari poſſet tam exitiale ſymptoma, quo illo morbo non moleſtaretur. Hic quod aliis ejus Naturæ ignaris pro mortuo haberetur, omnes plurimum deluſit.

f) de tranquill. anim. C. X. p. m. 365.

g) non inepte Ren. Moræus in Comment. Schol. Salern. vivere nos ait & ſapere conſuetudine, eaque non ratione ipſam mentem moderari. Epulæ, inquit, ceremoniæ, ſtudia, fama, divitiæ, honores, religio, omnia ex conſuetudine.

h) L. I. C. 1. Jubet nullis ſe obligare legibus, modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpius in agro, navigare, venari, quieſcere interdum ſed frequentius ſe exercere. &c. Confer de uniformi vita periculoſa Galen. Com. II. in aph. Hipp. 50. Op. Ex. p. 19. C.

eorum, quæ in corpora noſtra agunt, nobis conciliare. Id quod Ariſtoteles *πρὸς ὑγίειν εὐχρηστότατον* vocat. *l*) Qui definitam aliquam & probis alioqui legibus communitam vivendi regulam ſequuntur, ab iis, quæ extra eam ſunt, ſtatim laborant. Si hæc vitare ſemper poſſint, bene eſt, at facile neceſſitas incidit, quæ vel invitos iis exponat. *k*) Igitur tutius nihil facile quotidianum habet, qui valere & ſeneſcere cupit. Quid eſt quod ruſtici ægrotent raro vel cito convaleſcant? nihil forte magis, quam quod fere omnes cœli & ambientium cauſſarum injurias ferre didicerint, imo ab his præſidii aliquid ex actione ſibi jam familiari exſpectare in morbis poſſint. Illi gelida hieme ſub dio frigent minus, quam mollis homo pellibus indutus in tepente cubiculo. Atque id inprimis eſt, cur boreales gentes duriori vitæ & aſperiori aeri adſueti, militiæ & alia vitæ onera cum majori conſtantia ferant, & duratis corporibus, quid tuſſes, raucedines, catarrhi & ſimilia mala ſint, rarius experiantur. Quidquid tamen horum eſt, convenit omnino, iis rebus, quibuscum ex vitæ & munerum inſtituto neceſſarium magis commercium intercedit, familiariſſime adſueſcere, at & abolere ſenſim pravas conſuetudines, quæ licet contra noxas certarum rerum nos diu tueantur, tamen veram cum iis pacem, quæ non creſcente ſaltem ætate violetur, nunquam bona fide ſtabiliunt. Quæ ipſe conſuetudines, an tolli omnino poſſint vel debeant, & in quibus? paucis adhuc attingam. Nihil his, quam eximium Galeni judicium præmitto, aliquos conſuetudines ut rem exilem deſpicere, nullamque ab iis indicationem, quæ medelam mutet, petere, aliquos non illas quidem deſpicere, repente vero ad contraria cum ſummo errore delabi. *l*)

Prava conſuetudo, inprimis inveterata, non ſtatim ſed ſenſim abroganda eſt, in debilibus autem & ſenibus nec ſtatim nec ſen-

i) L. VII. politic. C. 7.

k) poteſt incidere laboris neceſſitas, (non autem laboris tantum ſed & multorum aliorum) inquit Celſus L. I. C. 3.

l) Comm. II. in Hippocr. de morb. vulg. Op. Cl. III. p. 165. B.

ſenſim. Præſtat enim vitam inter incommoda, per ipſum uſum minus moleſta, protrahi, quam ſub nova conſuetudine, quæ vires adhuc integras, nedum languentes, diſſolvit & opprimit, periclitari. In omnibus ſane, qui ad inſolita transeunt, magna virtus, quæ ſuſtinere poſſit, non qualis in debili vel ſenili corpore facile elangueſcit, requiritur. Curtius medicus perdidiſſe pontificem Clementem VII. creditus eſt, ſenem quidem, at validum, quem ad aliud, licet in ſe melius, vitæ genus deduxit. *m*) Eodem nomine Onuphrius Panvinius medicum accuſat, qui pontifici Julio III. podagrico novam vitæ rationem præſcripſit: unde is orta ad inſolitum ſtimulum febre periit. *n*) Igitur mutare quidem pravam conſuetudinem, ſed non niſi in robuſtis & juvenibus convenit, neque in his, niſi lente & provide. Cedunt adhuc vaſa in prima corporis juvenilis mollitie, & novam ſenſim formam induunt, cum ſub rigidiori partium flexu haud mutent habitum ſuum, nec novis facile legibus auſcultent. Tam perdet ſenex, judice Galeno, in prava conſuetudine emendanda operam, quam ſi novam artem diſcere jam octogenarius incipit. *o*) Quodſi vero inſueta nec debiles nec ſenes ferunt in aliquo adhuc ſuperſtitis ſanitatis gradu, de hoc penitus dejecti ægrotantes longe minus in ſe ad novum onus ſubſtinendum habebunt præſidii. Igitur in morbis plane vetat Galenus quidpiam contra pravam conſuetudinem moliri, & Ariſtotelis Mitylenæi meminit, qui in morbum, cui potus frigidæ congruebat, incidens, & quod hac uſus nunquam eſſet, repugnans ſeque ſpaſmo correptum iri præſagiens, vinci tamen ſe paſſus occubuit. *p*)

Hinc

m) Paul. Jovii hiſt. L. XXXII. p. m. 235. Lætati hac morte multi cum ſumma libertate gratias egerunt Curtio medico, quod firma utentem valetudine, in multa ſpe longioris vitæ, novis præceptis & commutata vivendi ratione occidiſſe crederetur.

n) in vita Julii III. p. 436. Proprio motu id Pontificem feciſſe alii tradunt.

o) V. de ſanit. tuend. X. Op. Cl. II. p. 93. B. H.

p) de conſuetud. Op. Cl. II. p. 60. B. Obſtitit, inquit Galenus, & natura & conſuetudo, licet morbus indicaret. Confer meth. med. L. VIII. C. 9. Op. Cl. VII. p. 55. B. ubi ſemper a conſuetudine ſimilia ait indicari, quoad

ægro-

Hinc non de nihilo eſt Celſi judicium, qui utiliorem ægris medicum amicum quam extraneum cenſet. *q*) Hic enim doctior forte, ſed adulti moris ignarus facile varia commendat ut ſalutaria, varia prohibet ut noxia, cum ab his conſuetudo vitium, ab illis virtutem ſuſtulerit. Jo. Cajus ſuam ideo Britanniam laudat, in qua magnates medicos ſuos familiares habent, crebros eorum, quæ bene vel male tulerint, teſtes. *r*) Certe exploranda ſemper a medicis conſuetudo ægrorum eſt, quæ ſimilia poſtulat, dum morbus contraria. Connivendum illi eſt etiam noxia adpetenti, nec unquam permittendum, ut, qui cum morbo pugnat, laceris jam viribus cum conſuetudinum etiam ſuarum erroribus contendat. Ex ruſtico acute febriente & mox ad præſagium omnium perituro quæſivit medicus, ecquid ex iis peteret, quæ ſibi jucunda olim & familiaria fuiſſent? Ille ſe abhorrere a præſcriptis cibis & pharmacis ipſoque molli nimis lecto reſpondit, quippe per novendecim annos ſub dio & in ſtramine cubare ſolitum, nec niſi cepis, caſeo bubulo & ſimilibus duræ coctionis uſum. Annuit medicus quaſi ultimis morituri deſideriis. Is vero una nocte dormiens in ſtramine, frigidam bibens & cepa ac ſale victitans poſtridie ad focum ſtetit, inter multos, quos medicos accivit, tam mirabilis mutationis teſtes. *ſ*) Nunquam negare fas eſt ægro, quibus maxime & diu adſuevit. Helluoni ſi abſtinentiam imperabis, aliis in ſimili morbo ſalutarem, cauſſa exitii eris. Dionyſius Siciliæ tyrannus, ſi quando in urbis obſidione a luxus & potus ſui deliciis deſtitit, tabe protinus laboravit, *t*) mox ſanus

ægrotant. Idem, muta, inquit dum valent, non dum ægrotant, l. c. p. 54. H.

q) de med. in præf. ad finem: ſi par ſit ſcientia, utilior amicus quam extraneus.

r) meth. med. L. I. p. 35.

ſ) R. Solenandr. Conſil. med. S. V. C. 15. §. 16. p. m. 489. Alium quoque refert, ut extra cubiculum ſub dio dormiret, anxie petiiſſe, & hoc indulto intra triduum convaluiſſe.

t) εὐθὺς ἐφθίασεν. Ariſtot. probl. XXVIII. 1. Op. T. IV. p. 215. C.

ſanus, ubi ad ebrietatem rediit. Muſicum vidi, qui tremulus & ad parietes ædium corpus fulciens ad tabernam prorepſit, ex qua poſt copioſe hauſtum ſpiritum vini redux ſtabili per medias plateas greſſu domum ſuam repetiit. *u*) Hunc aliquando agnatos ſuos inviſentem & leviter languentem, jam negato ſpiritu vini tanquam morbi fomento, mors intra paucos dies oppreſſit. Juſta ſæpe ægrorum querela eſt, ſe ab adſuetis repelli, ab eſu carnium, a vino, ab aliis ſibi jucundis, quorum omnino adpetitus ſi ſponte evaneſcit, ſuccumbentis Naturæ indicium eſt, ſi reſurgit, novæ vires ad oppugnandum morbum emergunt. Nam ipſe adpetitus, quo feruntur in hoc vel illud cibi potusque genus, nota familiaritatis eſt inter naturam ejus, quod adſumitur, & corporis, quod adſumit, *x*) inque ſuas vindicias nova inde arma conſequitur. Puſilla res eſt ſalubrium cenſura, nihil magni momenti in univerſum decernit, & ubi cum ſingulis Naturis ratio initur, mire fluctuat. Vagas hic opiniones multum coercet conſuetudo, & ſalutare præ ceteris declarat, ad quod quis propendet, & cui adſuevit. Unde nemo, niſi qui omnem valetudinis ſuæ curam abjecit, ab alieno judicio nimis pendet, nec quem ſemel admiſit vitæ ordinem, temere deſerit. Sunt, qui meracius bibere ſoliti ad tenuem potum cum damno accedunt. Sanctorius comiti in Hungaria meracius vinum diſſuadens, ſub tenui, ad cujus uſum impulit, cadere vires vidit, non prius, quam ille mutato conſilio meracius biberet, reſtitutas. *y*) Ita novi, ſub tyrociniis artis me ægroto cuidam ptiſanas præſcripſiſſe, ſub quibus multum elanguit, at indulta, quam ex priſco more ſe adpetere dixit, meraciori cereviſia miratus ſum celerrima virium & valetudinis incrementa. Multis medicis ſiniſtrum præſagium ſuggerit,

u) qui tremores a ſpiritu vini habent, impatientia fere rumpuntur, donec novam ejus copiam venis infundunt. Quieſcunt tremores, dum novus ſpiritus collapſa vaſa inflat. At evanidum robur eſt, & majorem ſolidorum inertiam, quæ in hydropem tendit, relinquens.

x) Galen. III. de temp. 2. & VI. de valet. tuend. 3.

y) L. IV. vitand. error. C. 9. p. 244.

gerit, ſi ægros vident cubare ſupinos, per ſomnum ſtridere dentibus, palpebras non committere. *z*) At merito dejiciunt metum, ubi cognoverint, idem ſemper iisdem ſanis in more fuiſſe. Sunt, quibus alvus diu obſtructa nihil intra plurium annorum decurſum noxæ attulit, & quibus eam intempeſtive ſolvere ſine virium deliquio non poſſis. His ægrotantibus medicus non mole illa purgantium, quam alii ferunt, indies renovata occurrit, ſed præſidiis Naturæ in aliam excretionem pronioris manum commodat. In ſanis autem nec viribus nec ætate nimis detritis frena omnino pravæ conſuetudini injicienda ſunt, modo hanc cogitemus lentas radices egiſſe, & callum intra plures annos obduxiſſe. Nam velut non adſueſcimus ſtatim, ita nec ſubito deſueſcere fas eſt, ſed per gradus non nimis diſſimiles retrahi oportet. Maxime dum inveteratæ conſuetudini obnititur prudentia medica, in lenitatem & indulgentiam quam rigorem pronior eſt. In omnibus vero uſum rei ſenſim noxiæ limitat magis quam tollit. Hydropota ille apud I. N. Pechlinum *a*) putidis in Batavia aquis diutiſſime uſus ſubrepente ſenſim vitio ventriculi easdem etiam deinceps, ſed coctas & aromatum nidore perfuſas, bene tulit. Ita fas eſt, non ad oppoſita ſtatim tranſire, ſed rem adſuetam, in potioribus noxæ ſuæ momentis correctam, juſtis corporis deſideriis vindicare. Noli improbare, ſi ruſticus jam ſeneſcens fodere & arare, litteratus lucubrare pergit, neutrum conſuetudo fatigat, licet aliquo jam limite egeat. *b*) Prava quorundam conſuetudo eſt, bibere mane, dum ſurgunt, vel circa noctem, dum cubitum eunt, vel media nocte, dum evigilant. Minue per gradus potulenti menſuram, vel cognati potus genus minus

z) Galen. in Hipp. de offic. med. Com. I. Op. Cl. VII. p. 192. B.

a) Obſ. med. Phyſ. L. III. O. 38. p. 514. Is alium potum, maxime vinum, ita averſatus eſt, ut pauxillum illud in cœna ſacra niſi dilutum bibere non poſſet, & ne hoc quidem ſine magna litigantis animi ægritudine.

b) ſenes ſolitis laboribus exerceri vult, ſed vehementia eorum remiſſa. V. de ſanit. tuend. Op. Cl. II. p. 90. A. & paulo ante p. 98. H. conſueta, quæ exercent & delectant, non laſſare ait, laſſare vero, quæ diſplicent.

nus noxium, & cui deſueſcere facilius ſit, ſubſtitue. At ſcopus non eſt, ad illa ſpeciatim deſcendere, nedum in hoc argumento Chryſippi argutias ſectari, cum cujus de conſuetudine libris omnes omnium academicorum diſputationes in unum congeſtas, non tamen dignas eſſe, quæ comparentur, olim multi jactabant. c)

An prava conſuetudo ſit, in litteris diurna nocturnaque manu verſari, nolim, ne molles & inertes animos illa cenſura confirmet, multis proſequi. Locuti nuper ſumus de noxis lucubrationum, at & cavendum eſt, ne illarum nomen multis in oppoſita pronis nimis inviſum ſit. Non diſſimulo, corpus violentis exercitiis exhauriri minus quam intenſiſſimis animi ſtudiis, adeoque juſtæ quietis intervalla utrinque, & hic etiam magis requiro. Neque vero prætereundum cenſeo, honeſtam illam animi in lætis ſtudiorum progreſſibus conſolationem multum laſſitudinis demere, quæ alias injucundas operas, licet minus difficiles, comitatur, & doctiſſimorum virorum, Malebranchii, Caſſini, Newtonii totque aliorum exemplis ad ultimam ætatis metam perducere. Quidquid oblectat animum, quidquid ſerenum, tranquillum, hilarem reddit, cito ſpirituum viriumque diſpendia reparat, vim nervorum, cordis & vaſorum intendit, ſanguinisque & humorum vegetiorem motum cum omnibus, quæ inde redundant, commodis egregie ſuſtentat, idque in magna ſæpe corporum quiete, quam a noxa comite vis conſuetudinis dignius quam alia vindicat.

c) Plutarch. de Stoic. repugn. Op. T. II. p. 1036. C.

PRO-

PROLUSIO
QUA OSTENDITUR
FRIGUS CAPITI, FOTUM CALOREMQUE PEDIBUS MAGIS CONVENIRE

PANEGYRI

IV. MEDICINÆ CANDIDATORUM

D. 17. MENS. SEPT. 1756.

PRAEMISSA.

Capiti & pectori, cum principes corporis partes ſint & nobiliſſimarum functionum ſedes, vallum Natura objecit contra externas injurias, inter quas tamen aërem, qui ſæpe frigidior externum caput alluit, pectus etiam altius ſubit, haud agnoviſſe videtur. Si vero illa non agnovit ad omnem indigentiæ noſtræ ſtatum tam attenta, juſtus tanquam in periculo metus non eſt. Nempe vallato capiti calloſa etiam cutis & denſa ſatis coma pro tutamine data noxam frigoris facile arcet. Teneram autem bronchiorum in pectore texturam & ultimos eorum fines penetrans aër, per vias a vitali motu calentes, ſub ipſo jam acceſſu tepeſcit. Sane ut caloris ſic frigoris, etiam in majori gradu, fit corpus ipſa conſuetudine patientiſſimum, ſub cœlo inprimis, quo natum eſt, nunquam incolis ſuis inimico. Velut nudis pedibus terram calcant Afri, quam ferventiſſimam Europæi vix calceati ferunt; haud ſecus in remotiori ſeptentrione reperiuntur, qui nudis pedibus glaciem calcant, quam ne tectis quidem attingere Afri illi

 auſu-

auſuri eſſent. Itaque niſi vitæ mollities nobis fructum intercipit, a commercio rerum, quibus in omni vita obviis mature adſueſcere oportuit, ſperandum, fruſtra circumfuſi aëris offenſam metuimus. Fieri tamen ſolet, ſi artis præſidia intempeſtive quærimus, ut illis, quæ Naturæ ſunt, ſui jam beneficii ſinum coarctantis, ſenſim deſtituamur. Quid enim mirum, ſi cum metu & quaſi contra latentes inſidias præmuniti ad illa accedimus, quæ ſub conſtantiori uſu Natura nobis conciliatura erat, quod alia jam lege, quam cui adſuevimus, vivere & valere non liceat. Dicam hoc loco de cavite, ſub cujus nimio fotu & calore ipſi nobis eripimus frigidi aëris commode tolerandi opportunitatem. Quoties mulierculas ſub illo fotu videmus auram, quam alii vix frigidiuſculam dixerint, non ſine doloribus capitis & ſtagnantis ſeri colluvie ferre? Quin & viri, quod magnum dedecus cenſeo, aura illa molliores, juſtas omnino Naturæ pœnas rependunt, cujus initiari inſtitutis, maternæ ſemper ſolertiæ & providentiæ plenis, minus quam illis fomentorum erroribus conſultum judicant.

In majori olim pretio erant, quæ corpus durare contra aëris inclementiam ipſo conſuetudinis beneficio poterant. Mulieres quidem tecto, viros autem aperto capite in publicum prodiiſſe, Plutarchus inter ævi ſui mores refert *a*). Certe par erat, viros, quos crebro ſubire, hinc metuere minus cœli ac tempeſtatum injurias decebat, duriori vitæ genere diſcerni a feminis, quæ domi latentes non tam impune virium ſuarum experimenta capiunt. Cum ne Homerus quidem pilei meminerit, illam nudi capitis in viris conſuetudinem jam priſcis Græcis Adr. Turnebus vindicat *b*), Euſtathio, optimo Homeri interprete, conjecturam illam confirmante, τὰς κεφαλὰς ἀκαταλύπτυς a primis jam Græcis ad Romanos tranſiiſſe *c*). Si Ulyſſis, Caſtoris, Hippocratis aliorumque imago pileata reperitur, quod Polydoro Vergilio *d*), omnem in

a) Quæſt. Roman. Op. T. II. p. m. 267. A.

b) Adverſar. L. VIII. C. IV. p. m. 228. b.

c) Ad L. 1. Odyſſ. Confer. Juſt. Lipſii amphitheatr. C. 19. Op. Ed. Plantin. T. III. p. 578. Balth. Bonifac. Hiſt. ludicr. c. 20. p. m. 106.

d) De inventor. rer. L. III. C. 18.

in univerſum pileorum uſum neganti, J. Brodæus objicit *e*), illud reſpondere licebit, peregrinationis in his ſymbolum fuiſſe, quæ ipſius Sorani de Hippocratis pileata imagine diſquirentis ſententia eſt *f*). Nec Gallorum Germanorumque veterum diſpar vitæ ratio circa nuditatem capitis videri poteſt. Tacitus Germanorum cirros nodosque, nusquam tegmina, commemorat, & Suevos clare teſtatur capite aperto crinibusque in altitudinem quandam & terrorem religatis pugnam ingreſſos eſſe *g*). In Romanorum certe antiquis ſtatuis & aereis nummis nullus pileus conſpicitur. Julium Cæſarem conſtat, ne deforme calvitium obtrectatorum jocis obnoxium exponeret, capillos a vertice revocaſſe, cumque nec ſic operire ſatis poſſet, jus laureæ coronæ perpetuo geſtandæ a ſenatu & populo ſibi decretum, ut gratiſſimum munus, accepiſſe *h*). Quintilianus oratorem ſuum in omni veſtitu ad calcem usque deſcribit, nil vero niſi capilli in capite meminit *i*). Haud dixerim tamen ab omni capitis velamine Romanos abſtinuiſſe. Nam muneris aliquando ratio inter ſolemnes ritus poſtulabat, ut milites caſſide præirent, flamine ſacerdotes. Ludi etiam & inprimis Saturnalia, ut pileata Roma eſſet, permittebant *k*). Præterea cum pluvium tempus incideret, tantum non omnes galero, vel cum æſtuantis Solis radii imminerent, petaſo aut umbella uſi ſunt. Neque ex alia ratione Deorum ſtatuis, niſi ut ab avium & tempeſtatis ſquallore defenderent, lunatas

um-

e) Miſcell. L. III. C. 7.

f) in vita Hippocr. Confer. Andr. Alciati parerga jur. L. VIII. C. 10. Op. T. IV. p. 489. ubi tamen aliam cauſſam ſubnectit.

g) De moribus Germ. C. 38. Op. Edit. Gron. p. 425. 426.

h) Sueton. in vit. Jul. Cæſ. C. 45. Idem ſec. C. 57. in agmine anteibat capite detecto, ſeu ſol ſeu imber eſſet.

i) Inſtitut. Orat. L. XI. C. 3. Edit. Geſn. p. 584. ſq. ubi & togam & calceum & capillum memorat, aliaque multa ſigillatim.

k) Dum Martialis Epigr. L. XI. 6. p. m. 611. pileatam Romam unctis falciferi Senis diebus vocat, ſubjicit Turnebus l. c. ceteris diebus nudo capite fuiſſe, aut illud veſte velaſſe.

umbellas, quas μηνίσκυς adpellare moris erat, imponere ſolebant *l*). Imo religio prohibebat, Diis aliter quam velato capite ſacrificare, quod fas videretur, nihil tunc alieni in oculos aureſque incidere & diſtrahere animos: ne de privato luctu dicam, ubi filii parentes, Deorum inſtar colendos, velatis capitibus efferebant *m*). Hujus inſtituti aliam certe patet quam arcendi frigoris interceſſiſſe rationem. Sufficit in conſueto vitæ tramite omnes nudi capitis conſtanti lege fuiſſe *n*), vel non niſi laciniam togæ aut pallii contra ventum aut æſtum in caput rejeciſſe, detractam protinus ad honoratiorum virorum occurſum. Id quod quidem honoris cauſſa factum videri poteſt *o*), at magis, ut a cultu Deorum, qui tecta capita

l) Vox Ariſtophanis in dramate avium v. 114. Edit. Küſter. p. 419. ubi chorus avium adverſis judicibus ſuadet, lunulas ſ. μηνίσκυς ſibi fabricari tanquam ſtatuis: nam iis deſtitutos ab avibus percacatum iri.

m) Plutarch. Quæſt. Rom. Op. T. II. p. m. 267. A. Filiabus non idem licuit, quas parentes lugere ut mortuos nudis capitibus decuit. Credebant veteres, luctui congruere, quidquid conſuetudini oppoſitum eſſet, pro ſexus diſcrimine. Velut extra luctum tegi feminarum capita, ita in eo nudari æquum videbatur, cum viri in luctu non extra eum tegerentur, & hic turba pileatorum feretrum comitaretur. Apud Græcos, ſi calamitas incidebat, tondebantur mulieres, viri comam alebant: cum alioquin hi tonderi, illæ comam alere ſolerent. ib.

n) Exceptis paucis delicatulis & mollioribus, inter quos Seneca in Ep. ad Lucil. 114. Mæcenatem refert, qui in tribunali, in roſtris, in omni publico cœtu caput pallio velatum habuit, excluſis tantum auribus. Ipſi Auguſto opprobrium mollitiei fuit, quod domi ſub dio petaſatus ſpatiaretur. v. Sueton. in vita Aug. C. 82. Neronis vero non tam mollities quam petulantia fuit, circa crepuſculum arrepto pileo popinas ingredi. Suet. in vita Ner. C. 26.

o) Honoris etiam cauſſa ad morem noſtri ævi factum eſſe, negari nequit. Sylla ſoli Pompejo de ſella adſurrexit, vel equo deſcendit & caput aperuit. v. Plutarch. in vita Pompeji Op. T. I. p. m. 622. C. D. Et Seneca Ep. 64. quid ſit more ſolito facturus, ſi conſulem viderit vel prætorem, exponens, equo inquit, deſiliam, caput adaperiam, ſemita cedam. Verum ne utrumque exemplum conſuetudini nudi capitis repugnare videatur, Plutarchus docet, Romanos obviis honorem habuiſſe, ut caput, ſi forte tectum eſſet veſte, retegerent. Tectum igitur aliquando fuiſſe, cum Andr. Alciato & aliis ad æſtum, ventum, pluviam ſimiliaque reſtrin-

capita poſtulabat, cultum hominum diſcernerent, adeoque invidiam demerent obviis, quaſi Deorum more coli vellent *p*). Maxime hujus loci eſt, quod ex Varrone Plinius refert, nempe capita aperire adſpectu magiſtratuum non tam majores juſſiſſe venerationis cauſſa quam valetudinis, ut firmiora capita per crebram illam nudandi conſuetudinem fierent *q*). Quam firmitatem dudum Herodotus exemplo Aegyptiorum illuſtravit, quorum & Perſarum ſtrata cruento prælio cadavera ipſis craniis diſcernere licuit, fragilibus nempe & invalidis Perſarum, quippe tiaras ſemper geſtantium, duriſſimis vero & compactiſſimis Aegyptiorum, quippe Soli capita raſa & nuda objicientium *r*). Aliquid ſenſim debilibus, ægris, ſenibus indultum eſt. Primum forte tegmen capiti infantis ex ſacro lavacro ſuſcepti impoſitum & per octiduum geſtatum eſſe, ex Auguſtino colligimus *ſ*). Senibus aulicis teſte Nicephoro Gregora *t*) pileis turbinatis & ſerico textis uti ſenſim licuit, cum juniores nudis adhuc capitibus eſſent, donec Andronicus Palæologus omnibus, qui vellent, uſum pilei concederet, creſcente jam ævi morumque mollitie.

Eſt ſine dubio aliquid ad propoſitam quæſtionem momenti in illo veterum per tot ſecula conſenſu, pileos, mitras & alia capitis externa integumenta, quibus plerique hodie ad arcendum frigus, quaſi capiti inimicum, utuntur, tanquam ſuperflua imo noxia rejiciente. Noxium enim profecto eſt, ad gravedinum & catarrhorum, quorum fere nomen priſca ætas neſcivit, contubernium, emollitis intempeſtivo fotu externis capitis partibus, damnari. Neque deſunt hodie, qui cum Jo. Lockio ſuadent, pueris

ſtringimus, ad quæ equitantes vel peregrinantes maxime tegi, non indecens etiam antiquis viſum eſt.

p) Plutarch. Quæſt. Rom. Op. T. II. p. 266. C. D.

q) Hiſtor. Nat. L. XVIII. C. 6. Edit. Harduin. T. II. p. 454. l. 25.

r) Hiſt. L. III. C. 12. Edit. Grenov. p. 163. 12. Perſarum capita diffringere licuit ψήφῳ μούνῃ, Aegyptiorum vix λίθῳ παίσας διαῤῥήξεις.

ſ) Serm. de temp. C. 2.

t) Hiſt. Byzant. L. XI. in fine. Omnibus in palatio & agro permiſit pileis uti, iisque multiformibus & peregrinis, quales cuique probarentur, Triballicis, Syris aliisve.

pueris poſt unum alterumque annum jam capillitio ſatis tectis permittere, ut toto die ſine mitris obambulent, & noctu ſine iisdem cubent *u*). Verum in hoc non adquieſcunt attentiores ad valetudinis negotium, ſed frigus longe quam externi aëris luculentius admittunt. Frigida lavare non faciem ſolum, quod nemo Borealium vel ipſa hieme metuit, ſed & totum caput, multi hodie, inprimis Angli commendant. G. Cheynæus maximum ad aures oculos totumque caput commodum, quod experti ſoli penitius cognoſcant, ex frequenti capillorum tonſura & capitis in frigidam immerſione promittit *x*). Singulis vel alternis diebus fieri hoc vult, ſaltem quoties fieri commode poſſit, ut barba & capillis reſectis caput frigida proluatur: id enim fonticuli inſtar & perpetui veſicatorii eſſe, nec oſcula ſolum cutis a furfure obſtruente liberari, ſed &, ne copioſus nimis perſpirabilium egreſſus ſit, laxiores meatus ſtringi & roborari. Ita & frigidaria commendat pro totius corporis ingreſſu, in omnium, ſi fieri poſſit, ædibus inſtruenda, & biduo quolibet vel quatriduo adeunda, hieme & æſtate; ſic tamen, ut ante ingreſſum caput aqua perfundatur, vel humente ſpongia lavetur *y*). Neque hic deſunt præeuntis doctrinæ veteris exempla. Celſus caput, quod infirmum eſt, veſte velare vetat, at fricare leviter, quotidie capillos pectere, ambulare ſub tecto, non in Sole, & in balneo frigida aqua diutius caput quam ceteras partes perfundere ſuadet. Nil æque, paulo poſt inquit, capiti prodeſt quam aqua frigida: itaque is, cui hoc infirmum, id per æſtatem bene largo canali quotidie debet aliquamdiu ſubjicere *z*). Rationem commentator Celſi

u) De educat. pueror. Hinc illud olim ſenum robur. Maſſiniſſa nonaginta annos natus nullo frigore, nullo imbre, adduci potuit, ut capite operto eſſet Cic. de ſenect. C. 10. Sic Hannibalem Silius Italicus Punicor. L. I. v. 250-251. ſcribit — — vertice nudo excipere inſanos imbres cœlique ruinam.

x) De infirmor. ſanit. tuend. C. VII. §. 9. p. 218 & 220.

y) l. c. C. IV. §. 8. p. 30. 31. Cui illa opportunitas non eſt, opportunum ſaltem erit ejus conſilio ſe cuivis vivæ aquæ immergere.

z) De medic. L. I. C. 4. p. m. 40. Quod conſilium ſecutus videtur Franciſcus ant. Mercurius ab Helmont, qui non ſolum caput, pilis parce muni-

Celſi H. Thriver. Brachelius non ineptam ſubjicit *a*), ut nihil nimirum vitii inferne redundantis caput admittat, ſe ipſum vero contra externas injurias denſata cute defendat. Alio loco Celſus non his ſolis, quos capitis imbecillitas torquet, uſum aquæ frigidæ prodeſſe ſcribit, ſed & iis, quos adſiduæ lippitudines, gravedines, deſtillationes tonſillæque male habent *b*). Atque his caput totum quotidie perfundendum eſſe, os quoque multa frigida fovendum, præcipue ubi gravius cœlum Auſtri reddiderint, ibidem monet. Maxime vero in doloribus capitis ab æſtu expedire ait aqua frigida multa perfundere caput, & ſpongiam concavam imponere, ſubinde in aqua frigida expreſſam, ubi & alia externa refrigerantia ſubjungit *c*). In lethargo validiſſime excitare aquam frigidam cenſet, totis amphoris tribus aut quatuor adfuſam: in phrenitide caput ad cutem tonderi, dein aqua foveri jubet *d*). Quæ ſententia non multum ab illa Aretæi abeſt, qui phreniticorum caput vigente morbo, dum maxime inſaniunt ægri, rigare humore frigido præcipit, & frigidiori quidem per æſtatem, poſca etiam, quæ ſpongiam implet, faciem fove-

munitum, pileo nunquam texit, niſi publici decori ratio aliquando exigeret, ſed & adhuc ſenex lecto levatus ſubjecit caput aquæ ex fonte profluenti, idque ipſa hieme, ignarus coryzæ, gravedinis, tuſſis, quibus ſub tempeſtatis ſubita mutatione plerique laborant.

a) ib. in Not. p. 42. ubi ſimul Hippocratem excuſat, qui ob præcocem calvitiem præ aliis philoſophis caput texit. Sed de Hippocrate paulo ante vidimus, cujus pileus peregrinationis ſymbolum fuit. Juſtius ex Ariſtotele Brachelius notat, caput ſemper molle & effeminatum eos circumferre, qui in denſa cæſarie etiam duplici aliquando tegmine caput onerant. Miror, inquit, cur non ipſam faciem involuant:

b) ib. L. I. C. 5. p. m. 43. Adde C. 9. p. 49. ubi magis ad juvenes & plenos frigoris ſalubritatem reſtringit. Aqua, ibidem inquit, frigida infuſa, præterquam capiti, etiam ſtomacho prodeſt.

c) ibid. L. IV. C. 2. p. m. 372. Exponit, quæ communia ſunt in omni inveterato capitis dolore, quo levato jubet in balneo multa aqua, primum calida, deinde frigida, caput perfundi.

d) Alterum occurrit ib. L. III. C. 20. p. m. 337. quod & Soranus ſuadet, alterum L. III. C. 18. p. m. 324.

fovere *e*). Apud Ambroſ. Pareum phreniticus ex alto in amnem præceps convaluit, adeo interdum inexſpectatus caſus hæſitantis medici judicium confirmat. Alterius etiam generis frigida recentiores hic paſſim commendant *f*). Et Celſus quidem, cujus maxime auctoritatem frigidis patrocinari vidimus, non modo Aſclepiadem, qui frigida multum extulit, ſive aquam ſive balnea *g*), & Antonium Muſam, ejusdem Aſclepiadis cum Themiſone auditorem, ſi recte Plinium interpretatur Harduinus *h*), habuit præeuntes, alterius quoque mirificos in Auguſto per frigida ſanato ſucceſſus, recenti memoria, quippe non multum ab illo ævo remotus, tenuit; ſed & faventem ſibi Hippocratis experientiam reperit, qui mulieri, cujus inter tormina ventris vomitusque cruentos ſiſti ſpiritus adeo cœperunt, ut vita deceſſiſſe videretur, ſolas profuiſſe ſcribit triginta circiter amphoras corpori ſuperfuſas *i*). Multiplicem igitur frigidorum in ſanis ægrisque uſum circa caput, modo extra ſtatum vulneris ſit *k*), facile agnoſco, dum ſyſtalticum vaſorum robur, quod huc redundantium humorum colluviem reprimit, non inficianda virtute ſuſtentat. At de frigidis totius corporis balneis ambigo juſtius, certe plus cautionis exigo, cum neceſſe ſit, ab illo externo ambientium aqua-

rum

e) De curat. morb. acut. L. I. C. 1. Edit. Bœrh. p. 74. E. Et paullo ante, irrigandum eſt, inquit, caput refrigerandi cauſſa. Pariter de cauſſ. ac ſign. morb. acut. L. II. C. 3. Op. p. 16. A capillorum ait detonſione & cutis irrigatione phreniticos relevari.

f) J. G. Walther in ſylv. med. p. 1251. citat verba Fabr. Bartoletti: Obſervo in fervidiſſima phrenitide licere uti cucurbitarum carne contuſa & nive refrigerata raſoque capiti adpoſita, qua præter ſpem phreniticus evaſit. meth. in dyſpn. L. V. C. 2. P. Borellus in Obſ. Cent. IV. 94. ruſtici meminit, qui frigidas capiti cucurbitarum taleolas imponens & ſæpe renovans phrenitides ſanavit.

g) v. Dan. Clerici Hiſt. de la medicine P. II. L. III. C. 7. p. m. 402.

h) id colligit ex verbis nonnihil ambiguis Plinii in Hiſt. Nat. L. XXIX. C. 1. Edit. Harduin. T. II. p. 494. 9.

i) Epidem. V. 18. Edit. Linden. T. I. p. 782. 4. ſq. Quatuor mavult legere Ant. Cocchi.

k) Nam omnium judicio vulneribus. inprimis capitis, frigus inimicum eſt, & tamen & ea aqua frigida fota facillime curantur.

rum onere ſurſum urgeri humores, præſertim in plenioribus, & caput obrui. Si Lacedæmones veteresque Germani & Celtæ puerorum corpora, ut durabilia a primo ortu redderent, in frigidam ſtatim immerſerunt: ſi Charmis etiam per hiemem lavari frigida, ægrosque in lacus demergi voluit; id certe cum Ant. Valliſnierio notamus, calidiorum regionum aquas cum noſtris multum gelidioribus, & plus, ſi totum corpus ſpectes, providentiæ medicæ requirentibus eodem ſalubritatis gradu metiendas non eſſe. Sit ita, quod Cheynæus cenſet, ſobrios frigus non lædere, niſi ſummum vel diutiſſime protractum *l*). Certe frigus in copia aquæ omnem calentis corporis ſuperficiem mergentis, idque non ſine luculenta mora, nequit niſi in ſumme adſuetis ſine periculo admitti. Maxime in partibus a prima motus & caloris origine remotis, ut pedibus, jam languens ſua natura humorum circuitus opprimi frigidorum attactu & mora non debet. Negat enim ipſe Cheynæus, manifeſtius integræ ſanitatis documentum eſſe, quam blandum in pedibus calorem, liberamque in iis perſpirationem. Subjicit, infirmi hominis crura & pedes perpetuo frigere, & in iis primum locis gelidi aëris noxam comparere, hinc crebro & ſingulis minimum hebdomadibus imbecilliorum pedes aqua tepida fovendos, plantas ſimul pedum fricandas & ungues reſcindendos eſſe. Verum in hunc campum *m*) paullatim adhuc excurrere animus eſt.

Magni

l) De infirm. ſanit. tuend. C. VII. p. 8. p. 218. Neque enim injurias frigoris, quæ iſto gradu excedunt, vel ipſum caput, niſi a pueris adſuetum, tuto ſuſtinet. Gottl. Schoberus opificis meminit, qui ſub dio, cum gelu omnia rigerent, capite ob honeſtiorum præſentiam diutiſſime nudato in cephalalgiam incidit, quam ſenſim amauroſis, epilepſia & ipſa tandem apoplexia ſecuta eſt. Eph. N. C. D. III. A. IX. & X. O. 253. p. 436. Joſeph. Lanzonus ib. D. III. A. VII. & VIII. O 69. p. 117. ſurditatem puellæ, cujus caput mater aqua frigida lavit, recenſet, quod tamen vitium poſt tumorem in brachio ſponte natum ceſſavit. Fortuita eſt hæc frigoris noxa, dum natam ſeri ſtaſin ſubito repellit.

m) l. c. C. VII §. 9. p. 220. Neque hinc vel ipſi Platoni adſentimur, qui pro valetudine ſuaſit, pedes & caput non aliter tegere, quam Natura texit. Juſtius de capite quam pedibus monuit.

Magni momenti pedum functio eſt, totam quippe corporis molem ſuſtinens, & in loca tam varia, quo humana indigentia vocat, cum ſummo laborum & vitæ levamine transferens. In his itaque vegetiorem vitalium humorum circuitum, a quo calor pendet, requiro, ut nempe partim arterioſus ſanguis, licet in loca a corde maxime diſtantia, pleno tamen & æquabili rivo influat, partim venoſus obvias in adſcenſu difficultates haud languidiori, quam par eſt, molimine ſuperet. Id vero in iis, quibus robuſtum corpus & vita exercitata non eſt, ea lege, qua ſanitas nititur, raro diu & cum conſtantia quadam procedit. Cordis enim humores per vaſa propellentis actio inter tot creſcentes in progreſſu reſiſtentias ſemper aliquid ſui motus perdit, ut hinc debilior & ſine attritu illo, cujus comes calor eſt, ad extremos pedum terminos pertingat. Etiam citius impreſſus a corde motus elangueſceret, niſi illum proniores in deſcenſu arteriarum viæ levarent. At venæ, quarum adſcendentium ſanguinem nihil magis quam pedum muſculi in crebra actione poſiti ad cor reducunt, quoties his per quietiorem vitam præſidiis deſtituuntur, tument facile & diſtenduntur, ut hinc in lentiori per illas motu nihil fere ſit, quod calorem ſuſtentet. Mirum igitur non eſt, inter diminutas interni attritus cauſſas plerorumque pedes præ reliquis partibus frigere, adeoque etiam, cum a vigore attritus illius perſpirantium pedum ſalubritas plurimum pendeat, hanc non exiguo valetudinis incommodo ſufflaminari, & quod excluſum redundat, hærere & accumulari. His ſi præterea externum frigus acceſſerit, cujus paullo majoris triplex injuria eſt, arctare vaſa, ſpiſſare fluida, imminuere motum, patet, calorem his locis tam neceſſarium opprimi nimis, & ſanguinem, qui huc juſta vi & copia deferri motumque & calorem impertiri debebat, nunc minus admiſſum obruere alias partes, ſuo ingreſſui ob laxitatem patentiores, præſertim abdominis, in quo primæ & proxime a pedibus redundantium humorum latebræ ſunt, deinde thoracis, & in majori injuriæ gradu ipſius capitis. Videas, qui ſurgunt de nocte & frigidum nudis pedibus pavimentum ſub aliqua mora calcant, in tormina mox ventris & alvinas dejectiones

nes incidere *n*), paucis forte exceptis, quibus durabilius & frigoris injuriis adſuetum corpus contigit *o*). Lympha vero inferius non diſtributa & per moram ac corruptelam acrior quo ruat facilius? Spaſmos colicos in iis, qui tenerioris texturæ ſunt, hujus maxime originis eſſe, medicus ſub cauſſarum ſolerti examine facile cognoſcit. Ideo in omni fere morbo abdominali nulla aliunde major noxa oritur quam a refrigeratis pedibus. Quod dum feminis accidit, conſuetus uteri fluxus nunc intenditur magis, nunc etiam ſupprimitur. Illud fit in copioſo ac fluxili ſanguine, ac circa tempus, quo jam extendere vaſa uterina incipit, novumque ab iſto ſtimulo virium niſum adquirit. Hic vero frigus altius diffuſum ipſas ſolitæ excretionis vias occludit, ſpiſſiori inprimis, nec ſimili vi urgenti ſanguini. Quapropter omnes feminæ in menſtruo, ac viri in hæmorrhoidali fluxu, circa tempus, quo illæ inſtat, cavere ſedulo debent, ne frigus pedes corripiat. Nulli vero magis quam hypochondriaci laborant, quibus, quousque pedibus calent, mitior valetudo eſt, protinus, ubi frigent, turbata. Non hic omitto, quæ de conſenſu inter pedes & genitalia plerique auctores præeunte Ariſtotele *p*) tradunt, nempe ſub frigore pedum virtutem, qua viri ſumus, obtundi. Diſerte Avicenna inceſſum nudis pedibus Veneris ſedare incendia & coitus opprimere deſiderium ſcribit *q*), nec potentius alii in priapismo remedium, cujus uſu moleſtus virgæ rigor ſolvitur,

n) Ut de fratre ſuo P. Foreſtus refert L. X. Obſ. X. Fortuita aliquando in alvo diu conſtipata inde ſalubritas fuit in medical. Eſſays T. V. p. II. p. 893.

o) Quo maxime refero, qui nudis a puero pedibus, etiam ſub frigidiori cœlo ambulare ſoliti calloſam reddidere cutem, ut in eam ſenſu vacuam & laxari vel conſtringi impotem nihil ſenſim vis frigoris valeat.

p) Cur obſit *ἀνυποδησία πρὸς ἀφροδισιασμὺς*, inquirit in S. IV. probl. V. Op. Edit. Duval. T. IV. p. 70. C. *μὴ θερμῶν ὄντων*, inquit, *εἴτε ἀδύνατον εἴτε χαλεπὸν ἀφροδισιάσαι*. De paralyſi penis ex frigore v. C. F. Garmann in Eph. N. C. D. I. A. III. Op. 41. p. 68. ineptus thalami torique rebus.

q) Op. L. III. fen. 20. Tr. I. C. 28. ad finem. Edit. Valgriſ. T. I. p. 897.

tur, quam inceſſum nudis pedibus agnoſcunt *r*). Huc ſpectans S. Franciſcus pro ſervando caſtitatis voto calceamentorum uſum ſuis interdixit *s*). E contrario virilis illa vis, quæ in legitimi conjugii officiis male languet, calido maxime pedum frictu reſtituta eſt. Verum ob impar abdominalium viſcerum robur ille humorum decubitus, quem intercepta nimis cum pedibus commercia pariunt, loca non ſemper eadem, ſed ob labefactatum tonum injuriis magis opportuna inundat. Culpam ſubinde hepar luit, cujus tantum cum pedibus conſenſum Georgius Baglivius vindicat, ut ulcera hepatis ex ſurarum pedumque dolore ſe tuto cognoſcere pronuntiet *t*). Ad pectus noxa frigidorum, præſertim in plethoricis, crebro exundat *u*), quibus quamdiu alvus patet ſine teneſmo, & pedes calent, nihil imminet ſiniſtri, confeſtim autem a pedum frigore anguſtiæ pulmonum, palpitationes cordis & ipſa hæmoptoe oboriuntur. Quæ mala ſi aliquando remittunt, fidem pacis ſub nullo majori quam pedum rurſus calentium indicio ſtabiliunt. Quemadmodum inter hæc, quo tenerior pulmonum fabrica eſt, eo funeſtior hæmoptoe in certam phthiſin

r) J. B. Sinibald. geneanthrop. L. III. n. 3. p. m. 339. Gaſp. a Reies Elyſ. camp. jucund. Qu. 44. p. m. 531.

s) Savanarol. Tr. VI. C. 20. p. 250. Nec multis gentibus templa adire licuit calceatis, nec Pythagoras Diis niſi nudis pedibus ſacrificari fas duxit. Sacra apud Lacedæmones nudipedalia, & crebra hodie ad ædem Lauretanam vel Compoſtellanam vel ſepulchrum Chriſti itinera nudis pedibus inſtituta habent inter offucias pietatis, quæ ſæpe multum in valetudinis leges impingunt. Laudat Campanus Aeneam Sylvium, quod delubrum Deipare Virginis in Scotia adierit, glacie per decem millia paſſuum calcata. Veteres duriori vitæ adſueti, ut Phocion, Cato, Socrates nudis quidem ſæpe inceſſerunt pedibus, at certe bruma calceati. Potior Naturæ vox eſt quam imaginaria cultus divini ratio.

t) Op. L. II. C. 9. §. 111. n. 12. p. m. 217. Provocat ad Jacotium, Bauhinum & inprimis Hollerium, qui Comment. II. ad L. II. Coac. Hipp. p. 348. bis vel ter vidit de ſurarum dolore conqueſtos poſt mortem ulcerata loca & hepar vomicoſum ac putre habuiſſe. Conf. Breſl. Samml. P. XXX. p. 431.

u) Miro, inquit Balth. Bonifacius, conſenſu, dum pedes algent, rigor in ſumma præcordia transmittitur. Hiſt. ludicr. L. II. C. 24. p. m. 49.

ſin tranſitura inſtare creditur; ita tamen nec illa integro adhuc pedum calore accidit, & hoc diu perſiſtente non raro debilis pulmonis, jam minus ac ante obruti, vaſa inexſpectatum contractilium fibrarum robur recuperant, ac triſte medentum præſagium lætiori exitu eludunt. Denique qui vertigines doloresque capitis crebro queruntur, dum durat ille ſenſus, glaciem ſimul circa pedes hærere nuntiant, nec calidis admotis, quibus non aliter quam omni auxilio, quod cunctanter levat, diffidunt, niſi conſtantiſſimo uſu ſublevantur. Nihil verum levamen adfert, quidquid circa ipſum caput tentetur, dum pedes frigidi manent, & preſſus ad cerebrum ſanguis tenera vaſa gravat, medullamque cerebri & ſecernendorum ſpirituum oſtiola comprimit, unde graviſſima mala, paralyſes, ſopores ipſæque apoplexiæ impendent. Qualia non raro inter ſpaſmos abdominales oriuntur, qui ex læſa humorum ad pedes derivatione nati ad ſuperiora determinant, nec niſi circuitus per inferiora liberetur, pacem cerebro & ſerenitatem menti reſtituunt. Ne dicam de febribus, quarum impetum laxata pedum vaſa & æſtuantibus ſub interno attritu humoribus plus ſpatii præbentia egregie moderantur *x*). Neque vero e longinquo tantum, quid pedum refrigeratio noceat, ſed & in propriis ſedibus, commemorandum erat. Ultro patet, vitalem hic motum & animalem ſenſum eo celerius exſtingui, quo proprior cauſſa eſt, quæ lædit, & quo remotior virtus cordis & cerebri, quæ per vaſa & nervos ſuppetias in tutelam mittit. Paralyſin pedum ex mora in loco frigido A. H. Cummius teſtatur *y*), ſenſum abolitum & proximis diebus emortuos pedes ac putreſcentes Galenus *z*). Verum hæc ſpeciatim proſequi animus non eſt.

Facile

x) Satius eſt, ante ingreſſum febris vel ſub ipſo frigore laxare pedum vaſa. Simon Schultzius mulierem primis menſibus gravidam, inſolitoque rigore & totius corporis frigore aliquoties correptam aqua calida plantis pedum ſubjecta ſanavit in Eph. N. C. D. I. A. VI. & VII. O. 140. p. 203.

y) Eph. N. C. D. I. A. I. O. 84. p. 202.

z) De loc. adfect. L. II. C. 2. Op. Cl. IV. p. 8. E.

Facile patet, quid ſuadere in illa morborum, quorum una radix eſt, varietate conveniat, vel potius, antequam invaleſcit, quibus occurrendum ſit? Omnibus ſanis & inter hos maxime imbecillioribus, id agendum eſt, ut frigus circa extrema fugiant, nunquam pedibus leviter tectis in frigido, vel quod pejus eſt, ſimul humido pavimento diu obambulent, nec, ubi externum frigus creſcit, nova præſidia negligant, inprimis ſi ſub frigida tempeſtate excurrere longius tenentur. Multis etiam ſaniſſimis non prius in lecto obrepit ſomnus, quam pedes caleſcunt, quos ideo ſub ingreſſu in lectum fricare *a*) & pediluvio fovere, deinde altiori paullulum loco, qui motum ſanguinis inferne magis expediat, reponere oportet *b*). Iis vero, quorum magis valetudo titubat, & frequens de frigidis pedibus querela eſt, non celerem nimis opem promittimus, neque vero aliam certiorem, quam per frictum linteis calidis, tepida pediluvia & præ ceteris adſiduam ambulationem, quæ motum per extrema vaſa languentem ſalubriter & ex inſtituto Naturæ magis familiari intendit *c*). Arthriticis, quos nihil magis quam frigus extremorum in morbum præcipitat *d*), ſigillatim ſub intervallis morbi, ne recrudeſcat,

a) P. Rommelius Comitem non vel ægre obdormiviſſe ſcribit, niſi mulier ad id conducta per horæ quadrantem vel ulterius leviter fricaret plantam pedis. v. Eph. N. C. D. III. A. VII. & VIII. O. 43. p. 68.

b) R. Lower. de corde C. II. p. 150. ſq. Maxime hypochondriacos pervigiliis obnoxios H. Bœrhaave Inſtit. med. §. 856. n. 2. vocat, & in notis Edit. Haller T. VI. p. 245. hæc verba ſubjicit: ſi obtinueris in hypochondriacis, ne pedes frigeant, neve caput caleat, ſanaſti moleſtas ipſorum vigilias.

c) Ambulatio maxime conſulit tumentibus a vita ſedentaria pedibus. Olim a medicis teſte Plutarcho nihil magis quam continua ambulatio hypochondriacis commendata eſt. Feminis Mercurialis a frequenti ambulatione, etiam per aſpera, regularem promittit menſium fluxum.

d) Car. Raygerus opificis meminit, qui ligna ad opus ſuum neceſſaria ex aquis per bihorium ſæva hieme extrahens viſum amiſit, & horrendis poſtea articulorum doloribus, qui in perpetuos tremores tranſierunt, laboravit. Eph. N. C. D. I. A. VI. & VII. O. 211. p. 310. In ipſis jam arthriticis & podagricis frigus pedum varia interne & ſæviſſima mala peperit, ut ſingultum teſte H. Welſchio Curat. II. Op. 4. cardialgiam & flatus referente F. Hoſmanno in Med. ſyſt. T. IV. P. II. S. II. C. 2. p. 229.

cat, continuo & æquabili opus eſt pedum tepore, ut bene perſpirent. Probe eos tegant, inprimis noctu, genua etiam in majori calore conſervent e). Id quamdiu in podagricis obtinetur, norunt omnes, novam morbi vim in propinquo haud eſſe f). Qui acutis decumbunt morbis, ſub quibus ſæpe ſiniſtri ominis exanthemata erumpunt, nulla facile re plus ſibi nocent quam porrectis incaute pro aura frigidiuſcula captanda extra lectum pedibus, cum tantum damni vix attuliſſet, ſupernas partes ſuo fotu deſtituiſſe. Anguſtiæ enim pectoris, deliria aliaque funeſta mala denſo plerumque agmine & confeſtim ſubſequuntur g).

Non illud prorſus diſcrimen prætereo inter ſanos ægrosque, quos frigus pedum utrinque infeſtat. Illos plerumque totius corporis refrigeratio, major certe quam ante comitatur. His circa loca, quo ruit ſanguis & congeritur, ut caput, querela non

p. 229. colicam ib. C. V. p. 323. dyſuriam & ſpaſmum in collo veſicæ ib. P. III. C. I. p. 287. Muſgravius de arthrit. p. 334. podagrici meminit, qui hieme pedes aquæ frigidæ immerſit. Evanuit podagra, periit tuſſiens oppreſſo pectore.

e) Docet Sanctorius de medic. ſtatic. S. IV. §. 12. libram perſpirabilium una nocte ſupprimi, ſi quis pedibus coxisque detectis dormit. Nempe pedes & coxas quintum circiter perſpirantis cutis partem conficere, Liſterus computat. Nudati vigilantes non idem patiuntur, quia vigiliarum motus plus frigori reſiſtit. Hinc in India orientali nudos ſub diu dormientes fieri arthriticos, paralyticos, hydropicos legimus, non ſi vigilantes in ſimili aëre æque nudi verſentur. De conſervando calore genuum pedibus proſpiciente bene ſcribit idem Sanctorius l. c. §. 91. dum genua actu calida conſervantur, non algent pedes, bene tunc homines dormiunt, magis perſpirant, minus mejunt. Prodeſt omnino valetudinariis ob diſtantiam illam cordis a pedibus, uti Liſterus eundem locum illuſtrat, incaleſcere ſanguinem ad genua tanquam viam mediam.

f) Hinc H. Bœrhaave aph. 1282. machinam ſtaticam Sanctorii ſummam directricem & indicem futurorum & faciendorum vocat. Id vult ad primum ſignum ſuppreſſæ in pedibus perſpirationis, quæ vim podagræ inſtaurat, ſtatim omni opera connitendum eſſe, ut ad uſum meabilium liquidorum frictumque & calorem pedum perſpiratio horum redeat.

g) Refert Galenus ex Hippocrate de vict. rat. in acut. Comm. IV. Op. Cl. VII. p. 139. F. quid tunc in ſtatu frigidorum pedum metuendum faciendumque? Op. Cl. III. p. 137. F. lethale ſignum in acutis vocat frigida ac livida extrema.

non minor eſſe ſolet de ſenſu ardoris ad caput, quam frigoris ad pedes. Id certe juſta artis obſervata confirmant, totum corpus in moderato calore perſiſtere, ſi pedes calent, cum vis cordis, quæ cauſſam motus & caloris ad loca tam remota diffundit, propriora his ſuis præſidiis, modo alia non obſiſtant, deſtituat minus. Circa œdemata pedum illud ſingulare videri poteſt, quod alia in frigore evaneſcant, redeant in calore: alia diſſipentur calore, regenerentur ſub novo frigore. Prius atoniam prodit ab externis cauſſis inductam, ubi calor plus laxat & allicit humores, frigus ſtringit & reprimit tumores. Poſterius læſæ perſpirationi debetur, quam liberat calor, frigus plus cohibet. Unde vulgaris medentum regula nata eſt, quæ alterum oedema ſpirituoſis, alterum ſiccis calidisque herbarum fomentis oppugnat. At cujuscunque originis ſit, in eo ſemper frigidos pedes mali ominis eſſe cenſemus. Nam in illo etiam, cui frigus mederi ob laxitatem ſolidorum videtur, ambiguæ fidei iſtud auxilium eſt. Educi enim non repelli congeſta & ſtagnantia debebant, & robur tenſis ſolitis, ne novæ colluviei ſinum pandant, reſtitui. Repellendo detumeſcunt quidem pedes, verum ſive in abdomen, ſive pectus, ſive caput, ſive etiam artus redundare nihil poteſt ſine majori injuria & nobiliorum functionum læſione.

PRO-

PROLUSIO DE INSALUBRI LACTIS ET VINI MISCELA

PANEGYRI

BALTH. LAUR. ZEIS

d. 23. MENS. NOV. 1756.

PRAEMISSA.

Congruentiſſimum cujusvis ætatis & ſortis hominibus alimentum lac præbet, & omnium corporis humani partium materiam in ſe non ſolum comprehendit, ſed & ſub parvo coctionis molimine evolutam, ut cito reficiat, etiam debiliſſimis impertit. Tenellos enim, quibus tam puſilla in coctionem vis eſt, a ſanæ matris ubere pendentes commode valere, celerique & læto incremento potiri, ac quidquid alieni cibi offertur, diu faſtidire cernimus. Et ne cibum unice infantilem putes, totas etiam gentes, robore corporum & proceritate inſignes, ut Aethiopum, Scytharum, Germanorum, ſub ſolo fere lactis victu reperiſſe, quod ad virium illarum tutelam ſufficeret, fide dignis ſcriptorum teſtimoniis edocemur. *a*) Philinum

a) Barbaræ gentes lacte vivunt, inquit Plinius Hiſt. Natur. L. XI. c. 41. Idem de multis gentibus ſcribit Athenæus πολλὰ δὲ ἔθνη γαλακτοπῶιτα ζῇ, deipnoſ. L. II. C. 6. p. m. 46. E. Ita moris erat: Scythas, Gethas, Nomades γαλακτοφάγους καὶ γαλακτοπότας adpellare,

linum certe per omnem ætatis decurſum non alio cibo potuve quam lacte uſum eſſe, Athenæus, *b*) & idem totidem fere verbis de Soſtrato Plutarchus teſtantur. *c*) Nec ratio ad ortum lactis attenta obſcure perſpicit, quanta hic intercedat inter id, quod alit & alitur, cognatio. Non enim novus in corpore animali hoſpes eſt lac, *d*) ſed ſub communi vaſorum actione & excoctiſſimorum humorum, quos vitales corporis fontes ſuggerunt, miſcela domeſticis jam juribus initiatum non niſi exiguo gradu ab ultima probe alentis & perdita reparantis liquoris perfectione abeſt, cumque naturæ utriusque, tum vegetabilis tum animalis, particeps ſit, propter hanc ultimis internarum coctionum præſidiis propior, propter illam ab alcalina corruptione remotior eſt, in quam ultro corpora noſtra ſub continuo attritu tendunt. Inprimis vero blandam & demulcentem virtutem, qua omnia inquilina corporis fluida, ut per vaſa in multis locis tam tenera ac mollia ſine omni læſione ruant, inſtructa eſſe oportet, lac ſibi tribuere luculento jure poteſt, & intuitu ſeri aperiens, penetrans, abſtergens, & vias excretionum, in quibus tantum pro ſanitate præſidii, reſerans, ope cremoris ſicca lubricans, aſpera leniens, acria obtundens, ratione caſei alens cum conſtantia & vires fulciens, maxime ſub amico virium illarum foedere & temperamento magnum ſanis nec inferius ægris auxilium promittit. *e*) Ipſe

lare, quod Helvetiis hodie non minori jure convenire Jo. Jac. Scheuchzerus teſtatur, ſeque quatuor filios lacte vaccino ſolo ſuſtentaſſe ſcribit in Phyſ. ſacr. ad Deuter. XXXII. 13. Tab. 358. p. 652.

b) Ex Ariſtotele vel Theophraſto tradit deipnoſ. L. II. C. VI. p. 44. C.

c) Sympoſ. L. IV. Op. T. II. p. m. 660. E.

d) Hinc fratrem ſanguinis ipſa auctoritate Hippocratis & Galeni nixus lac vocat Caſp. Hofmannus Inſtit. med. L. II. C. 29. p. m. 231. Hier. Mercurialis ſanguinem optime concoctum, de morb. puer. L. I. C. 3. p. m. 69. alii ſanguinem album nuncupant. Quin & Joſ. Lanzonus globulos lactis albos, ſanguineis ſimillimos, in ſero natantes ſub microſcopio deſcribit. Op. T. II. Obſ. 79. p. 413.

e) Lac olim ſacra anchora in morbis & Cnidiis medicis in tanto honore fuit, ut univerſam curandorum morborum doctrinam ad lactis & ſeri exhibendi rationes revocarent, quod ex Hippocrate Proſp. Martianus illuſtrat, & veterum in uſu lactis ſolertiam, recentiorum negligentiam notat

Ipſe ſapor, per cujus illecebras Natura nos in rerum alentium cognitionem ducit, grata lactis lenitate ſe omnibus, qui non acrioris victus conſuetudine fatuum adpellant, quidquid blandum eſt, facile commendat. *f*) Et hæc quidem non obſcure confirmant illud Varronis: lac omnium rerum, quas cibi cauſſa ſumimus, maxime alibile eſſe, *g*) vel illud Theophili Lobb, innocentiſſimum & ſaluberrimum alimentum eſſe, quo proſpicere nobis divina providentia voluit. *h*)

Nihilominus tantæ ſalubritatis, cui ſuffragari videor, ambiguam & fallacem, niſi ſub juſto limite, laudem eſſe cenſeo. Ut hanc ſuis innixam meritis agnoſcamus, non in candicante colore, jucundo ſapore & odore, eoque conſiſtentiæ gradu, quo ſecundum Plinium *i*) hæret in ungue, haud diffluit, adquieſcendum eſt; ſed quantum fieri ſine mollitiei opprobrio poteſt, conſtare in anteceſſum debet, ab animali ſano, juniori, moderati motus haud experte & in lautioribus paſcuis enutrito profectum, juſtisque

notat in Hipp. de morb. mulier. L. I. S. II. p. 207. Et quam amplum morborum, quibus lac medetur, catalogum contexuit Raym. Jo. Fortis? Plerique medici in arthritide, podagra, debilitate nervorum convulſionibus obnoxia, epilepſia, dyſenteria & ipſis venenis, maxime vero phthiſi & omni ſtatu emaciati corporis laudant. Ita Regem Galliæ Ludovicum XIII. phthiſicum lac aſininum diu ſuſtentavit. v. J. J. Wepferi ep. ad Eberh. Goeckelium in hujus conſil. I. p. 13. Nec qui in aliis morbis, ut in calculo Piſo, Zecchius &c. damnant lac, in juſta nimis cauſſa verſantur. Docuit Theophil. Lobb, in calida lactis digeſtione ſe iteratis experimentis calculos ſolviſſe, hinc calculoſis pro victu lac & panem cum ineffabili commodo ſuaſiſſe. v. L. de curat. calc. & podagr. per alim. Exp. 185. p. 151. Exp. 64 & 65. p. 61. it. §. 1289. ad 1301.

f) Paucorum certe idioſyncraſia repugnat. Ex hac P. Aponenſis referente Matthæo de Gradi lac ita faſtidivit, ut nec comedentes ſine nauſea viderit. v. Bened. Sylvatic. conſ. & Reſp. med. Cent. II. 65. p. m. 266. Senis etiam P. Borellus meminit, qui ab incunabulis lac deguſtare non potuit. Obſ. Cent. IV. O. 161. p. m. 320. Simile vero de carnibus Braſſavola, de piſcibus Amatus Luſitanus, de ipſo pane Jo. Bruyerinus notant.

g) De re ruſtica L. II. C. XI.

h) De curat. calc. & pod. per. alim. §. 1310. p. m. 872.

i) Hiſt. Natur. L. XXVIII. c. 9.

que a paſtu & coctione intervallis emulctum eſſe. Tot requiruntur veræ ſalubritatis conditiones, ut inter illas ex non illepida Caſp. Hofmanni *k*) ſuſpicione fortaſſis per annum ſemel probo lacte potiamur. Quæ ſi paulo aſperior conjectura videatur, certe tamen ſecurum & in ſua commoda minus vigilem animum verba Avicennæ movere debent, nihil vitioſo lacte nocentius eſſe. *l*) Cum res ſit tam tenera & in ſeceſſum partium prona, non ſine ſalis vel mellis aut ſacchari condimento, quod contra coagulum defendit, ſumere jam Galenus commonuit. *m*) Cumque dives ſpirituum ſit, quod copia nervorum ad officinam chyli & lactis concurrentium probat, cavendum eſt, ne aeri diu expoſitum vel protracta ad focum coctione perdat divitias ſuas, & iners inde evadat gluten, oneretque ventriculum. Sub omni autem ſpecierum delectu & neceſſaria in uſu cautione emergere nova damna ex vario recipientis corporis, tum ſani tum ægri, ſtatu poſſunt. Inter ſola majora exercitia, quibus alioqui commode utimur, lac ſumtum ſubito vitium contrahit, & qui in illo commoti & æſtuantis corporis, vel etiam animi, ſtatu ſitientes lac avidius hauriunt, id raro ferunt impune. Puellæ meminit Balth. Timæus, *n*) quæ inter ſaltus & choreas æſtuans potu lactis in atrociſſimos dolores ventris & præſens ſuffocationis periculum incidit, ut adſtantes ſuſpicio angeret vel aranei vel alterius veneni cum lacte hauſti. Alia mulier ira percita, dum uber filiolo præbet, hic vehementer convulſus intra unum diem obiit. *o*) Omnis immodicus calor, ſive animi motum ſive corporis comitetur, ſive a febre oriatur, lac corrumpit. Promta etiam corruptela eſt ſub incauto alieni cibi vel potus miſcela, ut ſæpe ſatius ſit ab omni lacte abſtinere, quam ea jungere, quorum nimis diſſidet Natura, maxime ſub dubia vacillantis valetudinis fide. Incidit in mentem podagricus ille in aula Caroli V, qui uſu ſolius lactis ſibi præ-

k) Inſtitut. med. L. V. C. 20. p. m. 688.
l) Op. Edit. Valgriſ. T. I. L. II. Tr. II. C. 442. p. 333. l. 38.
m) De alim. facult. L. III. C. 15. Op. Ed. Junt. Cl. II. p. 27. H.
n) Op. med. Pract. L. VII. C. 14. p. m. 283.
o) Actor. Berol. Vol. X. p. 14.

præſcripti per ſexennium a novo morbi impetu immunis, cum ſemel & quaſi ſuſpenſo pede rejectas hucusque carnium delicias tentaret, protinus ſopiti hoſtis furores ſenſit, & vehementer moroſo lactis genio ſuccenſuit, quod totum ſibi hominem poſceret, aliam juxta ſe venerem ciborum non ferret. *p*) Nempe nihil eſt vel in ipſo corpore inquinamenti, ſive bilioſi ſiue acidi ſive alterius, quod primas maxime vias occupat, vel in adſumtis, quod acria varii generis ſuffundit, quin blanda illa lactis indoles, quæ nihil in ſe videbatur noxæ continere, citius longe quam alia pleraque, quæ cauſſis corruptionum fortius reſiſtunt, degeneret. Quot non ſunt in progreſſu ætatis, in quibus prima coctionis officina raro eſt ſine aliquo contentorum vitio, raro ſine cruditatum a cibis imperfecte digeſtis onere? Hos omnes lac, quod pro munditie ſua nubere immundis nequit, jam ab horum contactu ſubverſum, plus quam reliqua, quæ in hoſtili illo fœdere coeunt, lædit. Sanxit olim Hippocrates, lac iis vitandum eſſe, quibus ardor febrilis eſt & ſitis, caput dolet, hypochondria tument, alvus ex ſtimulo bilis vel etiam ſanguis fluit. *q*) Cujus ſententiæ vix alia ratio eſt, quam quod in tali corpore lateant, quæ lac ingrediens ſuo adflatu inficiunt, & virulentos ſtimulos adſpergunt: quibus ex mutui commercii lege remotiorum etiam partium

p) Dum Hippocrates de morb. mulier. L. I. S. II. v. 337. puerperam in vomitu cruento lac aſininum dein vaccinum bibere, ac ſine cibo degere, ſique fieri poſſit, per dies quadraginta, præcipit, Proſp. Martianus addit, id Hippocrati novum non eſſe, ægros ſolo lacte nutrire. Imo, inquit, hæc vivendi ratio adeo ipſi familiaris fuit, ut adfirmari poſſit, lac potantibus brandium nunquam exhibuiſſe. Comm. in l. c. p. 205. Hinc & binos noſtri ævi errores coarguit, lac nimis parce præbere, & quando mane ſumitur, jam poſt horas quatuor aut quinque, ubi adhuc pars lactis in ventriculo hæret, ad prandium admittere. Stricta erat lactis cura, mane, in prandio & cœna, adeoque ter de die nil niſi lac ſolum cum medulla panis albi comedere, nec bibere quam aquam cum lacte.

q) Aph. S. II. 64. ubi diſſuadet lac κεφαλαλγέουσι, πυρεταίνουσι, διψώδεσι, maxime quorum ὑποχόνδρια διαβορβυρίζοντα &c. Quæ fere repetit verba Celſus, dum lac venenum vocat in doloribus capitis, febribus acutis & hinc orta ſiti, tumidis præcordiis &c. de med. L. III. C. 22. p. m. 170.

partium functiones turbantur, *r*) ut vel ſaniſſimi, a quibus ille metus interni vitii abeſt, merito commonendi ſint, quidquid aliorum ciborum lacti jungunt, ex blandiſſimis & innocentiſſimis conſtare debere, inprimis farinoſis, cum quibus tamen non agreſtes ſolum ſaturare ſed & elegantiorum menſas numeroſis jucundisque dapibus judice Columella exornare licet; *s*) at quidquid motum, calorem, acrimoniam majori gradu impertit, haud temere admittendum eſſe. Inter hæc vinum refero, cujus crebri potatores vel lacti prorſus renuntient, vel utriusque uſum notabili temporis intervallo disjungant. Scite Ariſtoteles, dum lac vocat maxime adcommodatum corporum alimentum, id ſimul ob metuendos morbos requirit, ut extra ſocietatem vini ſit. *t*)

Non detraham vino ipſas, quas tribuunt, alendi vires, lacti affines. Sit ita, ſororiam in alendo operam quadantenus obſervationem Joſ. Lanzoni illuſtrare, qui nutricem vidit, cujus unum uber lac fudit, alterum vinum, idque coloris ſaporisque non diffitendi. *u*) Certe ab Athenæo nutrientia liquida hoc ordine tanquam inſigniora enumerantur: *γάλα, πτισάνη, οἶνος*. *x*) Ubi de lacte nemo dubitat, nec de ptiſana ex blandis ſeminibus farinoſis nata, quibus primum inter res nutrientes coctu facillimas locum Georgius Cheynæus tribuit. *y*) Vino tamen alimenti

r) Unde & ſententia Galeni limitanda, qui lac omne thoracis & pulmonum partibus utile vocat, non capiti, niſi firmum ſit, nec hypochondriis, quæ facile inflantur. de alim. facult. L. III. C. 15. Op. Cl. II. p. 28. B. Neque enim caput neque hypochondria facile patiuntur, niſi a vitio lactis intra primas vias corrupti & irritantis.

s) De re ruſtic. L. VII. C. 2. Edit. Geſn. p. 606.

t) Politicor. L. VII. C. 17. laudat lac tanquam *τροφὴν μάλιστα οἰκεῖαν τοῖς σώμασιν* at *ἀοινοτέραν διὰ τά νοσήματα.*

u) Op. T. II. Obſ. 131. p. 446.

x) Deipnoſ. L. II. C. VI. p. 46. E, Alio loco vinum nigrum non dulce vocat *τροφιμώτατον*, dulce *τῶν λευκῶν καὶ κιῤῥῶν τροφιμώτατον.* ib. L. I. C. 25. p. 32. C.

y) De ſanit. tuend. C. II. §. 7. p. m. 41. illuſtrat pulticula infantum, quam nutrimentum vocat vix lacti ſecundum.

ti nomen derogat Hieron. Mercurialis, z) quod ſolidi viſcidique nihil continere videatur, nihil, quod ſolideſcere & adhærere poſſit. Adverſus eum Melch. Sebizius *a*) vim vini alentis inde deduxit, quod famem compeſcat, & ſemper voraciores ſint, qui vinum quam qui aquam bibunt. Poterat quoque, ſi qua in his Homeri auctoritas eſt, *b*) ad Neſtorem provocare, qui Machaoni ipſi vulnerato vinum præbuit, non ob ſitim ſed tanquam πολυτρόφον, & hinc ut largius biberet, raſum adjicere caſeum ſuaſit. Verum illa alendi vis lacti & vino an communis ſit? hoc loco diſquirere non vacat. Sufficit, quod alia inter ſe ratione diſſideant, & ne diſſidium illud corporis pacem turbet, ſub idem in uſu tempus conjungi haud temere debeant. Mitem lactis genium fermentata illa exaſperant, & in celeri tenuiorum partium receſſu figunt, conglomerant, & acri ſtimulo imbuunt, quod caſeoſum eſt. Caſp. a Reies *c*) medici quidem meminit, ex iis, qui numerum implent, adſpernantis vulgi opinionem de vitanda vini & lactis ſocietate, imo hanc rationi conſentaneam arbitrantis, quod fas ſit, frigidi lactis noxam calore vini temperare; at tam vanis rationis argutiis longe præſtat ſimpliciſſima vulgi experientia, quam civibus ſuis Conr. Gesnerus vindicat, *d*) abluendum lac eſſe non lyæo ſed liquidis & argenteis nymphis, ſi quis diu dextra valetudine frui velit. Neque vero hæc vaga plebis ſed poſt crebras obſervationes ſtabilita inter proceres medicorum ſententia eſt. Jo. Jac. Wepferus, dum vinum diſſuadet omnibus, qui lac biberint, haud intermittit malorum ex illo neglectu metuendorum damna enarrare, & Melitenſis equitis exemplo confirmare, qui podagricus longo lactis uſu tantum non optabili valetudini reſtitutus, cum in patriam redux amicis ad pocula invitantibus non

z) in prælect. Piſan. de aqu. & vin. L. IV. & V.

a) De aliment. facult. L. IV. p. n. 15. ſq. Etiam ex Galeno Fr. Valleriola docet vinum celeriter & univerſim alere corpus. Obſ. med. L. I. Op. I. p. 7.

b) Iliad. XI. Confer. Athenæi deipnoſ. L. I. C. 8. p. 10. B.

c) Elyſ. jucund. quæſt. camp. Q. XCIV. p. m. 703.

d) Ex Geſnero Ulyſſ. Aldrovandus transtulit in L. I. de quadrup. biſulc. Edit. Francof. p. 126. ad finem.

non ſatis reſiſteret, cito in febrem, mox funeſtum hydropem incidit. *e)* Haud dubitat Jac. Primeroſius lac hac ratione in ſtomacho concretum pro veneno habere, idque ſimul teſtari, ſe hominem vidiſſe, qui ſic cito interiit. *f)* Trajecti ad virum urbis primarium, qui ſanus cubitum iverat, noctu accitus Henricus ab Heers totum reperit frigido ſudore perfuſum & cum metu ſtrangulationis in lectulo ſe volutantem. Explorata, quæ præceſſit, cœna multum lactis crudi, lactucæ etiam & acetoſæ caſeique cum menſura vini ingeſſiſſe ægrum accepit, & ſomnum protinus cepiſſe, quem poſt tres horas illa atrociſſimorum malorum ſeries interrupit. *g)* Poteſt tale coagulum, ut illud ex taurino ſanguine damnatis olim in carcere oblatum, certe exſtinguere. *h)* Non diu eſt, inquit G. Cheynæus, ex quo virum, cetera ſanum & robuſtum poto prius liberaliter, neque tamen ad ebrietatem, vino Burgundico & Campanienſi ad pleniorem hauſtum recentis ab ubere lactis intra paucos horas periiſſe vidi. *i)* Nempe vina, & ex his maxime acerbiora, lacti coagulum inducunt tam durum & acre, ut nullo interdum nixu agi per œſophagum poſſit, certe in eo ſolvendo mitigando & ad expulſionem determinando multum medicis incumbat operis, idque interdum ſine ſucceſſu. Mulier flori lactis vinum rubrum ſuperbibens, mox ſub inani vomendi nixu ſyncoptica & adſtantium judicio jam defuncta ægerrime conſiliis Petri Foreſti eluctata eſt. *k)* Haud ſimplici-

e) De affect. Cap. O. 104. p. 462.

f) De erroribus vulgi L. III. C. 12. p. m. 219.

g) Obſ. med. XV. p. m. 147. notat ibidem p. 50. choleram ex lacte natam, ubi æger, quem mane inviſit, jam per noctem quinquagies vomuerat & quadragies quinquies alvum dejecerat.

h) Nil ſanguine celerius coit & præfocando necat. Ita periere Midas, Aeſon, Pſammenitus, Themiſtocles & alii multi.

i) De ſanit. tuend. C. II. §. 7, n. 3. p. m. 43. Cui non multum diſſimile de Anglo poſt vinum Burgundicum lac bibente, horrendaque cardialgia & totius corporis convulſionibus correpto, quem Kotzebovius iterato uſu purgantis catholici ſanavit, refert Conr. Behrens in ſelect. diætetic. S. II. C. 14. p. 191.

k) L. XVIII. Obſ. 3. In ſcholio, lac, inquit, concretum ad venena pertinet. Confer. Amat. Luſit. Cent. VI. Cur. V. & VI.

pliciter omne lactis coagulum tantæ noxæ reum declaramus, quippe a leviori cauſſa, ut quiete vel ipſo blandiori acido minus ſoli-deſcens. Ab acido autem foſſili uti ſummam duritiem inſtar pumicis & mordaciſſimam acrimoniam adquirit, quod illa apud G. Cheynæum *l*) mulier experta eſt, quæ ab hauſtu lactis guttas viginti circiter vel triginta ſpiritus nitri in calice aquæ Briſtolienſis bibere auſa præſentiſſimum ſuffocationis periculum ſubiit; ita gradu non multum inferiori damna imminent ab acido & ſpiritu per fermentationem evoluto in vinis, quo ſecedit caſeoſum & denſatur ut cornu, in cujus quoque ſimilitudinem ductile ad ignem & fœtens deſtillandoque ſalem acrem volatilem præbens reperitur. Ratione igitur non vacat, ſi B. Gordonius, H. Montuus, G. Pictorius, & quidquid auctorum in hoc argumento verſatur, id ſolertiſſime inculcant, lacti, donec deſcenderit, coctumque & intro diffuſum ſit, vinum ſuperbibendum non eſſe, nedum copioſum, valde ſpirituoſum, vel etiam acerbum. Jac. Primeroſius *m*), trium vel quatuor horarum intervallum inter uſum vini & lactis exigit, in quem calculum debilioris apud multos coctionis mora vix conſentit. Caute monet Jo. Jac. Wepferus, non lac in ventriculo ſolum ſed & ipſo viſcerum ſinu a vino corrumpi *n*). Facile penetrans vini virtus fugientis intro lactis veſtigia adſequitur, & acore ſuo ipſoque inprimis figente ſpiritu indurat & acri ſtimulo perfundit, in vaſis maxime galactophoris mammarum, ubi frequentes ſunt ex coagulo inflammationes ac ſcirrhi, & ſollicite præ reliquis nutrices a vini uſu retrahendas eſſe monent. Conſtat præterea ipſum lac diu in latice humorum vitalium fluctuare, & ſæpius cum eo ſanguinem e ſecta vena exundaſſe *o*), ut adeo vis vini inimica occurrere lacti nondum ſub-

l) De ſanit. tuend. C. II. L. 7. p. 43.
m) De errorib. vulg. L. III. C. XII. p. m. 219.
n) Obſ. de affect. capit. O. 104. p. 462.
o) Nic. Tulpius Obſ. med. L. I. C. V. p. 100. lac vidit, quo multum victitavit aeger, cum detracto ſanguine ita exiiſſe, ut a vaccino lacte nec ſapore nec odore diſcreparet. Idem teſtatur J. Rhodius Obſ. med. Cent. I. Op. 25. & ex Petro a Caſtro, Thom. Bartholino aliisque id plurimis exemplis confirmat.

ſubacto multis adhuc locis poſſit. Acta Pariſina tumorem in abdomine nobilis juvenis natum deſcribunt, qui ultra libras ſeptem materiæ albæ, partim inſtar lactis fluidi partim caſeoſi continuit *p*).

Dictis hucusque quomodo Hippocratem conciliabimus? qui bibere confracto oſſe capitis *γάλα καὶ οἶνον* jubet, *ἴσον ἴσῳ*, idque iisdem verbis in vulnere inteſtinorum ſuadet *q*). Rejicit hanc Hippocratis ſententiam tanquam ſpuriam Petrus Jacobus Steve, nec admittit Franc. Valleſius. Quid enim in vulnere illarum partium, ubi nec lac nec vinum ipſo paſſim judice Hippocrate convenit, & ubi maxime inteſtina læſa lac aceſcens grumis & flatu plus diſtendit, a tam formidoloſa, ut Guil. Inſulanus *r*) adpellat, utriusque miſcela niſi graviorem noxam exſpectes? Cælius Rhodiginus vinum lacteum pro tepido eruditioribus hic ſumi cenſet, at hunc vocis ſenſum idonea auctoritate haud fulcit *ſ*). Occurrit tamen apud Hippocratem *οἶνος γαλακτώδες t*), ubi Jan. Cornarius vinum lactei teporis & Anut. Fœſius vinum egelidum vertunt, veluti *ὕδωρ γαλακτώδες* aqua tepida vocatur, qualis nempe tepor lactis recens mulcti eſt *u*). Probabili conjectura Hieron. Mercurialis *οἶνον καὶ γάλα* dictis locis diſtincte conſiderat, & *ἴσον ἴσῳ* de utriusque miſcela cum aqua ſeorſim interpretatur,

p) Acad. des ſciences l'an. 1729. hiſt. p. 17. 18.

q) Prius in Epidemic. L. VII. S. V. Op. Edit. Lind. T. I. p. 706. 12. poſterius Epidem. L. II. S. VI. Op. T. I. p. 709. 28.

r) De rat. vict. ſalubr. C. 38.

ſ) Antiquar. lection. L. XXVIII. C. 37.

t) Vocatur *οἶνος γαλακτώδες αὐστηρὸς* in vomitum utilis. Epidem. VII. Op. T. I. p. 871. L. 7.

u) v. Jo. Gorræus in definit. med. p. m. 446. qui etiam p. 124. quoties *γαλακτώδες* ſimpliciter ſcribitur, notari tepidum ſeu egelidum monet auctoritate Galeni, Dioſcoridis, Aetii, Pauli aliorumque Græcorum ſcriptorum.

tatur, ita, ut quæ de lacte vel vino diluto in epidemicis propoſuit Hippocrates, fortaſſis maturiori judicio in aphoriſmis de ſolo vino diluto expreſſerit *x*). Lac tamen ſimiliter dilutum uſui illius ævi non minus convenit & Pythoclis meminit ipſe Hippocrates, qui lac ægris cum multa aqua permixtum præbuit *y*). Malim igitur verborum in epidemicis fidem ſibi conſtare, & ſerum ex lactis & vini connubio natum in vulnerum ulcerumque ſtatu ob detergentem virtutem ſuam ſalutare haberi, nec liquorem Conr. Gesneri, quem ex lacte & vino in balneo Mariæ extraxit pro quartanariis, temere improbari, quippe rejecta parte caſeoſa. Alio vero Epidemicorum loco, ubi verſio Cornarii pariter vinum lactei teporis ſubſtituit, vox *οἰνογάλακτος* in Hippocrate occurrit *z*), de cujus tamen non medico uſu, ut in prioribus diſſerit, ſed mala inde cholerica derivat. Verum in gravem medicorum cenſuram etiam hodie *οἰνόγαλα* vel *ὀξύγαλα* varii generis incurrit. Inter omnes noſtratum errores, inquit Gothofredus Thomaſius *a*), nullus capi-

x) id notat H. Mercurialis in prælect. Patav. ad Hipp. Aph. VII. 56. vel 57. Requiritur *οἶνος ἴσος ἴσῳ* ſc. aquæ, quæ, cum ex ævi moribus ſemper miſceretur, nominari haud debuit.

y) Epidem. V. Op. T. I. p. 785. XXIII. Plerumque lac cum aqua ad aſinini conſiſtentiam confundebant.

z) Epid. VII. Op. T. I. p. 862. XL. 17.

a) in Ephem. N. C. D. III. O. 192. p. 323. Queritur, matres fatali hoc acore impenſius delectatas ad alendos puſiones intra viſcera humorem transmittere pari acredine inquinatum, & infauſta validius infigentem tenero corpuſculo ſpicula. Nihil enim nervis robore nondum confirmatis infenſum magis eſt quam ſubtile ejusmodi & prima ſpecie blandiens acidum. Plinius H. N. L. II. C. 41. barbaras gentes conſueſſe ait lac in jucundum acorem condenſare. Turcis familiarem hodie cibatum eſſe in æſtu ſitique & in diverſoriis eorum venalem, ſcribit A. G. Buſbequius Ep. I. p. 36. Sane robuſtis & calidis nihil facile eſt a tam benigno acore & molli coagulo, quod longe a prioribus differt, metuendum.

capitalior quam oxygalactos uſus eſt, cum nulla fere domus nulla familia ſit, quæ non bonam ſingulis hebdomadibus abſumat quantitatem cremoris ex lacte in acidiuſculum ſaporem degenerante, a minimis maximisque in ſingulari deliciarum parte habitam, at eo nocentiorem, quo magis ſuavi halitu malignam recondit indolem. Plus certioris judicii variæ præparationis examen ſuppeditat, neque enim omnes hujus coaguli ſpecies, blandas ſæpe & molliuſculas, in corporibus maxime robuſtis calidisque, ſub moderato uſu damnare auſim.

PRO-

G. G. RICHTERI D. *)
DE
MORTE SERVATORIS
IN CRUCE
SUCCINCTA COMMENTATIO.

S. IGNATIUS.

ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσαυρώθη.

GABRIELI SCHREIBERO
ET
CAROLO FRIDERICO SCHREIBERO
FRATRIBUS GERMANIS
POTENTISSIMI REGIS DANIAE CONSILIARIIS MERITISSIMIS

S.

In hac ætatis linea, Affines Coniunctissimi, quæ anni magni climacterici ſcopulos nuper prætervecta ad cœleſtis patriæ focos merito adſpirat, crebro vitæ meæ, apud Saxo-

*) Prodiit quidem pia hæc de morte Servatoris in cruce commentatio anno 1756. verum ab ipſo auctore emendata auctaque anno 1757. iterum edita eſt, quam editionem & huic collectioni inſerere placuit. Prodiit & germanica (ut aliorum Programmatum a Richtero editorum, quarum mentionem conſulto omiſimus, copioſæ verſiones proſtant) verſio a Bernero edita, Schleitziæ, 1758. in 8vo.

Saxones primum, mox Holſatos, denique in his novis muſarum viretis exactæ inſpicio. Divinam veneror clementiam, quæ hos ternos providentiæ ſuæ campos mihi aperuit, in quos uberi beneficiorum fonte rigatos intervallo non multum diſſimili deſcendi. At flos ætatis in primo illo ſtadio nondum adultus ſatis & confirmatus, in hoc poſtremo iterum exareſcens, jucundiſſimam mihi reddit intermedii temporis memoriam, ubi pleno ætatis robore, ſtabili corporis valetudine, animoque inter negotia, parva quidem, honeſta tamen, læto ſortique ſuæ ſuaviter adquieſcente frui in Holſatia per quatuor circiter luſtra licuit. Inter crebras tunc vitæ opportunitates major nata mihi non eſt, qua res meæ & fortunæ firmioribus coaluere radicibus, quam cum in familiam veſtram, Affines Suavissimi, ſplendidum honoris & virtutis theatrum, peregrinus licet ſurculus, implantarer, & Soror veſtra, cara ultra quartam ſeculi partem vitæ meæ ſocia, votis & amplexibus meis adnueret. Ab illo enim tempore in me fovendo demerendoque incredibilis veſtra contentio fuit, cujus qui teſtis non eſſet, raro ſol occidit. Vidi certare vos perpetuis in me officiis, uter vicerit, non vidi, dubius etiamnunc, quacunque animi lance id expendam, utri plus debeam, aut utri debere malim? uno in utrumque grati animi igne exæſtuans. Et veneranda Mater, ſexus ſui ſanctum & intemeratum decus, cœlitibus ante hos octo annos adſcriptum, quibus non ſummæ benevolentiæ, tum proprio tum veſtro inſtinctu, me obruit muneribus? Improbe mentiar, niſi nomen ejus eodem pietatis & reverentiæ cultu animo meo, quam parentum meorum, & præfiſcine dixerim, animis veſtris obhæreſcit. Avulſus poſthæc a terris, quæ tam amica mihi vincula injecerant, annum in hac nova muſarum ſede, quæ primarium mihi ſub ſuis natalibus regio nutu in ordine medi-

medico locum tribuit, vix conſumſi, cum Vos, ex triennali itinere per Germaniam, Italiam, Galliam, Britanniam & Bataviam reduces, hæcque loca ingreſſi, lenire deſiderii noſtri ſitim, quin & poſt ſex circiter menſes, ipſa comite Veneranda Matre, tantum viarum haud pertæſa, circa ipſa inauguratæ academiæ ſolemnia, ad noſtros denuo amplexus properare, præterea novos alternis annis reditus promittere, & quam nihil ſit amicitiæ ſua fomenta quærenti invium, teſtari perquam indulgenter haud ſitis dedignati. Atque hoc ſuperſtructo animorum conſenſu amicitia quas facile ruinas metuit? Neque abſentia, quæ jucundas olim rerum imagines ſenſim oblitterat, neque ipſum tempus, quod multis promiſſorum memoriam eripit, neque condendæ & ſtabiliendæ familiæ cura, quæ inter nova vincula ſe priſtinis exuit, neque ornandorum munerum fides, quæ inferioris officii neglectum non ſine colore aliquo excuſat, neque creſcentes cum ætate itinerum difficultates, neque etiam, quidquid errorum, a quibus nihil immune, ſe miſcere interdum humanis rebus ſolet, tantum arbitror valuiſſe, ut jam cavere minus videamini, ne favilla illa amoris, quæ olim tam luculenter arſit, in hac frigidiori ætate, quæ amicorum fotu maxime indiget, rurſus intepeſcat. Ego certe, quid tam effuſis in me ſtudiis veſtris retribuam, dudum & ſerio cogitavi, at nihil non reperi meritis veſtris & juſta exſpectatione inferius. Litterarium offerre munuſculum mos eſſe ſolet hominum meæ ſortis; verum neque circa hæc læta nimis & fœcunda ſeges mihi ſurrexit. Noſtis ipſi, quam ſim a vulgari ſcribendi impetu, illecebriſque famæ & iis maxime cuniculis, quibus ad illam eruditi paſſim graſſantur, tanquam ingenuo homine indignis alienus, meo me pede metiens, & de quibus licet, clam & ſine ſtrepitu bene mereri pro muneris ratione contentus.

 Quan-

Quantillum illud eſt, quo ſæpe efferimur in tam mutilo & lacunarum pleno humanæ cognitionis ambitu! ubi qui eminere cupiunt, ſibi adplaudendo, aliis detrahendo, non ſolum vitæ ſuæ pacem turbant, ſed & ſuorum, ſi qua ſunt, meritorum decus ipſi corrumpunt, & quidquid non protinus eorum conatibus adſurgit, pro nube livoris interpretantur. Certe ſine vinculo & fulcro modeſtiæ, quæ in alios æquior plus ſibi diffidit, labi virtutes & diffluere cenſeo, partamque famam fortunæ magis quam doctrinæ rem eſſe. Hoc inter eruditorum ſegetes ſuccreſcens toties lolium manum meam, ne ſcribendi pruriginem ſequeretur, fere nimis cohibuit, ut jam orbum me ſentiam, & vix ſit, quod cum fiducia vobis offeram. Spero tamen fore, ut hoc, quod in præſentia oculis veſtris ſubjicio, in ſe parum ſpectabile, ipſa ſe argumenti præſtantia commendet; vobis certe, quorum animos veræ religionis ſenſus a teneris imbuit. Accidit haud ita pridem, ut Vir inter proceres Academiæ præcipuæ dignitatis ac famæ, de morte crucis, quam Servator ſuſtinuit, quo ſævitiæ modo & gradu vitæ humanæ filum abrumpat? medicis forte rationibus nonnihil illuſtrando, quæſtionem moveret; quæ ſtimulum in animo meo reliquit, lectione auctorum ea de re agentium & ulteriori meditatione inter vacuas horas rei hujus momenta ad examen revocandi. Multa hic deprehendi ab eruditis expoſita, at de ipſa cruce, quam vim corporibus inferat? parum: neque ab iis quidem, a quibus id exſpectare proclive erat. Ita phyſiologia hiſtoriæ paſſionis CHRISTI, quam eruditus medicus VALENTINUS HENRICUS VOGLERUS ſcripſit, multa attigit, totum tamen illud, quid paſſus in cruce Servator fuerit? intactum reliquit. Neque vero vacat hoc ſcrutinium ſuo fructu, ſed animum, qui his crebro ſed oſcitanter auditis occalleſcit, ſub majori attentione commovet vehemen-

hementer, & ſacris implet terroribus, mox incredibili ſolatio totum perfundit. Quis vero alius eſt humanæ ſapientiæ apex quam CHRISTUM crucifixum noſſe? quid fiduciam magis quam pie ponderata tanti meriti magnitudo inſpirat, amoremque, quo omnes ſui periculi memores in Servatorem, talia perpeſſum, inardeſcere neceſſe eſt, plus alit & ſuſtentat? præter interna Spiritus ſancti munera, quæ tamen & ipſa efficacius in animos hac ſolerti conſideratione præparatos influunt. Ita natam & renovata opera recognitam commentatiunculam, alia etiam, quæ a primo ſcopo leviter recedunt, huic tamen argumento affinia ſuccincte illuſtrant, complectentem amica manu accipite. Valete o CHARISSIMA nobis CAPITA! & dum hora imminet, quæ nos disjungit, fugienti tempori, ne ſine novo & crebro amicitiæ fructu ſit, manum injicite. Scripſi in Academia Georgia Auguſta ſub magiſtratus, quem quintum gero, academici onere, die III. Aprilis, qui CHRISTI olim crucifixi ex plerorumque calculo fuit, A. S. CIƆ IƆ CCLVII.

CONSPECTUS ARGUMENTI.

§. I. *Miranda Dei ſapientia, mundum ſibi in Chriſto concilians. Terror & gaudium, comes crebræ hujus meditationis, fidem & amorem in ſervatorem mirifice accendens.* §. II. *Præſagium Chriſti de morte crucis ſibi imminente, diſcipulis regni terreſtris errorem eripiens. Idem præſagium in priſcis vatum oraculis, maxime* Pſalm. XXII. 17. *Epulum paſchale ex lege peractum, probabilius eodem cum aliis Judæis tempore. Diſcuſſæ ſententiæ oppoſitæ.* §. III. *Poſt epulum illud inſtitutum aliud lautius, quod fidem alit, & nos cum Chriſto arctius, ut membra ejusdem corporis, conjungit. Cohortatio diſcipulorum & conſolatio. Egreſſus ad locum proditionis. Hic fuſæ inter ſummos angores cruentosque Sudores ad Patrem preces. Quale votum ter iteratum, ut hora tranſeat? unde cruentus ſudor?* §. IV. *Scelus proditionis per oſculum. Tradit ſe ultro ſervator poſt data poteſtatis ſuæ ſigna & inhibitas ſuorum vindicias. Rapitur noctu ad tribunal, præcipitatus mortis ſententia, mane confirmatur inter impias illuſiones. Cur ad Pilatum res delata? an ob jus vitæ & necis Judæis ereptum? Quæ ſupplicia Judæis propria? negatur, inter hæc crucem fuiſſe. Ratio hujus ſupplicii poſtulati.* §. V. *Crebrum a Pilato de innocentia Chriſti teſtimonium. Transferre nititur jus ſententiæ ferendæ nunc ad ipſos Judæos, nunc ad Herodem, nunc ad optionem populi, nunc flagellatione lenire animos tentat, ſævitia flagellationis. Preſſa in ſacrum caput ſpinea corona inter verbera & ludibria. Metus ſeditionis & opprobrium, ab eo negligenter Cæſarea jura vindicari, vincit Pilatum, ut in ſupplicium crucis conſentiat. Mos lavandi manus in ſignum innocentiæ, & mos ſe ſuorumque capita devovendi illuſtratur.* §. VI. *Portat Chriſtus ad locum ſupplicii crucem, vacillanti opem ferre cogitatur Simon Cyrenæus. Crucis forum ex teſtimoniis illorum temporum deſcribitur. Fuit ſedile in medio, ſcabellum nullum ſub pedibus. Spuriæ crucis imagines. Modus adfigendi per clavos, hi an per carpum infixi, ut corpus vel ſine ſedili ſuſtineant?* §. VII. *Chriſtus hora tertia, quæ nobis nona eſt, crucifixus. An diſ-*

ſenſus

ſenſus Marci & Joannis de hora? Vinum myrrhatum cur datum, antequam crucem inſcenderet? Res plena ſalutis Chriſtum in cruce intueri, ut olim ſerpentem exaltatum in eremo. Horrendi in cruce cruciatus, violenta adſtrictio per funes, adfixio per clavos, diſtractio corporis & brachiorum, ut oſſa numerari poſſent, incredibilis moleſtiæ ſenſus in uno ſitu corporis tot horis ſuſtinendo, injuriæ circumfuſi aeris, vulnerum dolores exacerbantes, calor inflammatorius lento & hinc ſæviori gradu in mortem tendens. Expenditur internus vaſorum & humorum ſtatus, obſtacula circuitus, congeſtio circa vaſa majora, obruens ſub ſummis anguſtiis pulmones, hinc angores animi ex incumbente peccatorum noſtrorum mole natos vi immenſa intendens. §. VIII. *Summa ignominia externa in nuditate corporis. Infinita ſpectatorum multitudine. Die feſto. Inter cavillos tantum non omnium. Totus animus ad placandum Patrem converſus, expanſis manibus, qualis olim orantium habitus fuit, velut Moſis contra Amalec. Hic trementes, unde ambigua, ille immotas, unde plena & certa victoria, ad ultimum pugnæ terminum ſervavit. Etiam in tam adflicto ſtatu plenus beneficiorum: pro hoſtibus, ut Pater iis ignoſcat, rogans, pœnitenti latroni gratiam & cœlum promittens, matri pro orbitate conſolanda filium in Joanne reſtituens.* §. IX. *Triſtis naturæ vultus, auctori ſuo ingemiſcens. Sol in meridie, in plenilunio, per bihorium deficit. Tenebris merſa omnia, quod fas eſſet totum genus humanum, in quod a Servatore repræſentatum ira divina incubuit, in luctu & tenebris hærere. Mutuæ rationes ponderatæ. Servatoris tot malis oppreſſi clamor, ſe deſeri a Patre. Non hæc deſperantis vox ſed terminum malorum cum fiducia anhelantis. Martyres quidam an mitius videantur crucis mortem tuliſſe? Victor ut Simſon de ſiti quæritur & ſumto aceto, quod jam ludibrii cauſſa oblatum non videtur, ſpiritum in manus Patris tradit, quo anno & die?* §. X. *Clamor morientis Chriſti confirmat vitam ultro poſitam. Crux lente necat & qua ratione? hinc multis accelerata mors, velut hic latronibus, Chriſto jam mortuo latus haſta trajectum. Qualis fluxus aquæ & ſanguinis per vulnus?*

His

Hiſ evincitur veritas mortis, de qua male aliqui dubitarunt. Prodigia poſt mortem. §. XI. *Honor ſepulturæ ex præſagio* Jeſ. LIII. *Honor crucis a ſuperſtitione vindicandus.*

---

§. I.

Fas eſt, ut ingens ille amor, quo Servator humanum genus amplexus eſt, crebro obtutu ligni crucis, in quo vitam poſuit, noſtris ſe animis penitius & cum novo ſemper ad cultum ejus ſtimulo infigat. Sub tam horrendo ſupplicio gemere ſanctiſſimam animam, antequam in ſinum Patris cœleſtis nobis conciliati rediret, ſummus juſtitiæ divinæ, ne filio quidem in alieno crimine parcentis rigor voluit. Sunt, qui ex infinitis ſapientiæ divinæ theſauris alium nos liberandi modum non defuiſſe, immo ut punire omnes illæſa miſericordia potuit, ita ignoſcere omnibus illæſa juſtitia Deum potuiſſe conjiciunt. At noſtrum non eſt, circa conſilia, quæ in abyſſo divinitatis latent recondita, ad vagas & temerarias conjecturas deflectere, ſed in ipſo decreto divino, quid dignum tanta ſapientia fuerit, nempe mirabilem juſtitiæ in abolendo malo & miſericordiæ in reparando bono conſenſum, qui intervenientis cœleſtis filii ſanguinem, o quanti pretii ſacrificium! popoſcit, gladiumque ſupremi judicis, ut Zachariæ *a*) verbis utar, ſuper caput viri ſibi proximi ſtrinxit, acri

a) C. XIII. v. 7. Patet, non alium modum plus decuiſſe Deum, quam quem elegit, ut mundum ſibi in Chriſto reconciliaret, per cujus obedientiam recuperavit humana Natura, quæ per inobedientiam Adami nobis congenitam perdidit. Igitur adſumſit Servator ὅλην τὴν φύσιν, ἀλλὰ μὴν τὴν ἐν ἀτόμῳ θεωρουμένην, ut ex Theod. Studeta habet Jac. Sirmondus in Op. Var. T. V. p. m. 73. In hoc corpore legem implens ſuæ nos juſtitiæ participes reddidit, cum omnibus donis cœleſtis gratiæ, quæ exſpectare in hoc ſtatu licet, viribus nempe credendi & ſancte vivendi, factus ipſe injuſtitiæ noſtræ victima, & totius corruptæ humanæ Naturæ verum ἀντίλυτρον, id eſt, omnium hominum, οὐχὶ πιστῶν,

acri ſolertique decet volvere & revolvere animo. Non mitiori antidoto venenum peccati expellendum fuit. Hic vero cum Servator ex manu Jehovæ poculum excandeſcentiæ in genus humanum biberet, vel ipſum Satanam in omni accuſatione ſua obmuteſcere oportuit, nec diffiteri, quod jam divinæ juſtitiæ haud repugnet, injuſtos pro juſtis ſub conditione pœnitentiæ & fidei in Chriſtum declarare. At quanta oculos noſtros caligo occupat, quod non ſub hujus meriti conſideratione piis quotidie lacrymis colliqueſcimus, & deletam in nobis tanti ſanguinis impendio noxam, gaudia inter & terrores diviſi attonitique, intuemur. Si enim ſummo gaudio locus eſt in illis ſalutis noſtræ vindiciis, nequit multum inferior eſſe terrori in tam acerba vindicis noſtri & in divino foro vadis morte, quam inſons pro ſontibus ſuſtinuit. Ex his tamen radicibus fructus in animos pie commotos redundat, ut dolor ex peccato, quod tam infeſtam malorum aciem inſtruxit, & fiducia in Servatorem, qui ſub immenſi amoris impulſu caput ſuum æſtuantis divinæ iræ fulminibus objecit, dulci coeant fœdere, & flagrantiſſimi deſiderii, quod nos ſtabilitæ pacis auctori indivulſo amoris & obſequii nexu conjungit, in omni vita ſuſtentent fomitem. Non credo, a medico argumento nimis alienum eſſe, mortem crucis, quæ tantam nobis ſalutem attulit, in præcipuis ſævitiæ ſuæ momentis, iisque, quæ tam mirabile pœnæ & gratiæ dvinæ temperamentum comitata ſunt, circa hoc tempus, quod patientis & reſurgentis Chriſti memoriam renovat, poſt multorum vigilias cum laude impenſas, neque abs me tumultuaria opera conſultas, in fomentum pietatis brevi diſquiſitione illuſtrare.

§. II.

Obediens Patri ad mortem immo ad mortem crucis Filius, qui tanquam ultor humanæ ſalutis ex illo divinitatis ſuæ faſtigio in hanc ſervitutem deſcenderat, poſt effuſa in omnem populum cœ-

πιςῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς οἰκȣμένης πάσης, Chryſoſtomus ait Or. IV. in Ep. ad Hebr.

cœleſtis doctrinæ ſemina, tot confirmata miraculis & ſuo nunc ſanguine obſignanda, diſcipulos ſuos, ut eorum animis terreſtris regni opinio exularet, & plenior æterni decreti cognitio ſurgeret, nihil eorum, quæ nunc inſtabant, cum omnia adhuc tuta viderentur, ignorare voluit. Illis igitur, qui longe a metu tam terribilis ſcenæ aberant, mortem non ſolum ſuam ſed & intra biduum in ipſa cruce ſubeundam prædixit *b*), quam etiam ex ſacris antiquorum vatum fontibus hauſiſſe ſub juſta attentione poterant *c*). Parata hæc erat ad placandam divinam iram victima,

b) Matth. XX. 19. XXVI. 2. Syrus σαυρῶσαι vertit voce attolli, gr. ὑψωθῆναι. Hinc eandem crucis mortem indicat Servator Joan. XII. 32. ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, & Jo. III. 14. Nicodemo nuntiat, filium hominis ὑψωθῆναι ad exemplum ſerpentis in deſerto a Moſe erecti.

c) Luculentam in V. T. crucis prædictionem non adgnoſcit Gerh. Jo. Voſſius in harm. Ev. L. VII. C. 7. §. 48. Neque tamen ſatis ſibi conſtat, cum ib. L. II. C. V. §. 32. neget dubitandum eſſe, quin Pſalmus XXII. 17. crucis ſupplicium deſignet. Plenius evincit Campeg. Vitringa, illo nobis loco crucifixum Chriſtum clare ante oculos poni & crucem evidenter declineari, Obſ. facr. L. II. C. 9. p. 150. Verba illa: כָּאֲרִי יָדַי וְרַגְלָי foderunt manus meas pedesque, quod in ſola Romanorum cruce factum, improbe a Judæis, ut vaticinium de cruce ſibi probroſum tollant, laceſſuntur. Quæritur, cur pro כרו foderunt, a כור vel כרה, ſcriptum ſit כארי, adeoque א abundet, & in fine י pro ו occurrat? Prius neque exemplis caret neque ratione, cum docente Vitringa vocalium, antequam ſcriberentur, notas legentibus dederint litteræ אוי, adeoque hae remanſerint ex parte, cum ſcribi vocales inciperent. Ad poſterius id reſpondere licet, facili ſcribentium errore י pro ו irrepſiſſe, primum in margine notatum, deinde ipſo textu receptum. Id Maſora adgnoſcit tum marginalis tum textualis, & R. Jacob Ben Chaiim in Maſora magna confirmat, ſe reperiſſe in variorum exemplarium textu כאה, in margine כארי. Plus etiam auctoritatis dictis conciliat verſio Syriaca & Arabica noſtræ congruens. Præterea LXX verterunt per ὤρυξαν, Aquila per ἤξυναν, Hieronymus in verſione latina textus hebraici per fixerunt. Sunt quoque, qui כארי non mutant. & pro כארים fodientes ſumunt, quod ex compendio ſcribendi ם in fine non raro abjiciatur, cujus jam indicium eſt י præcedens. In quod Edm. Pocock, Jac. Altingius & Camp. Vitringa exemplis ubertim illuſtrant. In

ctima, cum tempus immineret, quo typus ejus agnus paſchalis mactandus eſſet *d*). Primus jam erat azymorum dies, quo mactari agnum & ingruente nocte comedi ex legis præſcripto oportuit. Sanctiſſimus Servator, qui omnem exacte legem implevit, agnum quoque *e*) eodem die ac reliqui Judæi Hieroſolymis

In Judaica verſione כארי ſicut leo, non eſt ſanus & idonæus ſenſus, nec adparet, cur ˙ ſub כ ponatur? v C. Vitring. Obſ. ſacr. L. I. C. 13. p. 174. ſq. & L. II. C. 9. p. 150. Adde Ant. Bynæi Chriſt. crucifix. C. I. §. 24. Prætereo alias de cruce prædictiones in V. T veluti Pſ. XCVI. 10. ubi Juſtinus Martyr legit: *ὁ κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ τῦ ξύλυ*. Sed ultima verba, quæ a Judæis delata dicuntur, in codice hebraico non extant, olim tamen citata ab Arnobio, Auguſtino, Caſſiodoro aliisve.

d) Agnus mas, anniculus & ſine macula jam die X Niſan, qui primus ſacri anni menſis eſt cum vere incipiens, erat ſegregandus, die XIV. circa duas veſperas, quibus Sol ad occaſum vergit, maxime a veſpertino ſacrificio, hora ad calculum noſtrum tertia ad quintam, indice Joſepho jugulandus, denique cum herbis amaris & panibus azymis ante mediam noctem comedendus. Exod. XII. 3. 6. 8. Hinc Levitic. XXIII. 5. & Num. XXVIII. 16. 17. vocatur dies XIV Niſan Paſcha Jehovæ & dies XV feſtum azymorum, cum epulo paſchali incipiens & per ſeptem dies continuum, a veſpera nimirum diei XIV ad veſperam XXI. Nec tamen repugnat, octo numerare, ſi diem XIV, in quo cum azymis parandis & fermento expurgando res erat, in numerum recipimus, ſuffragante non ſolum Joſepho Antiqu. Jud. L. II. C. 15. ſed & ipſis Evangeliſtis Matthæo XXVI. 17. & Marco XIV. 12. qui primum azymorum vocant, quo agnus mactandus fuit. Hic vero velut ſolis Hieroſolymis edi poterat, quo loco nomen ſuum habitare Deus voluit, Deut. XVI. 5. 6. ita pro tanta venientium turba erant omnia in promtu, nec moram injiciebant illa dudum prævifa, cum ad capaciſſimum templi atrium diviſi in catervas ſuo ordine & ſine turbis admitterentur, clauſo per vices aditu, præterea ædes ſtratique lecti non mercede elocarentur, ſed venientibus gratis concederentur.

e) Aegre inducor, ut credam, legem tanta auctoritate ſancitam, ut qui contra illam fecerit, eum exſcindi ex populo Deus juſſerit, Num. IX. 13. dum unum præciſe diem figit, tanquam ambiguitatis ream variis diebus accommodari poſſe. Igitur Judæos de ceremoniis ſuis obſervandis ſcrupuloſiſſime ſollicitos, & Chriſtum, quem implere omnem legis juſtitiam decuit, in die tanti momenti non diſcrepaſſe arbitror, nec auſus quiſpiam eſt in iſta alioqui coarguendi temeritate, quæ juſtior ſub

lymis congregati, & ſub communi divini mandati, vinculo poſiti comedere voluit. Nec voluit tantum, ſed & diſcipulis roganti-

ſub tantæ legis comminatione fuiſſet, litem circa hæc movere. Nec ſane patuiſſet atrium templi, in quo agni mactandi erant, nec ſacerdotum ſerviiſſent manus, quarum erat, velut in omni ſacrificio, ad baſin altaris ſanguinem effundere, alio die, quam Synedrium fixit. Hoc vero non tam dies illos, quippe divinitus fixos, quam Calendas ſingulorum menſium, maxime eorum, in quos dies feſti ſolemniores, ut paſcha, incidebant, ſub noviluniis determinavit, & poſt phaſin lunæ a duobus legitimis teſtibus renuntiatam ignibus in monte accenſis vel etiam miſſis per provincias nuntiis propalavit. v. Selden. de an. Civ. vet. Jud. c. 15. p. m. 84. Ajunt, qui Chriſtum anticipaſſe cœnam illam malunt, Karræos & Sadducæos ſolius ſcripturæ ſacræ, & Rabbanitas ac Phariſæos traditionum ſimul auctoritatem ſecutos, licet in eo convenirent, die XIV. Niſan, quem littera legis deſignavit, mactandum agnum, & ſubſequente nocte, ſeu ipſo ineunte die XV Niſan, quod nox apud Judæos diem præcederet, comedendum eſſe; in novilunio tamen, quo menſis incipit, diſcordes, illos quidem in ſola *φάσει* novæ lunæ, hos in *συνόδῳ* ſeu conjunctione luminarium, ſub quo non ſemper nova luna adparet, ſubſtitiſſe: ut hinc idem dies aliis primus novi menſis, aliis poſtremus præcedentis videretur, & hinc utrique paſcha ex ſuo calculo celebrarent, lege non adverſante, quippe nihil circa primum novilunii diem definiente, isne ſit, qua luna digredi a ſole poſt ſuam cum ea conjunctionem incipit, an quo primum adparet? v. ſumme rev. J. G. Carpzovii annot. in Godwin Aaron & Moſen ad L. III. C. 7. p. 430. Fateor, ingentis famæ viros, Joſ. Scaligerum, Dion. Petavium, Iſ. Caſaubonum, Gerh. Voſſium, Frid. Spanhemium, Jo. Gerhardum, Jo. Saubertum, Abr. Calovium, Jo. Henr. Maium, J. G. Carpzovium, & tot alios pro anticipatæ cœnæ ſententia pugnare, armis tamen non iisdem. Maxime tela eorum exacuit cum magno doctrinæ & ingenii adparatu Jo. Conr. Ikenius, & demonſtrare nititur, Chriſtum die citius, cum iis, qui ſcripturam unice ſequuntur, agnum comediſſe, reliquos die poſt, unde intelligi poſſit locus ex Joan. XVIII. 28. e quo jam Chryſoſtomus concluſit, Chriſtum legali die comediſſe, hoſtes ejus in alterum diem diſtuliſſe, hom. 85. in Matth. 26. At vix cadit in homines rituum tenaciſſimos legis tam ſevere neglectus. Diſſidii vero illius, ad quod provocant, ſtante adhuc templo, in illud publici ſcandali nefas erumpentis nullum occurrit in Evangeliſta hiſtoria, opportuno licet ad vindicias Servatoris loco, veſtigium, & parum credibile videtur, ſynedrium, quantumvis in partes ſciſſum, illa divinitus injecta unius diei vincula laxare auſum, nec ſuffragii potius jure tantum offendiculum unius

gantibus, non an & quando, ſed ubi edere vellet? adeoque de juſto tempore haud dubiis, indicavit, quo uti ad comedendum cœnaculo conſtituiſſet. Ejus voluntati obſecutos diſcipulos paraſſe agnum legimus, nec hæſitantem cœnaculi magiſtrum, ſed tanquam in re exſpectata adnuentem reperiſſe, cumque hora acceſſiſſet, Servatorem accubuiſſe, & agni, cujus præſentiam velut digito præmonſtravit, cum ſuis comedendi fragrantiſſimum deſiderium his verbis expoſuiſſe: ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν πρὸ τοῦ με παθεῖν *f*). In quo planiſſimo ſimpliciſſimo-

unius partis neceſſario errantis cohibuiſſe. Et quis canonem Judæorum neſcit, quoties domus judicii neomenjam conſecravit, id omnibus etiam admiſſi erroris conſciis, pro norma fuiſſe? Quis denique oſtendit, duas unquam ſententias ſimul ſynedrium proclamaſſe? Sive in illo Phariſæi eminuerint, ex quorum ſententia nihil non factum eſſe Joſephus teſtatur, ſive aliquando Sadducæi, unus certe dies ex mandato divino deſignandus erat. Et quam horrendæ turbæ ſoluto divinæ & eccleſiaſticæ diſciplinæ vinculo natæ eſſent, altero dies feſtos, altero negotioſos agente, licitaque & vetita miſcente? Nec illud omitto, diſſenſum de novæ lunæ ortu non quotannis ſed aliquando exſtitiſſe, in annum vero Chriſti crucifixi incidiſſe, conjecturam videri, quæ certe niti nullius ſcriptoris teſtimonio poſſit. Non vacat exponere, quid dubitationis loca a cel. Ikenio ſollicite collecta vel circa tempus vel vim concluſionis relinquant. Ceterum ſi biduo legimus celebrare ſacra interdum licuiſſe, id nemo facile ad paſcha in illo divini mandati rigore extendit. Qui cum Jo. Hornbeckio & Lud. Ferrando rem ita conciliant, intra duas veſperas, id eſt ex eorum mente, intra νυχθήμερον & Chriſtum & Judæos ediſſe agnum, illum ſub nocte, ſeu initio diei XV Niſan, reliquos circa finem, qui in tempus Chriſti crucifixi cadit, facile refelluntur ab H. Witſio melet. Leyd. diſſ. XI. p. 421. Non enim diem ſolum ſed & partem diei lex conſtituit.

f) Luc. XXII. 15. A qua cœna etiam legimus ὑμνήσαντες ſurrexiſſe, Matth. XXVI. 30. Marc. XI. 26. quos hymnos non in omni ſed ſolemniori & paſchali cœna ſolitos Adr. Relandus in Antiqu. Jud. P. IV. §. 6. p. 427. & J. H. Michaelis ad Pſ. CXI. merito hic attendunt. Et ſane his omnibus, quæ tria priora evangelia tanta perſpicuitate & concordia tradunt, vim interpretando inferre fere piaculum videtur. Quid temerarium magis, quam illud M. A. de Dominis, non eſſe accipienda verba, ut ſonant? Agnovit tantum non omnis eccleſia latina hoc commune cum ceteris Judæis epulum paſchale, & agnoverunt recentiori ævo

ciſſimornm verborum nexu quis nodum quærat? quis pleniorem cœnæ vere habitæ lucem deſideret? quis credat ſapientiæ ejus & præſcientiæ convenire, agnum, qui præparetur, locum, quo edatur, determinare, cum edere non poſſet? quis eum tantopere deſideraſſe dixerit, quo frui per decretum divinum, ipſi pleniſſime cognitum, non licuit? Nolim diffiteri, hanc ſententiam expertem omnium difficultatum non eſſe g), at quæ cedere tantæ teſti-

ævo principes inter eruditos viri Alph. Toſtatus, Franc. Toletus, Cæſ. Baronius, Jul. Bartoloccius, Hug. Brougthon, Jo. Cloppenburg, Sam. Bochartus, Ant. Bynæus, Jo. Lightfoot, Fr. Burmannus, Th. Goodwinus, Adr. Relandus, Jo. Friſchmuth, Jo. Lundius, Jo. Reinh. Rus, C. Er. Brochmand, Jo. Chriſtoph. Wolfius, Sigm. Jac. Baumgarten aliique quam plurimi.

g) Probe quidem Nic. Toinardus judicat, cum locis evangeliſtarum luculentis, quæ nihil dubitationis relinquunt, aliorum magis ambigua concilianda eſſe, harm. ev. p. 147. At quam ille evidentiam in Joanne reperit, nos majorem in reliquis evangeliſtis, qui de cœna paſchali apertiſſime loquuntur, deprehendimus, & motas ex Joanne difficultates, ut ſatis ſolubiles, hic ſuccincte tangimus. 1) Joan. XIII. 2. cœna dicitur πρὸ τῆς ἑορτῆς τȣ̃ πάχα. Immo vero, quia hæc cœna, cujus Joannes meminit, ante paſcha fuit, nequit pro illa ultima haberi, quam diſerte reliqui evangeliſtæ paſchalem vocant. Videtur potius præcedentis diei fuiſſe Bethaniæ vel alio extra Hieroſolymas loco, ubi Servator lotis diſcipulorum pedibus de proditore queſtus eſt, quem conſilia proditionis ſecum agitantem maturare ea jubet, quæ moliatur. Id quod pars diſcipulorum ſic intellexit, cœmenda ab eo eſſe, quibus in feſto opus. Neque vero hæc conjectura naſci potuiſſet in cœna paſchali, ubi mercandi facultas amplius non erat, licet circa ſumme neceſſaria minus limitata quam in ſabbato. Fit quidem proditoris in utraque cœna mentio, ſed varia. Ab illa diſceſſit, ut cum pontificibus de pretio proditionis paciſceretur, ab hac, ut jam pactæ proditionis fidem impleret, & illuc, quo iturum Servatorem noverat, hos, qui vincula injicerent, adduceret. Fidenter nimis Conr. Ikenius rem a Burmanno & Lampio plane confectam putat, quod omnes de eadem cœna evangeliſtæ loquantur. Facile pertrahunt in adſenſum, quæ ſententiæ noſtræ blandiuntur. Præter Bynæum, Lightfootum & alios vir conſummatæ doctrinæ, S. J. Baumgarten errorneum illud præjudicium perſtringit, in comp. hiſt. eccl. P. I. §. 41. p. 191. fuſius quoque eo præſide B. G. Münch in diſp. de ult. cœna Chriſti paſch. §. 24. & Jo. Lahode in diſſ. de die & anno ult.

teſtimoniorum luci debent, & ſolvi omnino commodius poſſunt, quam quibus oppoſitæ, licet magnorum virorum præſidio neutiquam

ult. paſch. §. 21. p. 40 ſq. Alio reſponſo utuntur, qui cœnam eandem fuiſſe largiuntur, & idem eſſe putant *πρὸ τῆς ἑορτῆς τȣ̃ πάχα* quam *ἐν τῷ προεορτίῳ*, nec repugnare, tempus feſti præcedens partem ejus eſſe, ut prologum partem orationis. 2) Joan. XVIII. 28. noluerunt Judæi prætorium Pilati intrare, *ἵνα μὴ μιάνθωσιν, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάχα.* Ergo concludunt, vel non habitam a Chriſto cœnam paſchalem vel anticipatam eſſe. Multum huic argumento tribuit Iſ. Caſaubonus, & quamvis in promptu ſit reſpondere, totum quoque tempus ſeptem dierum paſcha vocari, & ſacrificia tunc celebrata paſchaſium nomen habuiſſe, tamen & huic tanquam vano colori inſultat Joſ. Scaliger. At quos ratio inſtruit, non terret auctoritas. Pene me fugerat, inquit Sam. Bochartus, paſcha non modo agnum vocari, ſed & ſacrificia cuncta per ſeptem azymorum dies edi ſolita. Hieroz. L. 2. C. 50. Ed. Lond. p. 566. Nam Deuter. XVI. 2. 3. dum paſcha mactare populus jubetur, pecudum boumque mentio fit, & id additur comedenda eſſe עלין, id eſt cum illo paſchate, azyma. Confer paſcha Joſiæ II. Chronic. XXXV. 7. ſq. ubi פסחים vocantur ſacrificia euchariſtica variorum animalium, ita שלמי פסח in L. Sebachim f. 99. 2. Igitur Judæi prætorium Pilati ingreſſuri metuerunt pollui, & hinc prohiberi, non ab eſu agni paſchalis, ſed alterius in illo ſeptiduo paſchalis victimæ, maxime die XV Niſan, ubi ſolemniora ſacrificia pacifica nomine Chagiga incidebant. v. Jo. Lightfoot in hor. hebr. & Talm. Op. Vol. II. p. m. 470. 3) Joan. XIX. 14. *παρασκευὴ τȣ̃ πάχα* dicitur dies crucifixi Chriſti. Velut conſtantiſſimi moris fuit, diem, qui ſabbatum præcedit, ſeu diem Veneris paraſceven adpellare, & hic ordo dierum ſemper apud Judæos obtinuit: primus, ſecundus, tertius, quartus, quintus, paraſceve ſeu ערובתא & ſabbatum; ita paraſceve paſchatis commode ſatis dixeris diem Veneris, qui in hebdomade paſchali ſabbatum præcedit, eo magis, dum illi omnino prima feria paſchalis jungitur. Aliud feſtum habere paraſceven quam ſabbatum negat evinci poſſe M. Ant. de Dominis L. V. de republ. eccl. C. 6. plus etiam Sam. Basnage annal. pol. eccl. T. I. p. 360. §. 49. 4) Joan. XIX. 31. ſabbatum vocatur magnum, unde colligunt primam feriam paſchalem illi conjunctam fuiſſe. Non negamus diem primum & ſeptimum feſti intermedios ſolemnitate ſuperaſſe, at par ei, immo majus, fuit hoc ſabbatum variis ſacrificiis celebratum, quippe cui non modo dies ſecundus paſchalis ſed & ſolemnis offerendi manipuli frugum ceremonia ſe junxit. Non moror,

tiquam deſtituantur, implicari, & dum ab uno incommodo liberant, plura & majora admittere videntur *b*).

§. III.

ror, quæ minoris momenti ſunt, uti illud, die primo azymorum, tam ſancto, nec forenſem conveniſſe cauſſarum cognitionem, nec feralia officia, quæ polluunt. Conſtat enim majorum delictorum pœnam potuiſſe diebus feſtis exigi, Numer. XIV. 34. & funerari ſupplicio adfectos ante ingreſſum ſabbati extremæ neceſſitatis fuiſſe. Objiciunt & illud, calculum L dierum ad pentecoſten nobis non favere, cum inciderit in ſabbatum, ſi Chriſtus die XV Niſan ceu feria ſexta paſſus ſit. Non repugnat Sam. Basnagius, pentecoſten Judæorum tunc omnino in ſabbatum incidiſſe, at altero die, ἐν τῷ συμπληρȣ͂σθαι, cum impletus eſſet dies pentecoſtes, Actor. II. 1. effuſum Spiritum ſanctum in fideles, non in templo ſed privatis ædibus mane congregatos, adeoque die dominica fuiſſe, cujus memoriam celebramus. v. Annal. polit. eccl. p. T. I. p. 361. 362. Gratis adſumitur, judice S. Bocharto pentecoſten anno Chriſti crucifixi in diem dominicam incidiſſe, niſi pſeudographis aurem præbeas. hieroz. L. II. C. 50. p. m. 570. Alii aliter calculos ineunt ex Levitic. XXIII. 15. 16. Deut. XVI. 9. In hæc vero nolim nimis diffundi, cum nodi difficultatum, ſi in ſolutis non omnes ſtatim adquieſcunt, ſtabilitæ ſatis veritati haud derogent, ſed pleniorem cum tempore lucem exſpectent. Sat ſcio, non radium veritatis pari virtute in animos varie præoccupatos penetrare, & his ſemper ſuppetere adhuc, quod ſub aliqua ſpecie opponant. Audio vocem Scaligeri: vix riſum contineo, vel illam Cudworthi: en jecur criticum! Sed ita fieri ſolet, ut magnæ etiam animæ excandeſcant, dum in anguſtiis ſunt, & amabilis ſententiæ ſponſa quaſi ex amplexu eripitur. Placet in hoc argumento, quod ſalutem non tangit, illud Th. Ittigii: utra ſententia alteri inter tot difficultates præferenda ſit? libero omnium judicio relinquimus. Hiſt. eccl. Sec. I. C. 7. S. I. §. 54. p. 408.

h) Inter illos, qui negant Servatorem & verum agnum paſchalem & die legibus Moſaicis definito ediſſe, eminet eccleſia Græca, inprimis recentior, ut patet ex Metroph. Critopuli Conſ. Eccl. Or. C. 9. At priſcam Eccleſiam Græcam diu ſatis veſtigiorum primæ inſtitutionis tenacem fuiſſe arbitror, quod nomen quartadecumanorum illuſtrat. Qui in contrarium loca quædam ex Petro Alexandrino, Hippolyto, Apollinari aliisve adducunt, ex turbidis hauriunt & ſpuriæ originis fontibus. Harduinus furorem vocat & intolerabilem audaciam dicere, patres in primis ſeculis negaſſe de Chriſto eſum agni paſchalis. Op. ſel. p. 373. At cum Ebionitæ pro ritibus legum Moſaicarum nimis pugnarent, tum quidem ad libertatis Chriſtianæ vindicias Græca & Romana Eccleſia pro pani-

§. III.

Poſt hanc cœnam agni typici Servator tanquam verus agnus Dei, qui mundi peccata tulit, diſcipulis panem vinumque præbuit, & ſub his ſymbolis veram communionem corporis ſui & ſanguinis, omnem jam contractæ labis pœnam luituri, novo & [illegible] mira-

panibus azymis enzymos ſubſtituit. Errore autem illo Ebionitarum deleto rediit ad azymos eccleſia Romana, Græca, ne illi obnoxia videretur, in azymis perſtitit, & gliſcens diu mutua æmulatio fervere circa hæc vehementius cœpit ſeculo XI. Senſim poſt oblitteratam magis priſcorum rituum memoriam Græci ipſum Chriſtum tali pane uſum & die XIII. Niſan paſchatis quoddam ſimulacrum celebraſſe ſibi & aliis perſuaſerunt. Non defuit noſtro ſeculo & iis, quæ proxime anteceſſerunt, ſub favore aſtronomici calculi adſenſus. Rem operoſe egit M. Ant. de Dominis, nec ſine periculo ſuo Hieron. Vecchietti, qui ideo a tribunali, teſte Jac. Nic. Erythræo, in carcerem conjectus maluit in hujus ſordibus contabeſcere quam abdicare vel mollire ſententiam. Non martyrium illud hæc veritas, ſi qua eſt tamen, meruit. Prope huc acceſſerunt H. Grotius & H. Hammondus, paſcha *θύσιμον* pariter negantes & *μνημονευτικόν* ſubſtituentes. Alii & hoc rejecto Chriſtum ipſa agunt morte præventum, legale paſcha omiſiſſe, novum pro veteri inſtituiſſe. Viri certe fama & meritis conſpicui ad has partes acceſſerunt, ut Bern. Lamy contra Nanum Tillemont, A. Calmet, Nic. Toinard, G. G. Zeltner & fuſe Sam. Deyling, qui in Obſ. ſacr. P. I. O. 52. §. 2. p. 229. clare putat ex calculo aſtronomico & tabulis Nic. Toinardi aliisve evinci poſſe, diem veneris morte Chriſti memorabilem anno aerae vulgaris XXXII. in diem XIV Niſan incidiſſe. Decretorium hoc argumentum vocat: at quod Petavius jam monuit, qui hic nimis urgent rationes aſtronomicas, accuratiores Judæos ſupponunt, quam nobis hodie eſſe licet. Concedi poteſt, Judæis punctorum æquinoctialium notitiam & aliquam intercalandi peritiam fuiſſe, cum motus ſolaris & lunaris concordia non deprehenſa nimis feſtorum dierum pervertiſſent ordinem. Sit ita, quod Rabbini paſſim teſtantur, cum nubila lumen obvolviſſent, cyclos lunares conſultos eſſe. Sane ante excidium urbis Petavius, Seldenus & alii negant computo vere aſtronomico locum fuiſſe, ſed novilunia ex ſola phaſi conſtituta, quod cum quotannis ob incertam adhuc menſium planorum & cavorum per annum cum juſtis intercalandi legibus diſtribuendorum formulam nova opera fieret, vel paucarum horarum in obſervando diſcrimen pervertit dierum ordinem. Id eo facilius factum eſt, cum ſi erraſſet ſynedrium in die novilunii, id tamen

mirabili gratiæ ſuæ fœdere ſanxit, ut illi æque ac omnes, qui ſalutem extra Chriſtum non eſſe ab iis didiciſſent, hoc ſacro alendæ fidei epulo refecti ſcirent, ſe membra ejusdem corporis eſſe, in quo deleta iniquitas, adeoque fructuum impletæ in eo juſtitiæ participes *i*). Has inter divitias ultimo teſtamento legatas poſtquam perculſos ſuorum animos ſermone inexhauſtæ benevolentiæ & conſolationis pleno refecit, dictorum omnium obſervantiam commendavit, mutui amoris ad ſui exemplum præceptis

tamen omnibus pro canone eſſet. Igitur ſi in calculis ævi noſtri nihil deſiderem, omni tamen probabilitate vacat, ad illius ævi ambiguos calculos, arbitrio hominum & errori nimis obnoxios, certa fide accommodari poſſe. Dabo, quod extra controverſiam non eſt, mortem Servatoris merito rejici in annum aerae vulgaris XXXIII. ob conſenſum diei Veneris & plenilunii in menſe Niſan, non ſequitur ob facilem tunc temporis in neomenia conſtituenda errorem, ut is dies XIV Niſan fuerit, potius clare ex luculento Evangeliſtarum teſtimonio ſequitur, ut dies præcedens, quo paſcha mactare ex lege oportuit, pro die XIV Niſan accipiendus ſit. Multi egerunt auctores de rigore aſtronomicæ ſupputationis tot retro annis ægre adplicando, ut Fr. Burmannus in harm. Ev. p. 114. Conr. Ikenius diſp. de cœn. paſch. P. I. p. 32. Nec aſtronomici illi calculi, ad quos provocatur, ubivis conſentiunt. Tempus adparens novilunii Hieroſolymis in XIX. Martii A. XXXIII. poſt meridiem conjicitur a Nic. Toinardo l. c. p. 83 & 148. nec niſi ſub paucarum horarum diſcrimine a Bullialdo ex tabulis Philolaicis; ita tamen ut luna haud ſatis a Sole diſtans non potuerit illa veſpera ſpectari. At potuit altero die de ea referi & conſecrari menſis Niſan. Decima tum lunaris epacta numerabatur. Ergo nova luna in diem XX Martii, plena in III. Aprilis incidit. Conſtat vero ex ſolari epacta IV, eum Aprilis diem adſcribendum eſſe ſextæ feriæ, ſeu diei Veneris. Ergo præcedens dies Jovis fuit dies XIV Niſan. Conf. Sam. Basnage Annal. polit. eccl. T. I. p. 557. a.

i) Poſt cœnam agni nihil guſtare amplius oportuit, quam fruſtulum placentæ azymæ, ut ſapor ejus ori inhæreret, & calicem εὐλογίας. Ritu non diſſimili Servator panem illum & calicem ſumſit, & in nova ſalutis myſteria conſecravit, voluitque memores omnes eſſe, velut in prima cœna abolitæ ſervitutis Aegyptiacæ, ita in altera excuſſæ per mortem Chriſti ſervitutis ſub jugo peccati & Satanæ. Paul. Fagius in Exod. XII. 43 diem XV Niſan eundem eſſe oſtendit, qui per Meſſiam redemit, & olim a jugo Aegypti.

tis inſtruxit, inſtantis fati vias, æterni decreti fontes & ineffabile Patrem inter filiumque & fideles communionem expoſuit, certum ad rogantium vota Patris adſenſum, ampla Spiritus ſancti munera, & poſt brevis temporis luctum gaudii perennitatem promiſit, ſimulque ſalutaris doctrinæ & redundantis ex juſtitia ſua in univerſum orbem meriti teſtes eos & præcones eſſe voluit; jam totus ad aſpera illa ſubeunda, quæ imminere ſenſit, mirifico animi robore converſus ſurrexit, iis ultro, ad quæ Patris voluntas vocabat, obviam iturus. Ita cum ſuis porta egreſſus rivum Kidron tranſiit, urbi montique oliveti interjacentem, & ad villam Gethſemane circa radicem montis ſitam ſe contulit, hortumque ibidem adiit, gratum olim piæ ſolitudinis perfugium, nunc vero ſceleſtis opprimendæ innocentiæ conſiliis proditum. Hic tota in eum tenebrarum poteſtas inſurgere, & denſa undique nubes circa ſanctiſſimum caput ejus, tanquam unicam omnium telorum metam, coorta tetrum exonerare ſinum coepit. Maxime vero cum ſub deformi ex cicatricibus peccatorum noſtrorum habitu ſe jam ipſum divino judicio ſiſteret, nil poteſt cum angoribus illis comparari, quæ tam puram, & nullius culpæ quam noſtræ ſibi conſciam, animam excruciarunt. Igitur ſaucium ad mortem ac ſub pondere ſuo quaſi depreſſum animum declarat *k*) diſcipulis, eosque ad vigilias precesque ſecum conjungendas iterum iterumque cohortatur. Luctari eum videmus cum ſenſu immi-

k) *λυπεῖσθαι*, *ἐκθαμβεῖσθαι*, *ἀδημονεῖν*, *ἀγονᾶν*, verba ſunt, quæ hic graviſſimum adflicti animi ſtatum, quantum per humana verba licet, delineant. Περίλυπός ἐςι, inquit Servator *ἡ ψυχή μȣ ἕως θανάτȣ.* Matth. XXVI. 38. ubi *περίλυπος ἡ ψυχὴ*, cui *περιχαρὴς* opponitur, irruentes ab omni latere angoris moerorisque cauſſas, & continuo quidem ad mortem onere incumbentes, graviter nec tamen plene exprimit. Quid opus eſt, cum vim illam malorum nulla adſequatur cogitatio, fabuloſi aliquid adſpergere? velut illud Baronii ex Beda, quod veſtigia genuum procumbentis Chriſti diu in lapidibus ejus loci exſtiterint. Non pietas tam corporea res eſt, ut lapidum æſtimanda lituris ſit. Neque tamen prorſus negare auſim illa veſtigia, quia iisdem deinceps locis orantes Chriſtianos diu procubuiſſe legimus.

imminentis mali, & anxio ejus vel declinandi vel mitigandi voto. Votum hoc erat innocentiſſimi animi, iram Patris mox ſuſtinendam ſub toto imminentium aerumnarum complexu præſentientis. Terribilis ſcena erat, in manu Patris arma judicis conſpicere, & ab illo ſinu, in quem ab aeterno receptus fuerat, ad tempus velut excludi, certe ſub iſta alienæ injuſtitiæ nube tantis tenebris mergi, per quas vix tenuis cœleſtis gratiæ radius penetraret. Ter & enixe tranſitum horæ flagitat, cujus jam apud eum, ut hominem, poſito vadimonio arbitrium non erat, minime vero, quod, quæ ſubeunda erant, fugeret, ſed quod ad iram Patris, brevi licet quieturam, totus contremiſceret. Non enim ignarus, operi redimendi generis humani adnuere Patrem, ſub hac tamen ſola cogitatione, hoſtem nunc fore, longe vehementius trepidavit, quam ejusdem ſuo ſanguine placandi legem extimuit. Verus homo fuit, a quo naturalis tam ſævæ mortis horror, ſub incumbente divina ira longe acrior, abeſſe non potuit. Noſtra intererat, intelligere, quanti conſtiterit ſalus noſtra Servatori, cum ſenſum extremi mali, qui omnem naturæ humanæ conſtantiam concuſſit, vinceret. Quanto fervore animi in vultum pronus & in ardentiſſimas preces effuſus pugnat cum Patre, ne ejus, licet ſeveriſſimi in ſuſcepta culpa ultoris, ſolatio careat! En in agone conſtitutus orat ἐκτενέστερος, & ſudoris fundit non guttas, ſed quaſi grumos ſanguinis in terram deciduos *l*). O quanti ango-

l) ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος Luc. XXII. 44. Juſtinus Martyr, dum ſudoris illius in dialogo Tryph. meminit, vocem ſanguinis omittit, at Irenæus globos ſanguineos vocat. Theophilactus vim proverbii habere ait, vehementer adflictos ſanguinem ſudare, amariſſime flentes ſanguinem flere. Nec diſſentiunt inter veteres Photius, inter recentiores Pricæus, contra quos diſputant Suicerus & Sagittarius, velut contra Grotium & Calixtum, qui ſudorem tantum aquoſum, ſed craſſiuſculum, hinc inſtar cruenti, ex voce ὡσεὶ colligunt, Calovius. A Grotio parum differt Jo. Clericus, qui ſudorem ait ea copia defluxiſſe, ut guttæ ſanguinis in humum cadere viderentur. Hiſt. eccl. S. I. & II. p. 3[illegible]2. ad finem §. 42. Posnerus, Sagittarius, Basnagius & alii negant in ipſo ſudore ſanguineo ſe aliquid deprehendere, quod facultatem Naturæ excedat. Neque illam ſententiam Melanchton, Chemnitzius & plures optimæ famæ Theologi

angoris cruentus ille ſudor eſt indicium! Intendi motum ſanguinis magna animi contentione, ut per dilatata minora vaſa, quæ lege naturali non ſubit, urgeri expellique poſſit, haud inficior; id vero ab ardore precum contigiſſe, unicum puto Chriſti cum Patre luctantis exemplum eſſe, non noſtro tepori convenire, cujus etiam piiſſimi homines, ſi preces eorum cum illis Chriſti contuleris, rei ſunt.

§. IV.

logi inter indicia diſſenſus ſui referunt. Haud facile vaſa theſaurum illum ſanguinis in anguſtiis cutaneis effundunt, niſi vitio laborent, vel magno animi adfectu dilatentur. Ariſtoteles laxis accidere ait περίτωμα ἁιματῶδες de part. animal, III. 5. Op. Duval. Vol. II. p. 573. B. & Jo. Fernelius ſanguinem vidit e venis cutaneis per varia loca effuſum. Pathol. L. VI. C. 4. Gu. Rondelet ſtudioſi cujusdam cruentum & glutinoſum ſudorem deſcribit L. IV. de dignoſc. morb. C. II. immo Henricus ab Heers adſtitit ſudanti & guttatim e poris ſtillantem ſanguinem conſpexit, Obſ. med. 23. Sed hæc & alia, quæ apud Greg. Horſtium, Thom. Bartholinum, Marc. Donatum, Joel Langelot pluresve occurrunt, morboſum corpus, quod tribui Servatori nequit, ſupponunt. Simile tamen in ſanis vehemens animi contentio parit. Apud Maldonatum in Matth. XXIX. robuſti hominis fit mentio, poſt auditam mortis ſententiam ſudore ſanguineo perfuſi. J. A. Thuanus L. XI. hiſt. Ed. Lond. V. I. p. 373. ſcribit urbis obſeſſæ præfectum ad colloquia cum hoſte evocatum & minis mortis territum pariter toto corpore ſanguinem ſudaſſe, quale & in homine factum eſt a Sixto V. pontifice ad mortem damnato, repulſis omnibus, qui pro ſalute ejus deprecabantur. Neque vero ille metus in Chriſtum cadit. Balth. Codinus fortitudini & audaciæ eandem vim tribuit, unde Alexandro M. ſudor cruentus manavit. Plus momenti eſt in illa ingenti precum lucta cum Patre cœleſti, unde cruentum Chriſti ſudorem derivemus. Non placet ſententia J. Jac. Scheuchzeri, qui ſudorem Chriſti angelo cælitus venienti & roboranti adſcribit, in phyſ. ſacr. Tab. 1770. p. 1304. Præivit in hanc ſententiam St. Clotz de ſud. Chriſt. Exerc. XVIII. n. 12. Verum ſub hoc auxilio ſedatos motus non turbulentiores concipere fas eſt. Potius clamoribus illis ad Patrem, lacrymis & ſudoribus ſupervenit angelica conſolatio, & animum eo momento, quo tum humanum tum divinum auxilium fere defecit, immenſis doloribus merſum erexit, & gloria obſequii inque totum orbem redundantis meriti confirmavit Hic etiam ſtatus magnæ exinanitionis fuit, ſuſpenſa tantiſper divina virtute, illa, quæ longe inferior eſſet, angelica refoveri.

§. IV.

Teporem certe diſcipulorum & ſomnolentiam nec iteratum in præſenti periculo magiſtri monitum excuſſit, cum jam proditor male vigil ſub oſculi inſidiis immineret *m*), & armatam manum ad illud proditionis ſignum e longinquo attentam poſt ſe traheret *n*). Pavor primum divinitus immiſſus audaces tanquam turbine proſtravit, ut nempe intelligerent, nihil ſe adverſus eum poſſe, niſi quantum ipſe permitteret. In hoc autem poteſtatis ſigno, quod probos attentosque retrahere a coeptis poterat, adquieſcens ac legionibus plusquam duodecim angelorum, quos in ſubſidium promte ituros petere a Patre poterat, renuntians, Petri etiam, quem forte dejectorum unico magiſtri verbo militum prodigium excitavit, intempeſtive ſuccurrentis manum cohibuit, ſeque totum impiorum arbitrio permiſit. Ab his ligatus media nocte raptusque ad tribunal nunc ſacrum nunc civile, quam non linguæ & manus in ſe ſævientis pertulit petulantiam? Quidquid culpæ finxit mercenaria teſtium concio in tanto judicum favore, ne his quidem ipſis ſuggeſſit, quo niti non puderet: donec pontifex ſub omni religionis vinculo ingenuam confeſſionem, an Dei filius eſſet? deſiderans, eo non abnuente, veſtem laceraret, quaſi nihil audiri irreligioſius poſſet. Hinc lata primum in anguſtiori & ſub ortum diei confirmata in pleniori ſenatu mortis ſententia *o*), quæ vel feci miniſtrantium veniam indulſit illu-

m) Singulare eſt, quod primi Chriſtiani hujus oſculi memoriam deteſtati diu a mutuo oſculo abſtinuerint. v. Amalar. Fortunat. de eccl. Off. L. I. C. 13. Oſculum, ſi non proditionis, certe frigidi amoris & per conſuetudinem vile Martialis in Lino exagitat, ipſa hieme ſolito obvios omnes nivali oſculo tenere & totam baſiare Romam Ep. VII. v. 94.

n) Id non obſcure colligitur ex Matth. XXVI. 48-50. Marc. XIV. 44-46. ubi antequam vincula injicerent, proditor deoſculatus eſt Jeſum, προσελθὼν ἀυτῷ. Clarius etiam Luc. XXII. 47. præceſſiſſe reliquos dicitur, προήρχητο ἀυτȣς. Secus ſentiunt Sam. Basnagius, C. A. Heumannus & alii ex loco Joan. XVIII. 4. 5.

o) Impie & contra morem præcipitata. Erat alioqui poſt latam ſententiam mora, & aditus per diem noctemque patebat ad judicem omnibus, qui

illudendi, pugnis contundendi, in faciem inſpuendi *p*), ad prætorium Pilati, qui tum quinto anno rebus Judææ præfuit, ut ex ſuffragio ejus novus juſtitiæ color accederet, devoluta eſt. Poterant quidem pontifices maximi cum ſenatu, ſervata quippe, licet limitata priſci juris exercendi libertate mortem ipſi irrogare *q*); at certe crucis pœna haud congruebat eorum legibus, neque

qui cauſſam damnati tueri poſſent. Nam Deuter. XIX. 18. 19. judices jubentur provide inquirere, & facere falſo teſti, quæ molitus fuerat fratri. Hinc & Sanhedrim C. 4. præcipit, ab iis incipere, quæ reum excuſant non gravant. Cur hic idem non fieret, fecit pſeudoprophetæ calumnia. Talem enim tanquam למית incitatorem ad idololatriam tollere cito licebat, nihil in defenſionem admittere, ſuſpectos etiam teſtes audire, v. Fagii not. ad Deuter. XVII. Summæ aſtutiæ hic erat, decreta noctis, antequam populus attenderet, ſub ortu diei exſequi, & turbas, quas metuebant, ſub majoris judicii auctoritate cohibere, aditumque ad prætorium Pilati ſceleſtis ſuæ factionis hominibus, globo veluti facto & alios arcente, implere.

p) Si Matthæus voces κολαφίζειν & ῥαπίζειν conjungit, illud de pugnis hoc de palmis intelligendum eſt, quibus ſacram contuderunt faciem. Conf. P. Fabri agoniſt. L. I. C. 19. Hoc Juvencus rite diſtinguit:

Et palmæ in malis colaphique in vertice crebri
Inſultant.

Plus etiam omni ævo contumeliæ fuit, ſpuere in faciem. Quale & olim probis, ut Ariſtidi, contigit, qui cum ad ſupplicium duceretur, & omnes, quotquot occurrerent, dejectis oculis ingemiſcerent, tanquam non in juſtum ſed ipſam juſtitiam animadverteretur, fuit tamen, qui faciem ejus inſpueret. Tum placide Ariſtides abſterſo ſputo ad comitem, mone, inquit, ne ille poſthac tam improbe oſcitet. Senec. conſol. ad Helviam C. 13.

q) Id vero jus vitæ & necis an ſub Chriſti morte apud Judæos adhuc integrum fuerit? doctiſſimos inter ſe viros contendere video. Jo. Buxtorfius & Lightfoot ipſos doctores Talmudicos citant, qui quadraginta annis ante excidium urbis & poſtremi templi excidiſſe Judæos hoc jure teſtantur. Idem apud Maimonidem & Moſen Mikotſi aliosve occurrit. Sunt, qui jam ante illa tempora & ſtatim ab Archelai exilio jus illud ſublatum fuiſſe cum Joſ. Scaligero, Jo. Druſio, Theod. Beza, P. D. Huetio pluribusve evincere nituntur. Multa ad hanc ſententiam fulciendam promunt Sam. Basnagius, Conr. Ikenius, & J. G. Carpzovius, ſuffragante celeb. Heumanno noſtro & verbis Joan. XVIII. 31. inhærente, quibus ipſi

neque cum ſuſpendiis occiſorum, quæ aliquando locum habuerunt, confundi debet *r*). Erat autem ſervorum pœna apud Ro-

ipſi Judæi agnoſcere videntur, id ſibi juris non eſſe. Jam olim Chryſoſtomus mota quæſtione, cur ad Pilatum res delata ſit? reſpondit, Judæorum rempublicam tunc in poteſtate Romanorum fuiſſe. Contrariam ſententiam Seldenus, Bynæus, Fabricius, Wolfius, Rus & inprimis Deylingius Obſ. ſacr. P. II. O. 33. p. m. 414. tuentur, nixi partim loco Joannis XIX. 6. ubi Pilatus ipſe ſuadet Judæis mortem ex ſuis legibus irrogare, partim teſtimonio Joſephi Antiqu. Jud. L. XIV, Romanos non turbaſſe, quæ cultum Dei & leges gentis ſpectarent, partim exemplis ſupplicii manifeſte ſumti & in actis Apoſtolorum non uno loco occurrentis, nec ſub Agrippa ſolum, cui ad tempus cum ſceptro jura vitæ & necis in ſubditos reſtituta a Romanis dixeris, ſed & ipſo ſynedrio. Illa vero ex Talmudicis excerpta ut ambigua & mutila rejiciunt: verba denique Judæorum, ſibi non licere ad mortem condemnare, reſtringunt ad naturam cauſſæ jura Cæſarea violantis. In hæc enim ne inquirere quidem licuit, cum in rebus ſuæ gentis non modo tunc temporis, ſed & in ipſa captivitate Babylonica, integrum fuerit decernere. Neque proinde opus eſt, ut dicta conciliet Bern. Lamy, qui ſententiam mortis apud Judæos fuiſſe ſtatuit, jus exſequendi apud Romanos. Comm. in harm. Ev. L. V. C. 31. p. m. 562. Qui divinam majeſtatem læſerat, potuit Judæorum lege lapidari, qui Cæſaream, more Romanorum cruci adfigi. Mixto hic utriusque cauſſæ momento crucem ipſi Judæi poſcebant, quam dictare non poterant. Igitur, quod faterentur ſe non poſſe, id merito Bened. Aretius & Edm. Merillus ad crucis ſupplicium reſtringunt, minus concinne alii ad ſacrum tempus paſchale, nulla ſibi cæde contamidum, cui ſententiæ præiverunt Cyrillus & Auguſtinus.

r) Quatuor ſuppliciorum genera erant, quæ ex lege Moſis & forenſi Judæorum diſciplina in Talmudicis illuſtrata referuntur, lapidibus obruere, capite plectere, linteis collo injectis ſuffocare, comburere. Lapidatio combuſtione, combuſtio gravior habita eſt gladio, gladius ſtrangulatione. Has quatuor poenas unice apud Judæos legitimas vocat Maimonides. Addunt aliqui καταποντισμὸν ſeu immerſionem in mare, quo Chriſtus reſpexiſſe creditur Marc. IX. 42. At hanc pœnam Græcis & Romanis non infrequentem, qualis Clementi Romano contigit, priſcis etiam Judæis uſitatam fuiſſe, ſolus videtur Hieronymus adſeveraſſe, Comm. in Matth. XVIII. Fuſius pænarum illarum genium & uſum expendunt J. Cochius in notis ad Sanhedrim p. 57. W. Schickhard. de jure regio hebr. C. IV. p. 105. A. Reland. antiqu. Jud. T. II. C. 8. §. 5. Conr. Ikenius antiqu. hebr. P. II. C. V. §. 44. p. 420. Scio, Baronium, Bezam,

Romanos *s*), nobilium quoque apud Carthaginenſes, Parthos & Macedones. Igitur duplici calumnia opus erat, tum quod Servator Dei filium, tum quod violato Cæſaris jure regem ſe Judæorum jactaſſet. Et neutrum diſſimulavit Servator, filium Dei in ipſo ſynedrio, regem coram Pilato ſe profeſſus. Prius ſi punire in illo, tanquam, quæ Dei ſunt, ſibi arrogante ipſi poterant, alterum tamen ad procuratores Cæſaris & vicarios pertinebat, ad quos gaudebant, rem omnem deferri poſſe, partim, ut culpam odii, & invidiæ declinarent, partim ut durius Romanorum ſupplicium, quod rebelles ſervili crucis poena citra moram *t*) adficeret, impetrarent, adeoque Chriſtus in maledicto ligno ſuſpenſus e ſectatorum animis eo certius tolleretur.

§. V.

Bezam, Lipſium & alios etiam crucis pœnam a Judæorum moribus haud prorſus alienam judicare, ſub eo tantum diſcrimine, quod Romani pedes manusque clavis adfixerint, Judæi tantum laqueis adſtrinxerint. Verum ut illud προσηλῶσθαι mortem Chriſti maxime determinat, ſecundum Pſ. XXII. 17. ita tale vivorum ſupplicium apud Judæos ſub ipſo ſcriptorum ſuorum teſtimonio plane nullum locum reperit, quamvis iis poſt prægreſſam lapidationem vel ſuffocationem in more fuerit occiſorum cadavera in ligno usque ad Solis occaſum ſuſpendere & ſepelire deinceps: quo ſpectant loca Deut. XXI. 22. Joſuæ X. 26. VIII. 29. 2 Sam. IV. 12. XXI. 9. Satis etiam evicit Iſ. Caſaubonus, crucis ſupplicium Judæos neſciviſſe Lanſellio temere repugnante. Conf. B. Lamy Comm. in harm. Ev. L. V. C. 33. v. 10. p. m. 584. S. Basnage Annal. pol. eccl. T. I. p. 389. Hic etiam p. 291. recte concludit, crucem apud Judæos non potuiſſe uſui eſſe, cum leges Moſaicæ requirerent, ut unus idemque dies mortem adferret & ſepulturam. At cruciarius eodem die cruci adfigi & mori non potuit, niſi accederet, quod abrumperet vitam. Si Alexandrum Haſomonæum legimus octingentos Judæos rebelles cruci adfigi juſſiſſe, id non patria lege ſed conſuetudine Romanorum & Parthorum feciſſe, ex Joſepho diſcimus, L. XIII. antiq. Jud. C. 14. Edit. Hauerc. T. I. p. 673.

s) Hinc Tacitus, Capitolinus, Vulcatius & alii ſupplicium ſervile vocant. Ille apud Plautum ſervulus mil. glor. A. II. S. 4. v. 19. 20 ſcio inquit crucem mihi futuram ſepulturam, ibi majores mei ſiti ſunt, pater, avus, proavus, abavus. Raro certe contigit, ut Romani in alios hanc poenam irrogarent, niſi aliquando in prædones, ſeditioſos vel transfugas, quos meruiſſe ſervile ſupplicium credebant.

t) Paucis annis ante ſub Tiberio cautum fuit ſenatus conſulto, damnatorum

§. V.

Pilatus nihil in accuſato deprehendens criminis, nihil non improbitatis & invidiæ in accuſantibus, nunc ad hos revolvere tam improbæ ſententiæ arbitrium, nunc ad Herodis tribunal examen cauſſæ transferre cupiens, mox populo optionem relinquens, cujus ſalutem malit, Chriſti tot beneficiis, an Barrabæ tot ſceleribus ſibi cogniti? ſpe autem omni deluſus & tertium inſtans, quid vero mali fecit? tandem juſtæ, quam agnovit, cauſſæ patrocinium metu ſeditionis deſeruit, & primum lenire animos flagellati Chriſti ſanguine conſtituit. Cæſus non virgis eſt, quod honeſtius habitum, licet nec iis in civem Romanum ſævire per legem Porciam liceret, ſed loris flagrisque *u*), ſub quibus ad brevem columnam, quæ ultra femora non perrexit, ſolito

torum pœnas ſemper in decimum diem differre. Sueton. Tib. C. 75. Rebelles vero & ſeditioſos illa legis indulgentia excluſit, quod publicæ videretur rei intereſſe, tales ſtatim puniri. Hoc colore eludere quodammodo culpam Pilatus potuit, quem publici hic decreti violati Cæſ. Baronius inſimulat, Annal. XXXIV. n. 91. Putidum proinde mendacium eſt in codice Sanhedrim p. 43. præconem per dies quadraginta præceſſiſſe Jeſum, ut ſi quis noſſet pro eo meritum, veniret & indicaret; cum nullus veniſſet, ſuſpenſum eſſe veſpera paſchatis. Auribus ſane judicum decretum erat obſurdeſcere ad omnium vota & ſibimet ipſis cognita innocentiæ teſtimonia.

u) Verba μαςιγῦν καὶ φραγελλῦν (Briſſonius legit φλαγελλῦν, quia manifeſte latinæ originis) de locis & flagris, conſueta pœna ſervorum & cruci adfigendorum, accipienda eſſe, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus aliique agnoſcunt, modumque Lipſius ex Plauto, Artemidoro, Euſebio, pluribusve illuſtrat. Judaica flagellatio loro vitulino proſtratos humi quadragies cædere poterat. Deuter. XXV. 3. At Romana ſævitia in tali numero non adquievit, & aculeata flagella, vel taxillata & pecuinis oſſibus catenata, vel contortis tæniis lanioſi velleris inſtructa adhibuit, miſeris columnæ ad femur adligatis, ut corpus magis pateret verberibus. Conf. Alph. Paleot. de ſtigmat. Chriſt. c. not. Dan. Mallonii C. V. Et hic fabularum ſordes adſperguntur. Si Landolpho credimus de vita Chriſti, verbera 5475 ei ingeſta ſunt. Columnæ ſuo ævo ſuperſtitis meminit Hieronymus in Ep. ad Euſtoch.

ſolito modo ligatus & toto corpore ex Romanorum more nudus *x*) barbarorum hominum, quos aliorum gemitus & calamitas delectat, furorem ſuſtinuit. Euſebius ſævitiam in flagellando deſcribens obſtupuiſſe ait, qui flagris viderint ad intimas venas miſeros lacerari, ut recondita corporis membra & ipſa viſcera conſpectui paterent *y*). Corona ſpinea duris manibus impreſſa in capite Servatoris novos cruoris fontes pungendo aperuit. Si Jano Nicio Erythræo fides eſt, quam antiqua Chriſti crucifixi imagine fulcit, ſpinæ non coronæ ſed cydaris ſpeciem, quod regium Perſarum inſigne erat, habuerunt, hinc ſub illa forma frontem, tempora, cervicem & totum fere caput rigidiſſimis ubique acuminibus perforarunt *z*). Injecta nudo corpori chlamys purpurea *a*) ex humero pendens, & arundo loco ſceptri in dextram

x) v. Gerh. Voſſii harm. Ev. L. II. C. 5. §. 14. Penitus nudum fuiſſe communis omnium opinio fuit, verba ſunt Fr. Suarez Comm. ad III. P. Thom. T. II. Qu. 46. diſp. 39. S. 4. Sic in revelat. Brigittæ L. IV. C. 70. toto corpore nudus ſiſtitur, cum flagellaretur.

y) Hiſt. eccl. L. IV. C. 15. p. m. 129. B. Sub flagellis multi miniſtrorum immanitate perierunt, teſte Ulpiano de pœn. L. VIII.

z) In ep. ad Jo. Nihuſium. Spinas illas ex acacia Bodæus, ex ſpina alba Sagittarius, ex rhamno quippe Hieroſolymis frequente poſt Hieronymum Rauwolfius & Bellonius, viri multum in iis regionibus verſati deducunt. Ex rubo petiit Clemens Alexandrinus, negante Bellonio, ſe vel rubum vel alium ſpinoſum fruticem ibi præter paucas cappares ſpinoſas vidiſſe. De rubro roſarum tanquam in hortis intra urbem obvio conjectat Wedelius. Non tango juncum marinum, qui infeſto acumine haud vacat, nec berberim, quam ſpinam Chriſti in hortis Italiæ nuncupant, quod in Matthiolum C. Bauhinus ſcribit. Inanem eſſe ſpinæ determinandæ operam cum Iſ. Caſaubono judicamus. Tot hodie ſpinas ait Th. Bartholinus a ſacrorum cuſtodibus non uno loco monſtrari, ut ad Trajanum incendium facile ſufficiant. Plus pia Grotii meditatio placet: maledictio in ſpinis coepit, in ſpinis deſiit.

a) Chlamydem purpuream Marcus & Joannis vocant, Matthæus coccineam (latinius ſi Vallæ credis, coccinam dixeris). Utriusque coloris tanquam regalis apud veteres promiſcue ſumti exempla Sam. Bochartus collegit in hieroz. P. I. p. 733. Colorem hyſginum tribuit, ſeu mixtum ex purpuræo & coccineo, veteribus frequentem, Alb. Rubens de re veſtiar. L. II. C. 14.

dextram data, qua mox percutiebant, quem flexo genu regem ſalutaverant, produnt male feriatorum hominum ludibria, hic tanquam in regem, velut in priori judicio tanquam in prophetam jactata, quem velata facie percuſſum, quis id feciſſet? percontabantur. Jam ſperat Pilatus *b*), ſe tandem feroces mollitu-rum animos, dum Chriſtum tam lacero & cruento corpore, cujus caput coronam illam, humeri pallium illud geſtabant, tanquam inter accuſationes adeo futiles jam juſto acerbius punitum ſiſtit, & adclamat turbæ: ecce homo! *c*) quaſi dixerit, isne videri vobis poteſt, qui in jura vel divina vel cæſarea involare velit aut queat? nonne talem conſpicitis, qui etiam graviſſimi flagitii reus in hoc ſtatu animos, in quibus non omnis humanitatis ſenſus exulat, flectere ad miſericordiam poſſit? Verum humani nihil in clamore omnium, Chriſtum ſepties ad necem, ut Toinardus *d*) computat, flagitantium, nihil non truculenti, & quod in exitium ejus tendat, quo omnis ſalus noſtra continetur, ſub nefario inſtinctu ſacrorum ſpecie hominum reperit. Ita ſuccumbit poſt tot

b) Quamvis mortem crucis ſemper præceſſerit mos virgis vel flagris cædendi, potuit tamen & hoc decerni ſine mortis ſententia, nec video, quam hic cenſuram Beza meruerit. Ipſa enim Pilati verba ſunt: *παιδεύσας ȣ̃ν αὐτον ἀπολύσω.* Unde & liquet factum non eſſe quæſtionis in Jeſum habendæ cauſſa, ut Grotio viſum. Nihil obſtat, quod Matthæus & Marcus, hic flagella & mortem conjunxerint, quaſi unius temporis ſententiæ fuerint, quam diſtinctam ex Luca & Joanne facile colligas.

c) Non adparet, cur cum Sandhagenio J. R. Rus hæc verba: ecce homo! Chriſti non Pilati eſſe cenſuerit in harm. Ev. L. V. P. II. S. II. p. 1150. Minime conveniunt Chriſto, qui velut ovis coram tonſoribus ſuis obmutuit, neque aperuit os ſuum. Jeſ. LIII. 7. Siluit in ſynedrio inter graves teſtium delationes, coram Pilato deinceps & Herode, ut omnino miraretur Pilatus, quod vir communi judicio ſapiens, ſuo etiam innocens, adeoque faventem habens judicem, in ipſo capitis periculo conſtitutus, tanta fortitudine animi, cum contemtu mortis conjuncta, obmuteſceret. v. Sam. Basnage annal. pol. eccl. T. I. p. 382. §. 87.

d) Evang. harm. græc. lat. p. 122—124.

tot vana innocentiæ teſtimonia *e*) judicis diu repugnantis conſtantia, qui illis maxime verbis commotus, niſi iſtum puniat, haud Cæſaris amicum fore, nec citra rationem Tiberium veritus, quem honoris ſui in leviſſima injuriæ ſpecie rigidiſſimum vindicem norat, deſinit tueri innocentem, & quaſi ſatis ſit laviſſe manus *f*), vel culpa liberet, quod illi poenam effuſi temere ſangui-

e) Erat Pilatus, ut Philo in leg. ad Caj. ſcribit, ἀκαμπὴς καὶ ἀμείλικτος, hic vero, ubi cedere omnium minime debuit, ſuccubuit turpiter. Mireris tamen, innocentiam Servatoris a gente ſua tot beneficiis devincta minus quam a paganis hominibus, Pilato, uxore ejus & centurione agnitam eſſe. Alia ejus agnitæ exotica teſtimonia collegit Frid. Spanheim Op. T. I. p. 532 ſq. Ex Judæis proximi ævi unicum illud Joſephi elucet, Antiq. Jud. L. XVIII. C. 3. Op. T. I. p. 876. 3. ubi Chriſtus vocatur vir ſapiens, modo vir fuerit, & mirabilium operum, qui cruci a Pilato addictus tertio die ſuis redivivus adparuit. His verbis nulla repugnat priſcorum codicum fides, nulla dubitatio veteris eccleſiæ tum Græcæ tum Romanæ usque ad A. C. 1500. Primi dubitaſſe videntur Hub. Giphanius & Luc. Oſiander, mox acrius nec ſine adparatu doctrinæ impugnaſſe Jac. & Lud. Cappellus, Dav. Blondellus, & Tanaqu. Faber. P. Lambecius agnoſcit verba, at ſenſum alium admittere putat. Negari nequit, Euſebium, Epiphanium, Hieronymum, Rufinum, Ambroſium nomine Hegeſippi, Iſidorum, Sozomenum, Caſſiodorum aliosve fidem hujus teſtimonii agnoviſſe, agnoſcunt quoque hodie & tuentur, Cæſ. Baronius, Ant. Poſſevinus, Pagan. Gaudentius, Jac. Uſſerius, Th. Lanſius, Gerh. Voſſius, Jo. Coccejus, Henr. Valleſius, Jac. Altingius, Th. Reineſius, P. D. Huetius, H. Dodwell, Guil. Spencer, Sam. Parcker aliive quamplurimi. In fine T. II. Op. Joſephi Ed. Hauerc. p. 289. occurrunt libelli duo Car. Danbuz, qui ex iniquo cenſore hujus teſtimonii Joſephi ſummus deinde vindex evaſit, ſtylo, nexu rerum & aliis convictus. Præmiſit præfationem I. Ern. Grabe, qui hic divinæ providentiæ res humanas gubernantis manum agnoſcit. Tollatur potius totus Joſephus, inquit Abr. Whelock, quam illa eccleſiæ Chriſtianæ gemma.

f) Matth. XXVII. 23. munditie manuum tanquam ſymbolo teſtari voluit munditiem ſeu innocentiam animi, Judæorum, cum quibus res erat, ſecutus morem. Deut. XXI. 6. Hinc Origines Judaico non Romano uſum more dicit in Matth. homil. XXXV. Negat quoque Iſ. Caſaubonus, apud Græcos & Romanos ſe hujus conſuetudinis reperire veſtigium. Nec aliter ſentit Sam. Basnage l. c. p. 385. At Grotius aliis quoque gentibus hunc ritum tribuit, & ex Sophocle, Demoſthene, ſcho-

ſanguinis in ſua & ſuorum capita depoſcant *g*), conſentit in ſceleratorum deſideria, & conſcientiæ non minus ſuæ quam uxoris pie monentis vocem opprimens, Servatorem tanquam læſæ divinæ & humanæ majeſtatis reum, ad crucis duci ſupplicium extra urbem *h*), conſcenſo tribunali imperat *i*).

§. VI.

ſcholiaſte Ariſtophanis aliisve illuſtrat. Conf. C. Adami Obſ. theol. phil. C. 3. §. 43. p. 190. Ipſi naturæ congruit, aquæ elemento puritatem deſignare. Hos tamen, qui immundo animo id fecerint, ſcite coarguit Naſo, II. Faſt. 45.

Ah nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Exigua tolli poſſe putatis aqua!

g) Pro more veteri ſe & ſuos devovendi, ut in fœdere Smyrneorum cum Magneſiis olim adparuit. Ita Seneca Rufum ait optaſſe, ut quod male erat Cæſari ominatus, id in ſe & filios ſuos recideret. Non hæc iniqua videntur Grotio, cum poſſint poſteri ſeria ac ſolemni paternorum criminum deteſtatione piaculo ſolvi. Verum quid ſit, divinæ juſtitiæ ſe & ſuorum capita obligare, vagi per orbem poſteri Judæorum, quod nulli genti contigit, jam tot ſæculis experiuntur.

h) Velut apud Romanos ſuburbana loca erant noxiorum pœnis deſtinata, & Tacito teſte extra portam Metiam (Suetonius campum Eſquilinum vocat) more priſco in reos animadvertebatur; ita Judæi Moſis tempore extra caſtra Num. XV. 35. 36. deinde cum in urbibus habitarent, extra illas, loco ad id definito, ſontes necabant. Hinc Hebr. XIII. 12, Jeſus, ut ſanctificaret populum per proprium ſanguinem, extra portam paſſus dicitur, velut animalium, quorum ſanguinem pro peccato pontifex in ſacrarium intulit, corpora extra caſtra exurebantur.

i) Lactantius, Chryſoſtomus & alii permiſiſſe Pilatum non conſenſiſſe perhibent. At pœna erat, Romani juris propria, & ſupplicium per ſolos milites Romanos exactum, ſub cujus igitur niſi Pilati nutu & arbitrio? Conſedit in tribunali ad ſententiam ferendam, & Luc. XXIII. 24. ἐπίκρινε γενέσθαι τὸ ἄιτημα ἀυτῶν. Dedit in cruce epigraphen, corporis ſepeliendi poteſtatem conceſſit, nihil ſine ejus imperio factum. Et jam Chriſtus prædixerat, ſe traditum iri τοῖς ἔθνοισιν ἐις τὸ ςαυρῶσαι Matth. XX. 19. Quæ Pilatus de Chriſto ad Tiberium retuliſſe dicitur, multum probabilitatis non habent; attamen ipſe Tertullianus Apolog. C. V Tiberium ſcribit faviſſe Chriſto, & pro eo in Deorum numerum referendo ad ſenatum detuliſſe, cum prærogativa ſuffragii ſui: ſenatum ideo abnuiſſe, ne quem majorem Tiberio agnoſcere videretur,

qui

§. VI.

Geſtat Servator pro more damnatorum crucem transverſæ trabi adligatus, oblongam dorſo impoſitam trahens, & ſuis iterum exuta chlamyde veſtimentis involutus. At quid non novi doloris ex crudi & glutineſcentis vulneris frictu ſub rudi veſtium mutatione oritur? Fame aûtem & vigiliis totque animi corporisque vulneribus confectus, ex ipſa ſententia ſæviſſimorum comitum, qui flagrorum ſtimulos vacillantibus in via ſubjicere ſolebant, eguit adjutore in cruce portanda. Semper moris erat, ut cruciarii totam crucem ad locum ſupplicii portarent *k*), hinc patet, cum Chriſtus ſub illo onere deficeret *l*), quanto plus præcedentis ſævitiæ fuerit. In Simonis igitur Cyrenæi, extra portam ſibi obvii, qui indoluiſſe tantis malis & hinc ſectatoris videtur ſpeciem præbuiſſe, humeros crucem ex parte transferunt *m*). Hic

qui oblatam divinitatem, templa & ſacerdotia ſpreverat. Addit, Cæſarem in ſententia perſtitiſſe, comminatum pericula accuſatoribus Chriſti. Hæc ſunt inquit Frid. Spanheim, veterum munita teſtimoniis & ſic enarrata, tanquam quæ ex actis ſenatus confirmari poſſint. Op. T. I. p. 56. ubi Euſebium, Chryſoſtomum, Oroſium, Nicephorum aliosve non multo aliter referentes citat. Haud ſecus judicant Baronius, Caſaubonus, Pearſon & Huetius. Vix tamen illa Tiberio convenire dixerit, qui negligentiam ejus in rebus ſacris, odium in Judæos, auctoritatem in ſenatum conſiderat. v. Sam. Basnage exercit. in Baron. ad A. 35. n. 29. p. 136 ſq. Pilatum certe tam improbi judicii auctorem vindicta a tergo celeriter inſecuta eſt. De eo Viennam in exilium pulſo (ut Herode Lugdunum) refert Joſephus L. XVIII. antiq. C. 7. Excerptum Jo. Malalæ Antiocheni ſiſtit Frid. Spanheim Op. T. II. p. 388. in quo capite plexum juſſu Neronis Pilatum eſſe legimus, quod virum tam inculpatum & mirabilem morti tradiderit.

k) Plutarchus de tard. vind. Numinis ἕκαστος inquit ἐκφέρει τὸν ἑαυτοῦ σταυρὸν & Artemidorus Onirocrit. L. II. C. 61. ὁ μέλλων τῷ σταυρῷ προσηλοῦσθαι πρότερον αὐτὸν βαστάζει.

l) Ajunt Chriſtum ter in via concidiſſe, primum non longe a lithoſtroto, inde paululum extra portam, tertium ad radicem montis calvariæ. Sed hæc ex apocryphis.

m) Matth. XXVII. 32. Videtur Simon levaſſe a tergo Servatorem ſub onere præeuntem, non totam, ut Voſſio, Salmaſio, Bynæo, olim quo-

Hic crucis formam & adfigendi modum juvat paucis inſpicere. Conſiſtebat ex tribus lignis, ex quibus primum, quod cruciale vocant, erecta ſtatione in terram defigebatur, alterum transverſum antennæ nomen & ſpeciem gerebat, cui extenſis brachiis manus adpendi adfigique ſolebant, tertium ſedile erat in medio crucili prominens, & corpus, ne ruptis vel laxatis pedum manuumque tendinibus *n*) rueret, ſuſtentans. Irenæi enim, Juſtini Martyris & Tertulliani, quippe eo ævo, quo hoc ſupplicii genus adhuc frequens erat, ſuperſtitum teſtimonia *o*) ſine dubio iis,

quoque Hieronymo, Origeni, Auguſtino & pluribus placuit, crucem tuliſſe. Nam Joan. XIX. 17, Servatorem portaſſe crucem legimus ad locum, qui dicitur Golgatha, cui reſpondet typus Iſaaci, qui cum a patre hoſtia duceretur, lignum ipſe ſibi portavit in montem Moria, cujus pars eſt Golgatha, v. I. Pearſon. Expoſ. ſymb. Ap. p. 356.

n) Nic. Fontanus in Ep. ad Jo. Nihuſium ad quæſtionem, an manus cruciarii clavis transfixæ potuerint totum corpus ſuſtinere? multa hominum tendinoſis locis ſuſpenſorum exempla adducit, id etiam addit, clavos craſſos, uti minus diſcindunt, ita plus ſuſtinere, quo propius ad carpum infixi fuerint. Quin & ipſi carpo inſixos fuiſſe, Janus Nicius Erythræus in dicta Ep. ad Nihuſium ex antiqua imagine Chriſti crucifixi perſuadere nititur. Hinc clavos in carpo infixos Rubenius pinxit, litem movente Jo. Cramuele Lobkowitz. Oſtendit vero Th. Bartholinus de cruce hyp. 1. §. 9 tam craſſos clavos non potuiſſe ſupra manum infigi, quin ob magna vaſa perforata celerem mortem attuliſſent. Simpliciter Zach. XIII. 6 quid plagæ illæ inter manus tuas? vulgata vertit: in medio manuum tuarum. Nonnus in Joann. παλάμας, palmas habet. Non nego, tendines magna corporum pondera ſuſtinere nec rumpi, ſub tabido tamen vicinarum partium deliquio laxatos ſenſim cedere neceſſe eſt. Moris autem erat, ſuſpenſos plenæ corruptionis in cruce fato relinquere, hinc ne exciderent, de firmiori ſitu cogitare. Hic pondus penduli corporis & tabes, dilatans neceſſario manuum foramina, corporis aliter non ſuffulti ruinas peperiſſent. Quod neceſſarium in medio ſedile confirmat.

o) Irenæus, dum fines ſeu ſummitates crucis, duas in longitudine, duas in latitudine deſcribit, quintam in medio collocat, ubi requieſcit, qui cruci adfigitur, adv. hæreſ. L. II. C. 42. Op. Edit. Gallaſ. p. 142. Juſtinus Martyr hoc lignum in medio, ut cornu eminere ait, in quo vehuntur & inequitant, qui crucis ſupplicium ſubeunt, ἐποχȣ͂νται οἱ ϛαυρομένοι. Vocat τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνυμένον ὡς κέρας in dial. cum Tryph.

iis, quæ auctores poſt abolitam crucis pœnam perhibent, adeoque & Gregorio Turonenſi *p*), ad quem plerique provocant, immo fabulæ ipſius crucis dominicæ ab Helena repertæ *q*) merito præ-

Tryph. Jud. Op. p. m. 318. D. Tertulliano, qui crucem ad formam T (vel potius ┬, ut media linea ſuperne extet pro epigraphe) deſcribit, media ſtipitis palus unicornis dicitur &, alio loco antenna cum exceſſu ſedilis. L. II. adv. nation. it. adv. Marcion. L. III. C. 18. Op. p. 810. E. Hunc igitur locum in medio indigitatum, in quo requieſcit & inſidet homo, quis non a ſuppedaneo diſtinguat? quod Lanſellius Jeſuita, Nic. Fullonus, P. Molinæus, B. Nihuſius & alii ſubſtituunt, Scaligero utrumque agnoſcente & Japonenſium exemplo illuſtrante. Sed de hoc paullo poſt. Audet Jan. Nicius Erythræus in Ep. ad Jo. Nihuſium hæc teſtimonia convellere, & erroris arguere Irenæum & Juſtinum, quod ſui ævi cruces ejusdem putaverint formæ fuiſſe quam crucem Chriſti. Ait, ſe æneam Chriſti crucifixi imaginem in cryptis, ubi cum primis Chriſtianis latuerit, a fratre repertam vidiſſe, quæ non in medio palum extrorſum extantem, ſed ſub pedibus tabulam habuerit. Nihil ficta illa imaginis antiquitas derogat antiquiori fine dubio ſententiæ patrum, qui a primo ævo non nimis remoti ſæpe viderunt cruci adfixos, & notaſſent diſcrimen, ſi quod fuiſſet, inter crucem Chriſti & cruces ſui ævi.

p) De gloria martyr. L. I. C. VI. Stantis ſupra tabulam adfixas fuiſſe plantas dicit auctor, quem non αὐτοψία ſed imaginatio docuit, ut verbis Sam. Basnagii utar. Primus id ſtatuit Gregorius ſub fine Seculi VI & initio VII, deinde Beda, ſeculo junior. Recentior longe eſt græca moneta, quam a Villerio miſſam Lipſius vidit, nec non aliæ Chriſti crucifixi imagines a F. Feuardentio, Corn. Curtio pluribusque, ut idem probent, deſcriptæ. Nihil horum Gregorii ævum ſuperat. At quam traditionem finxere deinde cruces, ab initio ſine corpore crucifixi, hinc nec expreſſo ſedilis in medio exceſſu.

q) Repertam ab Helena eſſe, matre Conſtantini M. Socrates, Sozomenus, Theodoretus credunt, poſtquam diu in abditiſſimis ſpeluncarum receſſibus latuit. Fabulam eſſe, vel ex ſilentio Euſebii colligimus, ſub iisdem fere annis cum Conſtantino M. nati & mortui. Is vero laudes Conſtantini & res geſtas, etiam in terra ſancta, ſepulchrum Chriſti, Helenæ ſtudium in viſitandis locis illis, & alia, quæ huc pertinent, fuſe recenſet. In obſidione Titi & excidio Hadriani, quibus vaſtata omnia in urbe & extra eam, quid crucem tueri potuit, quid etiam in latebris arcere cariem intra tot ſecula? Si tanti fuerit ſervare crucem, cur non apoſtolos de eo cogitaſſe legimus? cur non a Pilato Joſephus, ut

præferuntur. Secundum priores igitur ſubacuta erat mediæ crucis prominentia r), quæ & cruciaret, & ſedem præberet, & adfigendi moleſtiam levaret, nec ſcabelli, quod alii ſubſtituunt, ſuppedanei apud illos mentio fit, nec uſus probari poteſt s).

§. VII.

ut corpus Chriſti, ita & crucem petiit? quid de clavis crucis Helenæ dicendum, quos filii galero infigi curavit, & ex quibus Trevirenſes clavum dextri pedis ſe poſſidere jactant? Reliquias hodie crucis vix navem onuſtam capere, ſenſit olim Erasmus, at pluribus fabulam, in iis, quæ de cruce ad Th. Bartholinum ſcripſit, Salmaſius excuſſit, quædam mitigante Voſſio H. Ev. L. II. C. 7. §. 33.

r) Hinc Seneca Ep. 101. ad Lucil. votum Mæcenatis, ſi acuta cruce ſedeat, vitam optantis damnans miratur, non finem ſed moram ſupplicii optari, dum acuta crux ſeſſuro ſubjicitur. Sam. Basnage contra Scaligerum hic crucem intelligit per obſcœna actum. At talem hominem nimis improprie dixeris inſidere cruci, cui totum corpus infixum hæret. Cornu prominuit non ſine acutie, licet non fuerit ex Scaligeri judicio cuſpis ferrea.

s) Cujus nec mentio fit apud Theodoretum, Sozomenum, Nicephorum Calliſtum & alios, ante Conſtantini M. ævum, nec uſus in adſcendendo, vel pedibus ſuſtinendis, probari poteſt, licet Bellarminus, Gretſerus, Nihuſius & plures pro eo pugnent ex veterum imaguncularum intuitu. Erant pedes ſuffixorum ad diſtantiam trium circiter pedum a terra, ut ex hac in ſedile ſe attollere vel ab aliis attolli, velut ſtrator in equum ſublevat, ſine ſcabelli interventu pronum eſſet. Hinc nullius ſcalæ fit mentio, licet eam pictores fingant, & erectæ non jacenti cruci Chriſtus adfixus ſit, quod Greg. Nazianzenus, Auguſtinus, Cyprianus, Chryſoſtomus & Nonnus in Joannem teſtantur, & recepta conſuetudo priſci ævi confirmat, v. Gerh. Voſſii harm. Ev. L. II. C. 7. §. 18. Patet vero, nec altas adeo nec magnas fuiſſe vulgares & ſerviles cruces, quod ſuam ſinguli cruciarii crucem portarent, & epigraphe cauſſam mortis nuntians legi poſſet. Adde, quod igne ſubjecto uſtulari, fumo ſuffocari, adſultu ferarum laniari, non magnam altitudinem ferat, nec reliqua, uti ſunt, crura frangere, latus aperire, bicubitalem hyſſopum cum ſpongia ori admovere. Neque crux Chriſti ceteris altior probari poteſt, licet I. Ammonius, Dan. Heinſius & Th. Bartholinus huic ſententiæ faveant, quaſi crux Chriſti latronum cruce altior fuerit, talem quoque cum Alb. Dürero multi pictores exhibeant. Silent de hoc ſacri ſcriptores, nec vero neglexerunt veteres in omni cruce extra ordinem magnitudinem definire. An plus ignominiæ in altiori cruce fuerit? non diſputo, certe id non videtur ille invidus agnoviſſe, in quem Lucilius ludit, tanquam

præ

§. VII.

Ipſos Chriſti hora diei tertia crucifixi *t*) cruciatus quis non oculus inſpicere refugit? quis non animus cum horore de ſupplicio

præ livore in cruce exſtinctum, quod alium juxta ſe in altiori ſuffixum videret. Per ludibrium Galba pœnam ejus, qui civem Romanum ſe jactabat, quaſi honore levaturus crucem ei altiorem ſtatui juſſit, Suet. in Galb. C, 9. Certe ut conſpectui paterent, in altiori plerumque loco cruces erigebantur, uti crux Servatoris in monte calvariæ, ita olim crux Policratis in excelſo montis Mycalenſis vertice.

t) Horas Judæi numerabant ab ortu Solis, ita ut circa tempus æquinoctii verni tertia eſſet, quæ noſtro calculo nona. Marcus XV. 25 horam tertiam indicat, qua crucifixus Chriſtus ſit, at Joannes IX. 14 ſextam, qua conſedit Pilatus in tribunali pro ſententia mortis ferenda. Scopo conciliandi horam, multi eam vario ſenſu conſiderant. G. G. Zeltnerus diſcrimen quæſivit horarum in horologiis Caiphæ, Pilati & Joannis. Grotius cenſuit, cum ſacrificia & preces in templo hora tertia, ſexta & nona fierent, moris fuiſſe, ſub tali hora, quidquid intermedii temporis eſſet, comprehendere, & ſic idem eſſe tertiam adpellare, vel proxime ſextam, ὥραν ὥσει ἕκτην, quæ verba Joannis ſunt. Plerique mendam irrepſiſſe ſuſpicantur, & cum Voſſio Marcum ex Joanne, vel cum Beza Joannem ex Marco corrigere tentant. Prius agnoſcit verſio Aethiopica Marci, quæ horam tertiam in ſextam mutat. Placuit idem Hieronymo ſeu auctori in Pſ. 77. Sam. Basnage etiam nimis multa interceſſiſſe putat, quam ut hora nona potuerint finita concipi, Annal. pol. eccl. T. I. p. 302. §. 136. Probabilius eſt, mendam in Joannem irrepſiſſe, ς pro Γ unde nata ὥρα ἕκτη pro τρίτη. Præterea enim, quod Nonnus, qui Joannem in græcos verſiculos transtulit, horam tertiam ſcripſerit, tum Camerarius quoque in veteri codice Evangelii S. Joannis τρίτην reperit, cui reſpondet codex Cantabrigienſis, qui olim Bezæ fuit. Inter veteres Cyrillus & Athanaſius tertiam legerunt, Petavius ad librum MStum Petri Alexandrini provocat, qui in exemplari Epheſino manu S. Joannis ſcripto tertiam horam ſe legiſſe teſtatur. Conf. Chronici Alexandr. a Radero editi p. 518. ſq. Certe de codice regio inter evangelicos vetuſtiſſimo, qui ætatem plus quam 800 annorum præ ſe fert, idem legit Nic. Toinardus, harm. Ev. not. p. 155 a. & rem illuſtrat errore prorſus ſimili in chronico paſchali, ubi menſis imperii, quo Otto Imperator violentas ſibi manus intulit, ſextus pro tertio, ς pro Γ ſcribitur. Hora omnino tertia exerceri apud Romanos judicia ſolebant, v. Grot. in Matth. XXVII. 45.

plicio cogitat tam acerbo, ignominiæ tam pleno, & viliſſimis mancipiis proprio? quod crudeliſſimum & teterrimum Cicero vocat, & abeſſe vult ab oculis, auribus & omni cogitatione hominum, aliove loco ſubjicit, rem tam nefariam nullo modo verbis ſatis dignis adpellari poſſe *u*). Extremam pœnam Apulejus & Arnobius *x*) nuncupant. Hanc ſuſtinet Servator, poſtquam vinum myrrhatum ſub acceſſu ad crucem eo ſcopo datum, ut menti tenebras offunderet, ſenſumque & metum mortis obtunderet, bibere renuit *y*). Non poterat Joannes commotum vehementer animum dignius teſtari, quam ſummo verborum compendio rem geſtam comprehendens, nunc Pilatum ſumſiſſe Jeſum & flagellaſſe, nunc illos, quibus traditus eſt, ſumſiſſe eum & crucifixiſſe *z*). At uberem doloris terrorisque materiam, cum ſolatii non minus fœcunda ſit, & ſub æſtimatione tanti meriti vel in glaciatis pectoribus amoris focum incendere poſſit, paucis attingere audeo. Sicut ſerpentis in deſerto exaltati, qui figuram non venenum ſerpentis habuit, conſpectus ſanavit; ita Chriſtum, qui figuram primi hominis in ligno peccantis non pec-

u) Or. X. in Verrem n. 165. p. m. 469. it. Or. pro Rab.

x) Apulej. L. I. Arnob. ad gent. L. III.

y) Marcus XV. 23 vinum myrrhatum, *οἶνον ἐσμυρνισμένον*, Matth. XXVII. 33. *ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον*, acetum felle mixtum vocat. Hæc facile conciliantur, cum *χολὴ* laxiori ſenſu amarorem omnem, etiam myrrhæ comprehendat, *ὄξος* vinum vile & aceſcens non excludat. Congeneres potus ſunt vinum & acetum, ſæpe etiam mixti. Inde ſtatim patet, non, quod Beza cenſuit, hunc potum fuiſſe murinam veterum, quippe lautitias vini arte facti, dulcis & odore myrrhæ conditi, quod Græcis nectar dictum eſſe, Feſtus teſtatur. Inanis quoque Baronii conjectura eſt, quam Caſaubonus diluit, odorem illum ſaporemque a vaſis myrrhatis fuiſſe, quippe nunquam tam vulgaribus. Promtius eſt myrrham, cujus ſimilis cum thure virtus eſt, vino mixtam credere. Legimus, in L. Sanhedrim, ad ſupplicium euntibus datum thuris aliquid in calice vini eſſe, ut mentem ſopiret & obfuſcaret. Data judice Hieronymo non alio ſcopo myrrha eſt, de cujus ſimili virtute v. Galen. de ſimpl. med. fac. L. XV. C. 19. Dioſc. L. II. 69.

z) Joann. XIX. 1. 16 & 18.

peccatum habuit, exaltatum in ligno intueri juvat. Hic ordo ſalutis eſt, medelam inde petere, hoſtis unde læſit, & nullam cum Paulo ſapientiam jactare, quam Chriſtum crucifixum ſcire, & crebro oculos illuc, unde vita & ſalus manat, erigere. Humana natura & vulnus in ligno & medicinam accepit. Sedentem igitur Servatorem ſubacuta cruce, diſtractum miſere totum ejus corpus, ut oſſa numerari poſſint *a*), extenſasque & primum funibus adſtrictas ad antennam manus, ad cruciale pedes, mox binis utrinque craſſioribus clavis infixis *b*) firmatas conſpicio. Pro his ipſis vero, qui violenta colligantium funium vincula injiciunt, & tetra impactis ferreis clavis vulnera infligunt, omnibusque, qui illudunt & tam triſti ſpectaculo exſultant, Servatorem audio Patrem rogare, ut ignoſcat, utpote ignaris, quantum nefas committant. Quis tantum gradum amoris inter tantos furores odii adſequi imaginando poteſt? Tertullianus perfoſſas manus cum pedibus reſpiciens, hæc proprie, inquit, crucis atrocitas eſt. Incredibilem moleſtiæ ſenſum in eo conſiſtere, quis non videt, unum tot horis ſuſtinere corporis ſitum? cum vix naturalem diu ſine crebra mutatione feras, nedum tam violentum. Immo vero tot clavis per loca nervorum tendinumque plena trajectis in iſto ſitu, ſine ſpe omni mutationis, niſi quam mors promittit, tanto temporis intervallo perſiſtere, nihil facile habet, quod fingi acerbius poſſit. Nequit tam diuturnæ extenſionis injuria ſine tardato vel ſufflaminato humorum in iſtis locis circuitu concipi, cum tenſa vaſa ſint extra poteſtatem actionis ſuæ

in

a) Sec. Pſalm. XXII. 15 & 18.

b) Adv. Marcion. L. III. C. 19. Op. p. 811. Nonnus C. 19. connexis pedibus uno clavo, *ἀζύγι γόμφῳ* ſuffixum ſcribit, alii veterum *τρισύλῳ ξύλῳ*. In qua ſententia ſunt, Greg. Nazianzenus, Apollinaris & qui revelationes S Brigittæ ediderunt. At certe Romani moris erat, quatuor clavis adfigere cruciarios. v. Plaut. Moſtell. A. II. S. 1. Ruſin. L. I. C. 8. Diſerte Gregorius Thorunenſis de gloria martyr. L. I. C. 6. duo, inquit, clavi in palmis, duo in plantis infixi ſunt. Sic apud Cyprianum, Theodoretum & alios legimus, quos citat Corn. Curtius de clav. Dom. C. 4. Aliquando per ſævitiam clavi multiplicati, v. Lipſ. de cruce L. II. C. 9. p. m. 93.

in contenta. Nequeunt tot vulnera ſub aeris liberrime circumfuſi attactu ſine novis omni momento exacerbati doloris & creſcentis corruptionis viribus animo obverſari. Neceſſe eſt, ſugillata illa loca in cruciariis & ſenſim atra adparere; neceſſe eſt, dolorem caloremque inflammatorium in mortem illarum partium lento quidem, at eo hinc ſæviori gradu, tendere. Credibile Jo. Jac. Scheuchzero videtur *c*), cum in loca ſic extenſa, preſſa, adſtricta plus per arterias ſanguinis influxerit, quam revehi per venas potuit, illum ad ungues de cruce defluxiſſe. Verum ipſa aorta inter illa in extremis obſtacula fluxum magis ad caput & ventrem determinans, ibi preſſis carotidibus rubores faciei doloresque capitis parit, hic opportuniora ad ſtaſin & corruptelam loca occupat. Illud autem longe atrocius eſt, aortam, quæ jam ut olim æquali & placidiori rivo per patentia vaſa ſe non liberat, omnem, quem ſiniſter cordis ſinus ſuggerit, ſanguinem minime ſuſcipere, nec igitur pulmonali ſanguini liberum huc aditum eſſe, adeoque & dextri cordis ſinum ſub nixu expulſionis ſuæ in oppletum pulmonem horrenda anxietate, quæ omni dolore & ipſa morte intolerabilior eſt, laborare. Arteriæ & venæ pulmonales, coronariæ, intercoſtales, omniaque majora vaſa circa cor ob copiam redundantis huc & accumulati ſanguinis angores illos animi, jam ante ſub incumbente peccatorum noſtrorum mole natos, etiam ex cauſſa corporea vehementiſſime intendunt.

§. VIII.

Sic video Servatorem in extremis angoribus & ſummo externæ ignominiæ gradu, nudum per omnia *d*) & myriadi hominum

c) Phyſ. ſacr. ad Tab. 705. p. 1258. b.

d) γυμνοὶ γὰρ ςαυρῶνται inquit Artemidorus, Onirocrit. L. II. C. 58. Conf. Caſp. Sagittarii harm. paſſ. Jeſu Chriſti P. II. p. 761. Non ſecus Heſychius in homil. de S. Andr. Chriſtum in cruce nudum quam Adamum in ſtatu innocentiæ conſiderat. Ambroſius etiam, victus eſt, inquit, Adam, qui tegumenta quæſivit, vicit, qui depoſuit. L. X. in Luc. C. 100. Auguſtinus Adamum cum nudato Noacho comparat, L. XVI. de Civ. Dei C. 2. Durantes non negans nudos cruci adfixos fuiſſe, putat

minum expoſitum *e*). Opus erat, circa hoc præciſe tempus, ipſo feſto die *f*), quo tanta hominum turba confluxerat, id omnium men-

putat tamen Chriſtum in voluntaria morte non alia paſſum, quam quæ decerent. Mavult quoque Sam. Basnage tecta verenda credere, Annal. pol. eccl. T. I. p. 395. Ita ſentiunt Toſtatus, Salmeron, Mallonius, Jo. Gerhardus & alii. Merito tamen Gerh. Voſſius monet, ad gravitatem mortis, quam minuere non convenit, hunc ignominiæ gradum pertinuiſſe. Et quid, ſi innocentiam Chriſti ſpectes, in ejus corpore pudibundi? vel quod pudibundos in ſe oculos offendat? Bene olim Livia nudos ſibi obvios, cum ideo necandi eſſent, morti eripuit, cum diceret, pudicis mulieribus hos nihil a ſtatuis differre. v. Dio Caſſ. L. 58. Ed. Reimar. Op. T. II. p. 876. Convenit tamen pictoribus in cruce & baptiſmo ſic pingere, ut facere ſolent, licet in baptiſmo omnibus partibus nudos fuiſſe, non exceptis virginibus, ex Cyrillo, Chryſoſtomo aliisque evicerit Gerh. Jo. Voſſius de bapt. Th. 6.

e) Joann. XII. 12. dicitur hoc tempore ὄχλος πολὺς ὁ ἐλθὼν ἐις τὴν ἑορτὴν. Ceſtius Gallus Syriæ Præſes, ut Neronem res Judæorum deſpicientem de multitudine populi inſtrueret, a ſacerdotibus exegit hoſtiarum numerum ad feſtum paſchale. Fuit numerus agnorum 256500. Cum vero nunquam pauciores quam deni, nec plures quam viceni, una comederent agnum, ſurgit ibi comedentium numerus ad 2700000 hic ad 5400000, ut adeo medius numerus ſit ſupra quadragies centena millia, v. Joſeph. de bello Jud. L. VI. C. 9. Op. T. II. p. m. 399. Ubi illud notandum eſt, pro numero 2700000 ſcribendum multis videri 2565000, quod ideo computando correxerunt Arnaldus Ferrandus & alii. At Sigism. Gelenius jam conjecit, in numero non epulantium ſed victimarum mendam eſſe, idque Nic. Toinardus ex codice MSto plenius evicit, ſimulque oſtendit, in tam capaci templi atrio ſat ſpatii fuiſſe, pro tot agnis hominibusque ſub terno per certa intervalla ingreſſu admittendis, ut fieri omnia ſine mutuo incommodo & impedimento potuerint. Harm. Ev. in not. p. 153. a.

f) Negant multi eruditorum, die tam ſacro, qualis certe primus azymorum fuit, forenſium cauſſarum cognitionem & ipſa ſupplicia locum habuiſſe? adeoque Chriſtum concludunt, illo die crucifixum non eſſe. Provocant ad ipſam Synedrii ſententiam: μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ Matth. XXVI. 5. Video judices hic caviſſe, ne die feſto id fieret, at quid opus cavere, ſi jam lex vetuiſſet? Non reverentia diei fuit, quem ſupplicio contaminare noluerunt, ſed quod favor populi ab ore Chriſti avide pendentis metum ſeditionis pareret, nec ignota eſſet prætoris conſuetudo, tunc damnatorum aliquem ſub optione populi a pœna liberandi. Verum cum

mentibus infigi, Chriſtum verum agnum paſchalem eſſe, in V. T. repræſentatum; opus erat, omnes jam fluctus malorum, omnia improbitatis tela in ipſum irruere. Non ita ſolet alioquin omnis humanitatis ſenſus exui, ut ſumme miſeris & perſpectæ probitatis illudat; at hic quod non reperiuntur ἐκμυκτηρίζοντες, κινοῦντες κεφαλὰς, βλασφημοῦντες, ἐμπαίζοντες? Qui prætereunt, convitiantur: ſiccine templum deſtruis & triduo ædificas? ſerua te ipſum, ſi filius Dei es, & deſcende de cruce! Et hic Joannes, qui ſannas & probra illa non recenſet, licet cruci & irriſoribus illis proximus, amabile præſtat ſub interni doloris ſenſu ſilentium. Ipſi vero latrones illudunt, ſeque & illos ut liberet, non ſine ludibrio exigunt. Video inter illos hærentem Servatorem, tanquam facinoroſorum principem, at & in ipſo cruce judicem, qui agnum ab hædo ſeparat, & pœnitentem latronem, quem ſplendidum illud ſanctitatis, patientiæ, & innocentiæ jubar mirifice perſtrinxit, & ad ſanam mentem de regno Chriſti revocavit *g*), promiſſis gratiæ ſuæ recreans ab impio illo & contumaci ſegregat. Longe magis convertit oculos ad dilectam matrem & diſcipulum ſibi olim

cum proditio Judæ tam opportune incideret, mutato conſilio cudendum eſſe ferrum, cum caleret, cenſuerunt. Ipſa autem lex & religio adeo non vetuit ſupplicia in feſtis diebus, ut fieri etiam in illis, ſi graviora delicta eſſent, in præſentia populi, ſcientis iſta ac metuentis, juberet. Deut. XVII. 12. 13. Hinc, in aliis civitatibus condemnati ad mortem adducebantur Hieroſolymas, ut in feſto (non tamen in ſabbato) plecterentur. *v.* Mart. Schoettgenii hor. hebr. & talm. T. I. p. 224. Romanis etiam in more fuit, Quintiliano teſte, ſupplicia in tempus ſolemne rejicere, quod fas videretur, plurimos hæc intueri metuque commoveri, & quod pœnæ non tam ad delictum pertinerent quam exemplum.

g) Ut Petri umbra ægrotanti ſalutaris fuit, ita latroni umbra Chriſti, ait Jac. de Voragine ſerm. III. de innoc. Putat Solem fuiſſe a ſiniſtra Chriſti, hinc brachii alterius umbram in latronem a dextra hærentem incidiſſe. Quid umbræ eſt, altiori inprimis loco, in meridie? quid hic in ipſis tenebris? quæ, ſi Sam. Basnagio credimus, toto tempore crucifixi Chriſti durabant, ut liqueret, ejus cauſſa ortas eſſe. Sufficit in illa fide mirabiliter accenſa, qua Chriſto tanquam ex cruce ſuum protinus regnum adeunti ſe commendat, reperiſſe miſericordiam. Sacella non meruit, de quibus ei erectis Baronius agit in martyrol. Rom. ad VIII. Cal. Apr.

olim in ſinu accumbentem, ſtantes ſub cruce & in gemitus lacrymasque effuſos. Matri filium reddit in Joanne, huic ingens ſolatium eſt, dignum haberi, qui in magiſtri ſui jura ſuccedat. Res miranda, ex cruce etiam beneficia impertire, hoſtibus ignoſcere, pœnitentibus eandem ſecum beatitudinis ſedem ſine mora adeundam promittere, & relictos amicos, blando teneri ſollicitique amoris vinculo conjungere, & tum quidem, ubi totus animus ad pacandum Patrem in univerſi orbis ſalutem converſus vix per momentum videtur aliis cogitationibus vacare potuiſſe. Ecce illum expanſis manibus, quæ veterem orantium habitum plenius exprimunt, inter cœlum & terram, ut hanc cum illo conciliet, in maledicto ligno cum Patre colluctantem! *h*) Tales Moſis contra Amalec pugnantis manus erant *i*), extenſæ ad preces, ſed cum tremore, hinc ne ambigua victoria eſſet, ab aliis ſuſtentatæ. Expandit Servator non trementes, hinc in illa longe majoris momenti pugna, quæ ab interitu nos vindicat, ſine alieno auxilio victrices. Quam acris hæc pugna fuerit eo tempore, quo omne ſævitiæ genus in corpus, & gravior longe divinæ iræ ſenſus in animum incubuit, ſpiſſiſſimis peccatorum noſtrorum tenebris tantum non oppreſſum, triſtis ille totius naturæ vultus docet, dum Sol, qui nihil horribilius vidit, prælucere amplius tanto coecorum hominum ſceleri renuit.

§. IX.

Sol igitur in meridie, quo lucet ad ſenſum noſtrum exquiſitius, & quidquid umbrarum eſt, majori poteſtate fugat; in pleni-

h) Frequens apud veteres dictio occurrit, pro more priſco manus extenſas ad cœlum clevare, ad Deos porrigere. Ipſe Paulus ad Timoth. II. 8. attollere jubet χεῖρας ὁσίους, id eſt, καθαρὰς καὶ ἀμιάντους χωρὶς ὀργῆς καὶ διαλογισμοῦ, ſine ſimultate in proximum & diffidentia in Deum, ut inter ritus veteres explicat Jo. Pricæus Comment. in var. N. T. libr. p. 764.

i) Moſes manibus extenſis orabat, inquit Tertullianus, & id crucis habitum vocat. adv. Marcion. L. III. C. 18. Op. p. 810. F. it. adv. Jud. Op. 811. 8. Signum quoque crucis vocat Minutius Felix, cum homo porrectis manibus Deum veneratur.

plenilunio *k*) pariter, in quo nullam ejus & lunæ, ſub oculi noſtri linea, conjunctionem imaginari licet; per trihorium tamen *l*), quod extremos naturalis eclipſis limites excedit, deficiens, perſuadet facile, lumen in ipſo fonte elanguiſſe, vel qua voce veteres utebantur, Hieronymus, Athanaſius, Chryſoſtomus, radios ſuos, ut teſtes tanti flagitii, retraxiſſe Solem, cum Sol juſtitiæ laboraret, & vis excandeſcentiæ divinæ, cujus ſemper ſymbolum Sol obſcuratus fuit, toti telluri incumberet, adeoque communis cauſſa eſſet, cur univerſus orbis in luctu & tenebris verſaretur. Dignum omnino arbitror, in illo temporis articulo, quo in totum humanum genus a Servatore repræſentatum divina vindicta efferbuit, ſuſpenſa rerum creatarum, orbi præ ceteris ſervientium, miniſteria, adeoque non externe affuſam Soli nebulam, ſed hujus in ipſo ſinu repreſſum lumen concipere *m*), donec

k) Origines Tr. XXXV. in Matth. calumniarum meminit, quibus pagani traditam hanc in plenilunio eclipſin inſectati ſunt, quod non poſſit niſi in novilunio fieri, veluti tunc notamus incidere, quando luna prope nodos, quos aſtrologi caput & caudam draconis adpellant, poſita efficit, ut per eam ducta ab oculo noſtro linea ad Solem pertingat. At quæ hic ratio evertit divini teſtimonii fidem? quæ naturæ regula ſuſpendit auctoris ſui manum? Minime hic interventu lunæ erepti ſunt radii ſolares, in quo caſu apex coni umbroſi lunaris nunquam plus ſpatii tegere poteſt, quam longitudinem & latitudinem LXX circiter milliarium Germ. ut Scheinerus computat, vel tantum LII, ut Ricciolus mavult. Extra controverſiam vero eſt, cum Servator in cruce hæreret, tempus plenilunii fuiſſe. Nam paſcha conſtanti lege fuit die XIV menſis Niſan, cujus primus dies a novilunio coepit. Supputandum eſt, inquit I. B. Wideburg in math. bibl. ſpec. II. qu. III. p. 111. æquinoctium vernale, & tunc proxime ſequens plenilunium eſt terminus paſchalis.

l) Diſcus Solis trihorio iisdem tenebris obſitus inaudita in ſcholis aſtronomorum res eſt. Concipi id fere ſpatium poteſt in eclipſi ſub Sole apogæo & luna perigæa, ob maximam tunc obſcurationis moram, a ſemidiametrorum luminarium & horarii motus proportione pendentem, v. Ricciol. almag. nov. L. V. C. 8. §. 4. Verum hic lumen ſub ſtatu lunæ ſubeuntis, replentis, emergentis, per gradus tollitur & reſtituitur. Ibi una commemoratur tenebrarum facies.

m) Verba Lucæ ſunt XIII. 44. ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος, quibus reſpondent vaticinia Joel, III. 4 השמש יהפך לחשך Sol vertetur in tenebras, & Amos VIII.

donec iterum nutu reconciliati Numinis pleno rivo exundaret. Sub illis vero tenebris Servator, omnium terrorum, qui pœnas infer-

VIII. 9 האבתי השמש בצהרים occidere faciam Solem in meridie. Ita proprius verborum ſenſus tenebras in Sole collocat. Cum emphaſi tres evangeliſtæ ſcribunt, tenebras fuiſſe ἐπὶ πᾶσαν καὶ ὅλην τήν γῆν. Hinc vertit Aethiopicus interpres totum mundum obtenebratum. Vix poſſunt illa verba de parvo Judææ ambitu intelligi, certe id fieri debere negat Guſſetius, niſi ipſum nomen ſingularis regionis additum vel præmiſſum ſit. Conf. G. Kohlreif chronol. C. 9. §. 4. p. 239. Hinc licet I. R. Rus exempla in contrarium adducat, & illud Luc. XIV. 25 omni exceptione majus eſſe perhibeat; manifeſtum tamen eſt, dum hic famis mentio fit ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν ſævientis, luculenter præmitti in Iſraele tempore Eliæ. Merſum igitur illis moriente Chriſto tenebris totum orbem fuiſſe, qui lucem exſpectare in illo Solis ſitu ex naturæ lege poterat, malim credere cum eruditis viris, I. Gerhardo, Aeg. Strauchio, P. D. Huetio, Adr. Relando, Jac. Guſſetio, A. H. Franckio, I. Jac. Rambachio, I. A. Schmidio, I. Chr. Wolfio, I. B. Wiedeburgio aliisve quamplurimis, licet opus non ſit, cum Ch. Scheinero ſic conglobatam credere macularum materiam, ut Solem totum inſtar unius maculæ e mortalium conſpectu eriperet. Neque tamen vel ipſe Gerh. Voſſius ſuſpicioni illi multum repugnat, maculas Solis in illo tunc ſitu Judææ obverſas propriam huic caliginem adfudiſſe, Harm. Ev. L. II. C. XI. §. 4. p. 322. Ultro ſequitur, ſi ipſa Solis poteſtas quacunque ratione ſuſpenſa fuit, nihil terrarum concipi poſſe a tenebris immune. Miraculum autem non minus agnoſcunt, qui externam cauſſam in aere natam, quæ partem luminis intercepit, velut aliquam nubium denſitatem, quam comitari Solem in omni progreſſus ſui limite oportuit, ſubſtituunt, ne omnem terræ incolis lucem negent. Poſt Originem, Eraſmus, Fr. Vatablus, Theod. Beza, Iſ. Caſaubonus, Dav. Pareus, Jo. Seldenus, H. Hammondus, I. Clericus, C. A. Heumannus, S. I. Baumgartenius, at quanti viri! pro particularibus tenebris pugnant. Ajunt neceſſarium videri, ſi caligo totum orbem occupaſſet, omnia fere antiquitatis monumenta tanti portenti naturæ mentionem injectura fuiſſe. At nec tuto ſatis ad ſilentium antiquiſſimorum temporum, in quibus nihil non ruinoſi, provocatur, nec hujus rei teſtimonia prorſus deficiunt. Parum quidem cum aliis Dionyſio Areopagitæ tribuo, qui hanc eclipſin Heliopoli cum Apollophane μεταβολὰς πραγμάτων θείων agnoſcente oculatus teſtis vidit, ſi fas eſt credere epiſt. VII. ad Polyc. Op. T. II. p. m. 91 & 104. Id tamen non diſſimulo, inter adſperſa fabuloſa, quale commentum illud de luna Soli ſe immergente, in

infernales comitantur, impetum ſentiens, poſtquam cuncta hucusque prorſus admirabili & invicta conſtantia tulit, non potuit non inmen-

in priſtinum deinde locum reſtituta, cui miror Ricciolum adſentiri, de cetero haud ſine ruderibus veritatis opus videri, quod XII ſeculorum antiquitatem judice Riveto & Dallæo ſuperat. Credo pariter, juſto acriorem cenſuram experiri eclipſin, quam Phlegon libertus Hadriani, vel ut Spartiano videtur, ipſe Hadrianus *μεγίστην τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον* vocat, & ad Olympiadem CCII refert, ejusque annum IV; vel ut Jul. Africanus alio loco ſcribit, II; quod diſcrimen a duplici Olympiades computandi ratione natum conciliat Anton. Pagi Crit. in annal. Baron. T. I. p. m. 25 & 26. Atque hunc annum IV Olympiadis CCII ad amuſſim congruere cum anno morientis Chriſti, quem maximi viri in annum aeræ vulgaris XXXIII referunt, in harm. Ev. p. 131 perſuadere nititur Nic. Toinardus, cujus alioquin in aſtronomico calculo fidei tantum tribuunt eruditi. Notant Phlegontis verba ſimul ſtellas ſub illis tenebris in cœlo viſas, quo cadit ſuſpicio nubis ante oculos Judæorum coactæ, quæ adſpectum Solis eriperet. Notant horam ſextam ad nonam, quod maxime obſervationem circa loca Judæis viciniora ſupponit, diverſam in remotioribus locis, ſub alio meridiano, ubi diſcrepant horæ, non ideo excludit. Notant quoque motus terræ, disjectas ædes, ſciſſas rupes, ex quo & aliis tela petierunt priſcæ eccleſiæ patres pro vindiciis Chriſtianæ religionis, haud temere acumine noſtri ævi hebetanda. Hujus Phlegontis, vix integro ſeculo a morte Chriſti remoti propria verba inſpicere poſſe, & an provide ſatis a Chriſtianis adducta ſint? ponderare optat Jo. Clericus hiſt. eccl. S. I & II. p. 112. At fragmenta ejus cum illis Africani, qui uno a Phlegonte ſeculo abfuit, conjuncta & apud Euſebium aliosque obvia non omni luce deſtituuntur. Scio, multis cum Voſſio eclipſin Phlegontis naturalem videri, vi ipſius vocis, quam tamen Grotius de Solis deliquio cujuscunque originis intelligi poſſe docet. Africanus vero inter ipſa verba, quibus Phlegontem citat, deliquium Solis *ἐν πανσελήνῳ καθόλου τοῦ κόσμου σκότος φοβερώτατον* definit, v. Georgii Syncelli chronogr. p. 322. conf. Huetii Ev. demonſtr. P. 3. §. 9. Hinc liquere ait I. Philoponus L. II. de creat. mund. Phlegontem non alterius eclipſis quam ſub morte Chriſti meminiſſe. Euſebius quoque verbis Phlegontis ſubjicit, *ταῦτα κατὰ λέξιν* reperiri in aliis Græcorum annalibus. Tertullianus apolog. C. 21 hunc mundi caſum, inquit, in archivis veſtris habetis, quibus Grotius acta publica intelligit, & bene caviſſe ait, dum mundi caſum appellat, ne Judæis tantum accidiſſe videretur. Non teſtimonium Thalli apud Euſebium, non Luciani Martyris apud Ruſinum, non Oroſii ad græ-

inmenſam divini ſolatii ſitim in extrema malorum magnitudine effuſiſſimis clamoribus teſtari: Eli Eli lama ſabacthani *n*). Mar-

tyria

græcos auctores, quorum multi interciderunt, provocantis moror. Certe magni momenti eſt, patres illis temporibus proximos in ſuo cum adverſariis conflictu Phlegontis tenebras in tempus crucifixi Chriſti incidentes tam fidenter objicere, velut ipſe Origines in Celſ. L. II. Op. T. II. p. m. 414. B. ut a metu, ne illa negarent, penitus abſuiſſe videantur. Hodie errorem calculi inde arguunt, quod ad idem tempus, quo tenebras circa mortem Chriſti cum eclipſi Phlegontis conjungunt, referant quoque alii annum aeræ vulgaris XXIX & Tiberii XV, alii cum Euſebio & Epiphanio A. XXXI & Tiberii XVII. Quæ ſi non ſatis cohærent, haud ideo illa etiam mutuo nexu deſtituuntur, paſſim magis ſtabilito a Ricciolo, Relando, Alphenio, Huetio & aliis. Et Huetius quidem huc etiam eclipſin Chinenſium ex Adr. Greſſonio refert, quam T. S. Bayer uno anno præceſſiſſe indicat, velut idem alii de iſta Phlegontis perhibent. Neque vero eclipſi Chinenſi, quæ ſub penitiori calculo in A. C. XXXI diem X Maii incidit, locus hic eſſe poteſt, quamvis magna eruditione hoc deliquii ſolaris miraculum adſtruere conetur P. Bonnet. Imperator Quamvutius tam inexſpectata & legibus naturæ adverſa eclipſi perculſus ſollicitas & vitæ ſuæ & civium ſuorum emendandæ rationes iniiſſe dicitur, ipſi quoque textui hiſtoriæ ſubjecta nota legitur: homo cœleſtis mortuus eſt. At his verbis uſi ſunt Chinenſes multis ante Chriſtum natum ſeculis, quoties ex majori, licet naturali, eclipſi ſiniſtra omina caperent. Prævenit autem exſpectationem hæc eclipſis, dum in ultimum tertiæ lunæ diem, non primum quartæ incidit, de quo fuſe cl. Gaubil in P. Sauciet Obſ. math. ex libr. Chin. T. II. p. 163—173. Multa occurrunt, quæ ad conſenſum annorum omnia exacte reducere prohibent. Sunt, qui Dyoniſianum lunæ cyclum cum Judaico confundunt. Keplerus mendam numeri ſuſpicatur in Phlegonte, Scaliger in Euſebio. Merito nimiam inter hæc aſtronomiæ fiduciam redarguit Ant. Pagi Crit. in annal. Baron. T. I. p. m. 24. VIII. Igitur chronologica difficultas a quibusdam mota circa perexiguum remoti temporis diſcrimen tam explorata ratione non nititur, ut non veteribus, quæ verba ſunt I. A. Fabricii Bibl. Gr. Vol. IV. L. 13. p. 404, adſentiri malim. Ceterum illud *σκότος Θεο-πόιητον*, ut Africanus adpellat, haud ſummæ ſpiſſitudinis fuiſſe, cum nulla admodum miniſteria hominum in loco ſupplicii turbaverit, hinc non inconcinne ab Hieronymo ferrugineas tenebras vocari, haud repugno. Certum eſt, omnes obſtupefactos ſenſiſſe caliginem illo tempore, quo in divino judicio, niſi mors Servatoris interceſſiſſet,

polluta æternam meruerunt ſecula noctem.

n) Multi credunt Chriſtum ipſa verba hebraica Pſ. XXII. 2. uſurpaſſe,

אלי

tyria legimus ab aliis ſub iisdem atrociſſimæ mortis cruciatibus fortiter & ad ſtuporem omnium tolerata fuiſſe. At fas eſt attendere, martyres illos divino adjutos auxilio, quo ſe ipſum Chriſtus exuit, internove Numinis ſibi propitii ſenſu, quo jam caruit Servator, infinito intervallo a ſimili malorum gradu abfuiſſe. In illos largi defluxerunt conſolationis rivi, in animo Chriſti omnem peccati pœnam ſubeunte fere exaruerunt, ita ut a Patre deſertum ſe eſſe, queri videatur. Quibus tamen verbis non tam dubitans, quam at moram auxilii ingemiſcens, ab intenſiſſima precum lucta, o quantæ adhuc fiduciæ plena! minime remiſit, ſed extenſas ad Patrem manus, quarum vincula facile rumpere poterat, immotas tot horis, usque ad conſummatæ victoriæ terminum, ſervavit. In hoc ſtatu animi omnibus telis penetrati, & mirifica virtute, quæ longe humanum captum ſuperat, reluctantis, cœleſte ſolatium, finem malorum & ſalutem noſtram ardentiſſime ſitiens, de ſiti quoque corporis conqueſtus eſt, & ne hominibus aliquam in ſe meriti occaſionem ſub ipſo vitæ exitu negaret, oblatum acetum ſumſit *o*), jamque finitis omni-

אלי אלי למה עזבתני; at contra græcorum codicum fidem, judice Druſio: licet ſint exemplaria latina, quæ azabthani reſtituunt, quod Hieronymo Grotius tribuit. Paraphraſis Chaldæa, vel mixta tunc apud Judæos dialectus שבקתני *σαβαχθανί* pronuntiat, Matth. XXVII. 46. Marc. XV. 34. Græca verſio habet, *ἱνατί ἐγκατέλιπές με*, quod notat in ſummo diſcrimine deſerere. Apud Marcum Ἐλωὶ, apud Matthæum, Ἠλὶ occurrit, quæ poſterior vox magis conjecturæ favet, Eliam vocari, ut liberaret. Datum acetum eſt, ut perduraret, quaſi in ſpem adventantis cœlitus auxilii. Vocem למה celeb. Heumannus per quamdiu exponit, ut adeo non ſit vox dubitantis de auxilio Patris vel querela diffidentis, ſed ad moram in acerbiſſimo humanæ naturæ ſenſu, quo cor inter viſcera inſtar ceræ liquefactum in Pſ. XXII. 22 deſcribitur, ingemiſcentis. Annot. in N. T. P. I. 482. Duriter I. Ferus deſperaſſe Chriſtum ait, quia in ſe deſperationem noſtram recepit, jure reprehenſus a Luca Brugenſi & aliis. Eo etiam nomine Maldonatus Calvinum arguit.

o) Joann. XIX. 28—30. Sitiit ut Simſon proſtrata hoſtium legione, & ſumto potu exclamavit: *τελέςαται*. Oblatus potus aliquid humanitatis habet, nec jam videtur illudendi animo exhibitus. Acetum dilutum convenit

omnibus ille, in quo nec peccatum nec internæ corruptionis principium erat, inclinato capite ſpiritum *p*) in manus Patris red-

venit ſitientibus, qualis hic ad manum fuit potus militaris, poſca dictus a potando, ut eſca ab edendo. Igitur in tale vas aceto plenum merſit aliquis ſpongiam, & ori ſitientis exſugendam præbuit. Hyſſopi ſimul mentio fit, cujus halitu ajunt recreari languentes, & fide Maimonidis recenſent, a piis hominibus parata talia ad reficiendos in deliquio miſeros fuiſſe. v. Iſ. Caſaub. exerc. in Baron. p. 567. Sic potuit ſpongia hyſſopo circumdata & calamo adligata præberi. Sunt, qui cum Camerario pro hyſſopo ὕσσὸν, vel cum Dan. Heinſio ὑσσοτὸν legere malunt, pilum nempe militare ſeu haſtile, cui adfixa ſpongia fuerit. Ipſam ſpongiam cruore prius ſordidam, deinde aceto merſam, mox hyſſopi amarore corruptam ſuſpicatur Baronius, ſed quo judice? Scelerum ſatis eſt, ad quæ exhorreſcit animus, non opus, nova imaginari.

p) Luc. XXIII. 46. Dies & annus mortis Chriſti extra controverſiam non eſt. Olim Chriſtianos per tria priora ſecula mortem Servatoris in diem XXV Martii anno aeræ vulgaris XXIX ſub conſulatu duorum Geminorum, adeoque in annum Julianum LXXIV Tiberii XV rejeciſſe tradit Ant. Pagi Critic. in annal. Baron. T. I. ad A. C. 32. VI. p. 24. Quod quamvis ſine omni temporis illius diſſenſu non ſit, negari tamen vix poteſt, traditionem illam ſub teſtimonio proximorum Chriſto ſeculorum eo videri fide digniorem, quod in anno illo XXIX dies XXV Martii incidat omnino in diem Veneris, qui fuit Chriſti morientis. Hinc inter recentiores Voſſius, Petitus, Schelſtratus, Pagius, Clericus, Baudri calculum eundem ſequuntur. Annum XXXI Euſebius fixit & Epiphanius, nec negant inter recentiores adſenſum Keplerus & Petavius. Attamen nullius conjectura menſem Martii exceſſit ante ſeculum XIII, quo Rogerius Bachonus ex aſtronomici calculi legibus diem III Aprilis A. C. XXXIII. conſtituit. Secutus altero ſeculo poſt Paulus Burgenſis idem docuit, deinde Toſtatus, ex quorum mox libris tanquam primis fontibus tantum non omnes ſua hauſerunt. Agnoſcunt hunc annum aeræ vulgaris XXXIII. Dav. Blondellus, Jac. Cappellus, Jo. Pearſon, Jo. Calviſius, Jac. Uſſerius, Nan. Tillemont, Bernh. Lamy, Henr. Dodwell, Frid. Spanheim, Aug. Calmet, Sal. Deylingius & alii. Plenius veterem traditionem oppugnat Sam. Basnage, & illam pro legitimo quæſtionis hujus judice ſine auxilio aſtronomico non agnoſcit. Concedit diem XXV Martii A. C. XXIX. cum feria ſexta, at non cum plenilunio convenire, adeoque in illa tunc ultima lunæ quadratura nefas fuiſſe paſcha immolari Si vero ponimus, Chriſtum crucifixum eſſe die III Aprilis A. XXXIII conſulibus Galba & Sulla, A. R. C. 786. A. Jul. LXXVIII, Tiberii XIX, liquere putat, hunc annum, omnem, quem requi-

reddidit, idque illo tempore, quo mactari in templo victimae paſchales ſolebant *q*).

§. X.

Ultro vitam poſuit arbiter vitæ & reſumſit cum vellet *r*). Poſuit cum magno clamore *s*), qui morientium in naturali & ultimo

requirere liceat, juſti calculi characterem continere. Incidit novilunium in vigeſimum Martii, plenilunium in III Aprilis, ceu diem veneris, quod in multis annis & prægreſſis & ſubſecutis non ita contigit. Annal. pol. eccl. T. I. p. 250. it. p. 403. Conf. Sam. Deyling. Obſ. ſacr. P. I. O. 52. §. XI. p. 440. Adde calculum Nic. Toinardi Harm. Ev. p. 148 ex tabulis philolaicis correctis, ubi novilunium A. XXXIII ſolerter determinatur, ſubjecto, qui parum diſcrepat, calculo Bullialdi Harm. Ev. p. 148. At A. C. XXX, qui olim Georgio Syncello & Alexandrinis placuit, ſtabiliri video in I. Alb. Bengelii Harm. Ev. §. 12. p. 56. & 85. ubi A. C. XXX. A. Julian. LXXV, & diem quidem VII Aprilis conſtituit, quem cum XV Niſan & die veneris congruere cenſet. Nixus ejus calculis cl. Vir. Jo. Lahode in diſſ. de die & anno ultimi paſch. Chriſti, aeram Dionyſianam, quæ tribus ante ſui initium annis natalem Chriſti reliquit, errori anſam dediſſe putat, cum auctores debita vitæ longitudine ſervata mortem Chriſti tribus annis ſerius collocaverint. ib. §. 29. p. 65. Iſta excutere plenius hujus loci non eſt.

q) Victoris Antiocheni ſententia fuit, quod Chriſtus tanquam verus agnus paſchalis ejusdem diei hora quam typicus mactatus ſit. Pia meditatio eſt, quæ multorum & hodie ſuffragia reperit. Nihil vero eidem decedit, ſi initio diei ſeu nocte præcedente Chriſtum ex lege cum aliis ediſſe agnum cenſeas, mactatum ipſum tanquam verum agnum paſchalem ſub fine ejusdem diei. Hoc ſenſu Apollinaris in caten. Græc. in Joan. XVIII. 28. vocare potuit eundem diem *τȣ̃ πάχα τυθησομένȣ καὶ αὐτȣ̃ ϛαυρωθησομένȣ.* Certe in tota lege typus mortis Chriſti haud magis quam in agno exprimitur judice Sam. Bocharto in hieroz. L. II. C. 50. p. m. 555. Ita ipſius crucis imaginem retulit agnus, qui *ὁμόιως τῷ χήματι τȣ̃ ϛαυρȣ̃* ad ignem torrebatur. Nam veru ligneum ab imo ad caput per longitudinem, & aliud per latitudinem ad ſcapulas adactum erat, ut ita ſuſpenderentur *ἁι χεῖρες τȣ̃ προβάτȣ* teſte Juſtino Martyre in dial. cum Tryph. Op. p. m. 759. D.

r) Quod ipſe de ſe prædixit, Joann. X, 18.

s) Marc. XV. 37. *ἀφεὶς φωνὴν μεγάλην ἐξέπνευσε*, vel ſec. Matth. XXVII, 50. *κράξας φωνῇ μεγάλῃ ἀφῆκε τὸ πνεῦμα.* Ex hoc clamore ſub vitæ

ultimo virium deliquio non eſt, nedum illius, in quo cauſſa mortis a peccati veneno nata haud exſtitit. Crucis illa vis non erat, ſi vel infirmiores reſpicias, tam cito exſtinguendi. Ex martyrologiis conſtat, nonnullos trium, quatuor, quin & novem dierum intervallo in cruce vixiſſe, relictos autem plerosque eſſe, niſi judicis gratia ſepulturam aliquando conceſſit, donec Sole & pluvia corrupti pedetentim tabo diffluerent, & tunc avibus, quæ viventes non invadunt, putri halitu adlectis in prædam cederent *t*). Magna parte lento perierunt ſanguinis ſtillicidio, ſiti & atrociſſimorum dolorum ad convulſiones creſcente ſævitia. Multi ad accelerandam mortem feris laniati, ſubjecto igne exuſti, vel fumo ſuffocati ſunt. Aliis crura fracta, vel per latus haſta trajecta. Inter hæc prius viventibus adhuc latronibus contigit, ex more ſervilis pœnæ, qua vecte ferrea vel malleis ad incudem crura contundebantur. Hic crux pro incude fuit, ad quam adfixa latronum crura malleis ſunt confracta. At Servatoris jam exſtincti, cui ad typum agni paſchalis oſſa ſuffringenda

vitæ exitu, ubi tam parum eſt vitalis virtutis, maxime collegit centurio, Dei filium eſſe. Non ſolum ut hominem innocentem, ſed & homine majorem, conſideravit, Marc. XV, 39.

t) Juſt. Lipſii de cruce L. II. C. 12. Hærebant in cruce lenta morte peremti, ut corvos paſcerent, & poſiti cuſtodes, ne quis ad ſepulturam detraheret, impediebant. Aſpere Auguſtus reſpondit alicui ſepulturam a morte roganti, in volucrum poteſtate eam fore. Suet. in Aug. C. 13. Interdum pretio vendiderunt ſepeliendi poteſtatem, quod Verri Cicero objecit. Bene ait Quinctilianus, ſi vel anguſtus detur acceſſus, per quam intrare humanitas poſſit, veram clementiam occaſione contentam eſſe. Et Ulpianus corpora eorum, qui capitis damnantur, cognatis neganda non eſſe ſenſit, excluſis tamen læſæ majeſtatis reis. At quamvis ut talem damnaſſe Chriſtum Pilatus videretur, oſtendit nihilominus ipſo in ſepulturam conſenſu, aliam ſibi de innocentia Chriſti mentem fuiſſe. Hic etiam, ut in reliquis, jura populi lædere noluit. Divina enim lex non pernoctare in ligno ſuſpenſum, ſed eodem die ſepeliri voluit. Deuter. XXI, 23. Conf. Joſephi antiqu. Jud. L. IV.

da *u*) non erant, latus trajecit miles, ut vel exploraret mortem, vel dubiam ferali ictu certam redderet *x*). Ubertim inflictum vulnus aquam fudit & ſanguinem *y*), non ut in mortuis fieri ſolet, lentum & grumoſum, ſed calentem adhuc & fluxilem, tanquam ex calentiſſimo miſericordiæ fonte, ultimo hoc rivo, manantem, ac ſymbolis in poſterum ſalutis in baptiſmo & ſacra cœna

u) Exod. XII, 46. Joann. XIX, 36. Neque vero hic ratio movet Lactantii, factum ideo eſſe, ne læſum ac diminutum corpus ad reſurgendum magis inhabile redderetur, de vera ſapient. L. IV. C. 26.

x) Penetravit haſta pleuram, id eſt, ex ſtylo priſcorum medicorum, latus thoracis, non ut Vinc. Ferrerio placuit, abdomen inter coſtas & femur. Dextrum latus perforatum cum verſione Aethiopica & Arabica P. Kirſtenius & I. Jac. Chifletius notant, immo ſunt, qui beatam virginem tradunt id S. Brigittæ revelaſſe. Rei natura magis pro ſiniſtro militat, quippe ferienti manui dextræ expoſito, cui ſcopus erat, cor tanquam vitæ ſedem trajicere. Perſica verſio ingreſſum ſub axillis deſignat. Multum momenti ſitus vulnerantis confert, ſed quid in ſilentio ſacrorum ſcriptorum conjecturis opus? In ſiniſtro latere facilius cor & pericardium, pulmo ejus lateris & ipſa aorta ſubjecta; in dextro magis pulmo dexter, vena cava & azygos; utrinque axillaria vaſa perforari, cum certo, niſi mors jam præveniſſet, exitio potuerunt v. I. Jac. Scheuchzeri bibl. ſacr. l. c. p. 1323. & G. W. Wedelii, qui cordis thalamos penetratos cenſet, Exerc. med. phil. C. I. D. III. Ex. I.

y) Miraculum fuiſſe negat I. P. Poza, tunc potius tale futurum, ſi lac velut ex reciſa cervice Pauli, vel mel vel ambroſia, non hæc, quæ iſtis locis naturaliter continentur, effluxiſſent. Elucidar. Deip. L. I. Tr. I. Sane pertuſo pericardio lympham, ipſo corde vel vaſis majoribus ſanguinem, circa loca illa congeſtum, elabi potuiſſe, ita ut diſtincte, primum pro loci prius penetrati ratione, deinde ſub quacunque miſcela effluxerint, vix magna videtur difficultate laborare. Plus tamen copiam mireris: nam humor grumoſus a morte nec facile nec ubertim ſtillat. Difficultates hic a P. Laurenbergio motas Th. Bartholinus paternæ ſententiæ, quæ ex ipſo cavo pectoris omnia promit, tenacior diſſimulare videtur. Brevi tamen a morte, hic inprimis, ubi anima ardentiſſimi in nos amoris ultro corpus reliquit, & ante nata humorum coagula, calentem adhuc & fluxilem ſanguinem agnoſcere, nihil magnopere vetat. Multi quoque Theologi hic nullum miraculum agnoſcunt, ut Voſſius, Wolfius, Heumannus,

cœna ſerviturum. Neceſſarium vero erat, nullam de vera morte Chriſti dubitationem relinqui z), ad cujus igitur luculenta teſtimonia etiam grande hoc vulnus vitalem ſedem penetrans acceſſit, in quot manum pro fide confirmanda immiſit Thomas. Atque has cicatrices Servator cœlo inferre quam abolere maluit: has ad dextram Patris pro mortalium ſalute deprecans tanquam cara redemtæ libertatis noſtræ pretia ſiſtit: has diſcipuli, quippe talem exſpectare juſſi, qualis in cœlum eſcendit, ſummæ conſolationis plenas

z) Non hic Baſilidis Alexandrini commentum attingo, licet altero jam ſeculo natum, & Epiphanii ævo adhuc ſuperſtes, haud Chriſtum, quippe in cœlum clam ſubductum, ſed forma ejus adſumta Simonem Cyrenæum cruci, quam tulit, adfixum eſſe. v. Irenæi adv. hæreſ. L. I. C. 23. quæ deinde fabula, adfixum pro Chriſto ſimulacrum ejus, & deluſos Judæorum oculos eſſe, in Mahumedis alcoranum tranſiit. Contra hanc enim fingentis ingenii petulantiam in tanta luce ſacrorum teſtium pugnare opus non eſt. At alia etiam celeriter ſatis nata hæreſis fuit ſub Marco quodam; quem Clemens Romanus confutavit, quaſi Chriſtus adparenter ſit paſſus. Ita Cerdoniani & Manichæi nec paſſum vere nec mortuum credebant. Aphthardocetarum ſententiam, quam A. C. 519 primum inſtruxit Julianus Halicarnaſſenſis, & propugnavit Cajanus Alexandrinus, amplexus eſt Juſtinianus Imp. nempe divinam naturam ſub ipſo conceptionis momento corpus Chriſti ab omni corruptibilitate immune præſtitiſſe. Contra hoc Severus Antiochenus & Damianus corpus Chriſti, antequam reſurrexit, corruptibile, id eſt humanæ naturæ caſibus obnoxium, ſtatuentes ex Juliani ſententia ſequi docuerunt, ut Chriſtus nec vere eſurierit, ſitierit, dormiverit, nec vere perpeſſus ſit in cruce, ſed tantum viſus perpeti, eſurire, ſitire, dormire. Philoxenus Maubugenſis media quaſi via ingreſſurus Chriſtum vere illa paſſum eſſe tradit, quæ homini accidere ſolent, at non naturæ neceſſitate ſed voluntate. v. I. L. a Mosheim Inſtit. hiſt. eccl. antiqu. & rec. S. VI. P. II. C. V. §. 8. n. 255. Nos corpus Chriſti conſideramus ſine corruptione, quæ ex peccato emergit, quale Adami non lapſi futurum erat. Hoc vero etſi eſurire, ſitire, dormire, pati potuit, ſine dubio tamen id in ſe præſidii habuit, ut cauſſas mortis & corruptionis vel vitare vel contra eas ſe præmunire potuerit. Chriſto nec vitandi nec ſe præmuniendi voluntas fuit, in tanto opere redimendæ ſalutis mortalium. Ultro igitur is, cui mori ex lege naturæ neceſſarium non erat, vitam poſuit, immo ut conſtaret, id ſui arbitrii eſſe, citius poſuit, quam alii homines inter ſimiles mortis cauſſas poſuiſſent.

plenas in futuro mundi judice recognoſcent, velut cum terrore hoſtes, ut videant, quem confixerint. Et hi quidem ſub ipſa jam morte Chriſti viderunt, quod pertinaces animos frangere, feroces emollire, & in erroris ſui ac flagitii ſenſum ac pudorem inter tot prodigia trahere potuit, cum terræ tremor, rupes ſciſſæ, monumenta mortuorum concuſſa & reſerata, ruptumque templi velum & alia, iræ divinæ magnitudinem haud obſcure teſtata *a*), in communem totius naturæ luctum ſub eodem tempore conſpirarent.

§. XI.

Hic demum ſubſtitit hoſtilis furor, nec ſepulturæ decus corrupit. Corpus e cruce depoſitum, munda ſindone involutum, & novo monumento ex rupe exciſo illatum *b*), nec vidit corruptio-

a) Pſ. XXVIII, 8. accenſa ira divina concuti terram & montium fundamenta commoveri legimus. Nahum I, 6. rupes ab æſtu iræ divinæ everti dicuntur. Conf. Apocal. XVI, 18—20. Sub morte Chriſti fiſſura rupium ſepulchra concutiens *ἀνέῤῥιπτε τȣς κειμένȣς*, quod olim de Rhodo everſa Ariſtides ſcripſit. Ita velum templi, cujus denſitatem quatuor digitorum fuiſſe Rabbini referunt, a ſummo ad imum rupit vis excandeſcentiæ divinæ. Si pontifex ex ſtolido zelo veſtem rupit ad verba Chriſti, tanquam blaſphema; rupit divina manus *καταπέτασμα τȣ̃ ναȣ̃*, ſeu velum illud interius & nobilius templi ſancto ſanctorum obtenſum, non obſcuro indicio, quod jam locum illum cultus & honoris ſui inter tam ſacrilegos dedignetur. Velum exterius ruptum cum Hieronymo Baronius cenſet. Iſ. Caſaubonus inter utraſque ſententias fluctuat. Nos de interiori, quod Philo *καταπέτασμα*, exterius *κάλυμμα* vocat, poſt Cyrillum cum Voſſio, Grotio, Bynæo & aliis intelligimus. Ad hæc loca tam abdita olim non niſi ſemel per annum die expiationis aditus patuit ſummo ſacerdoti. Nunc ubi Chriſtus cœleſte ſacrarium intravit, ſublato gentium diſcrimine, & ſine typis legalibus impoſito, recluſum omnibus cœlum eſt, qui hanc ſalutis ſuæ anchoram omni remoto velo amplectuntur.

b) Hic detracto e cruce corpori inhoneſta in loco ſupplicii ſepultura deſtinata erat; at ut diſcrimen inſontis & ſontium eſſet, divina ſapientia providit, & monumento divitis Chriſtum decoravit, ſecundum verba Jeſ. LIII, 9. in quæ v. Comment. Camp. Vitringæ T. II. p. m. 674 ſq.

Verba

ruptionem, nec contra eam officioſa amicorum manu, unguenta & aromata parante, eguit, neque mole lapidis oſtio tumuli obvoluti, neque ſigillis, neque cuſtodum vigiliis, quin glorioſe reſurgeret, impediri potuit. Hoc ſignum fuit Judæis promiſſum, ut diſcerent divinitus miſſum eſſe, cum dirutum ab iis corporis ſui templum intra triduum ſuſcitaret, & ſic in carne *c*) ſua adiret regni poſſeſſionem, ad quam ſanguine ſuo viam ſtravit. Ipſi cruci non modo infamia ademta eſt, ſed & honor, non omnis forte ſuperſtitionis expers, acceſſit. Cum enim Conſtantinus M. ex ſuppliciorum numero crucem tolleret, & hujus effigiem inter diadematis ſui ornamenta referret *d*), mox ita ejus exemplum ſecuti ſunt alii, ut jam crux in purpureis veſtibus, armis principum,

Verba illa pie ſi non proprie Sal. Glaſſius philol. ſacr. L. III. Tr. I. p. m. 534. tanquam fructus ſalutaris mortis hac verſione expreſſit: poſuit improbitates in ſepulchro ſuo, divitias in morte ſua, id eſt, peccata noſtra ſepulchro condidit, aboluit & a conſpectu Patris quaſi removit, nos autem morte ſua juſtos divitesque reddidit. De Adamo eodem loco ſepulto, & cranio ejus ibidem reperto, varia referunt veteres, unde illud Auguſtini: erigi medicum, ubi æger jacet. Idem credidere Origenes, Tertullianus & Chryſoſtomus, hinc ſolido id niti fundamento collegit Baronius. At jam Hieronymus hanc traditionem cenſuit mulcere aures, veram non eſſe, in Matth. 27. Certe ipſi Judæi tumulum & ſanctos cineres primi parentis violari facinoroſorum ſuppliciis in loco tam vicino non permiſiſſent.

c) Seleuciani ad dextram Patris ajunt ſe exuiſſe carne, & in Sole poſuiſſe. Niceph. L. II. C. 14.

d) Euſeb. de Conſtantini vit. L. III. c. 3. Hic etiam Imperator Hieroſolymis templum erexit ſeu baſilicam, unam in loco, quo Chriſtus paſſus, alteram, quo ſurrexit: illi nomen fuit martyrium vel crux, huic anaſtaſis. Et hanc quidem Juſtinianus M. omnium eccleſiarum ſanctiſſimam dixit. Aeneum numum, cui cum vultu Chriſti vox ΑΝΑΣΤΑΣΙΞ inſcripta fuit, vidit Lælius Paſquilinus & quinque ſolidis aureis emit. Vidit quoque & Hieronymi verbis illuſtravit Jac. Simondus Op. var. Edit. Venet. T. IV. p. 293. Alium vetuſtiorem numum a Cardinali Barberini acceptum, in quo viventis, velut ibi vita functi Servatoris facies expreſſa fuit, dederat Triſtano ib. p. 312. 313. Numi deinde publici, in quibus vultus Chriſti & verba, I. C. Rex Regum, cuſi primum ſunt Sec. X. ſub Imperatore Joanne, qui vulgo Zimiskes adpellatur.

pum, immo eorum frontibus inter gemmas refulgeret *e*), adeoque ejusdem Auguſtini judicio, cum nihil in carne intolerabilius fuiſſet, jam nihil in frontibus glorioſius videretur *f*). Verum licet hæc crux inimicitiam cum Deo ſuſtulerit, ſuffixo ibidem, quod contra nos fuit, chorographo, & omnis omnino in gentes benedictio a ligno maledicto venerit *g*), abſit tamen, partem meriti, quod totum Chriſti eſt, cruci tribuamus. Jam olim pagani Chriſtianis ςαυρολατρείαν objecerunt, hodie miracula multi & vim morbis medendi a cruce exſpectant, reſurgentem quoque Chriſtum ſigno crucis apoſtolis benedixiſſe aliis perſuadent. Nos, quæ verba in Octavio Minucii Felicis legimus, crucem nec colimus nec oramus *h*), immo vero, dum illa memoriam patientis ſervatoris renovat, exultamus beneficiis mortis, crucem vero æque ac peccata noſtra, quæ luere tanti conſtitit, exhorreſcimus *i*).

e) Ita crux globum Imperatorium ornare cœpit, & Pontifex præferendæ ſibi crucis ritum invexit. Cophitas legimus in ſacro lavacro crucem ferro candente frontibus ſuorum inurere. Non tanta vi opus ad ſalutaris rei memoriam. Dignius de cruce cogitat, qui adverſa pati cum Chriſto & pro eo non renuit.

f) Tr. II. in Joann.

g) Conf. loca ſcripturæ Epheſ. II, 16. Col. II, 14. Gal. III, 13.

h) p. m. 300. vulgaris lectio, nec colimus nec optamus. At, ut Rigaltius ait, cum apoſtolo gloriamur in cruce Chriſti. Tropæum enim eſt de diabolo, & quod acute Origenes dixit, Op. Edit. C. Delarue. T. I. p. 416. viſibiliter crucifixus eſt filius Dei, inviſibiliter diabolus cum poteſtatibus ſuis & principatibus. Coloſſ. II, 14. 15.

i) Paulo durius Theod. Beza ſe crucifixi imaginem ex animo deteſtari dixit. Se vero ex animo amplecti & Bezæ impietatem deteſtari, regerit Nic. Montacutius Orig. Eccl. T. I. P. poſt. p. 391. Fas eſt & Chriſtum amplecti, & eo ſenſu, quo veſtigia ejus premimus, crucem: ipſum lignum, tanquam maledictum, etiam dum amplam cauſſam ſuggerit, mortem & meritum domini commemorandi, juſtus horror comitatur.

PROLUSIO
DE
SALUTARI, LIMITANDO TAMEN EQUITATIONIS EXERCITIO
PANEGYRI
II. MEDICINAE CANDIDATORUM
d. 12. MENS. SEPT. 1757.
PRAEMISSA.

Illud quidem difficile intellectu non eſt, perennare corporis noſtri robur, ſi probus eorum, quæ ingeruntur, delectus perdita ſemper reſtituit, ſimulque excretionum integritas nihil ſuperflui corruptive ſubſiſtere in corpore permittit. Quid enim, ſi hæ binæ conditiones ſibi conſtant, & ſolertes ſui vindices reperiunt, fingi præterea in ſanitatis tutelam poteſt? At neutrum ſperare niſi inter exercitia corporis convenit, quibus maxime vaſorum viſcerumque tonus, ibi vigorem coctionum, hic excretionum ſuſtentans, cum certo valetudinis commodo ſtabilitur. Neceſſe autem eſt, ſine hoc præſidio crudos ex ingeſtis humores naſci, remorari in corpore, degenerare ſenſim magis, & oppilando erodendoque morborum tantum non omnium ſcenam aperire. A vero vix ejus deflectit conjectura, qui panis in ſudore vultus comedendi præceptum non modo tanquam divinam pœnam, primis violata lege hominibus inflictam ſed & tanquam valetudinis noſtræ a ſuſcepta veneni labe in deterius ruentis, ut

ruat

ruat lentiori gradu & quaſi habenis injectis, verum fulcimentum conſiderat. Quis paullo attentior divinam gratiam non agnoſcit? quæ beneficia inter ipſas pœnas impertiri, & per easdem ortæ ex peccato indigentiæ noſtræ conſulere, ac ſubeunda difficilium ſæpe laborum *a*) onera conſtantioris ſanitatis commodis lenire voluit. Quin & alterius momenti in præcepto illo majorem rationem habitam eſſe adparet, quod multis paſſim inter majores mollioris vitæ opportunitates fugere labores & ſudorem vultus liceat, ſuam ſic incolumitatem & ſanitatis conſtantiam tueri non liceat. Quis viventes in perpetuo otio robuſtos aut ſenes vidit? Quis non cum Socrate *b*) naſci corpora a motu & conſervari, a quiete corrumpi & interire intelligit? Membra corporis noſtri ad exercendos motus per Naturam diſpoſita intermiſſo diu officio ſuo non ſolum rigeſcunt, & quieſcente per quietem glutine, ſub quo rotantur, perit artuum volubilitas, ſed & ſimul interni motus ſine his externorum ſubſidiis in functione corporis alendi

a) Labor firmat, ignavia reſolvit, Hippocraticus canon eſt. Hoc autem loco, nullum nobis diſcrimen eſt, ſive moveri hominem, ſive exerceri, ſive laborare dixeris, modo id intra ſalutares terminos fiat, quibus cum ſanitate convenit. Veteres tamen cum Galeno ſollicite diſtinguebant, motum, exercitationem, laborem, *κίνησιν*, *γυμνάσιον*, *πόνον*. Motus latiori ſenſu omnes gradus intenſiores vel remiſſiores, pendentes a voluntate vel non pendentes, comprehendebat. Exercitatio iis motus erat valentior & voluntarius, qui anhelitum, moderate tamen, alteraret, ut qui exercerentur in locis publicis, quæ olim gymnaſia vocabant, crebrius quam ante & celerius reſpirarent. Unde idem motus in uno corpore exercitatio in alio non eſt; neque enim idem motus in debili & robuſto, ſueto & inſueto anhelitum ſimiliter alterat. Labor erat motus quoque valentior & voluntarius, at qui utilitatem magis & rem domeſticam ſpectaret, exercitatio magis robur & oblectamentum. Hic arbitrii plus eſt in optione temporis & horarum, ibi motus ſub majori muneris & imperii vinculo. v. Galen. II. de tuend. ſanit. 2. Edit. Juntin. Cl. II. p. 69. E. Rem plenius digeſſit Hier. Mercurialis de arte gymnaſt. L. II. C. I. p. 112. ſq. Nobis hic in moderato motu cujuscunque nominis præſidium ſanitatis conſiſtit.

b) Apud Platonem in L. XIII. cui titulus eſt Theætetus ſ. de ſcientia, Op. p. m. 97. a.

alendi & repurgandi præmature fatiſcunt. Non niſi juſto utrorumque commercio contingit, ut humores noſtri per vaſa pulſi vegetius, a mutuo partium contactu, quo facile invicem pro naturali ſuo in concretionem niſu implicantur, divelli & perpetua ſitus ſui mutatione fluxilitatem ſuam tueri, ſine ulla remora diſtribui, & ad inquilini humoris indolem ſub actione vaſorum viſcerumque fingi, adeoque muneribus vitæ, & neceſſariis boni circuitus, ſecretionum excretionumque legibus initiari poſſint. Manifeſtum eſt, exercitatorum hominum quam quieſcentium elaboratiores ſuccos eſſe, agiliores ſpiritus, conſtantiores vires, ſalubriorem perſpirationem, corpora ipſa mole & ſenſu leviora. Non eſt facile niſus in morbum, judice Fr. Bacone de Verulamio *c*), cui non certus exercitationum gradus medetur. In morbis inprimis chronicis nobilius remedium non eſt quam a motu, qui coctionum excretionumque vitia, præcipuas ſine dubio, niſi forte unicas, morborum cauſſas emendat, & quidquid impuri miaſmatis ingreditur, quidquid in latebris vaſorum meatuumque ſe figit altius, & per ipſam moram novas nocendi vires conſequitur, jam ad internorum viſcerum focum, quo fugitivi inſtar militis luſtrari, & vel corrigi vel ejici poſſit, tempeſtive retrahit; ut ſane omni medicina præſtantior ſanitatem corpori, ſerenitatem animo conciliet conſervetque & ad poſtremos ætatis terminos adverſus pleraſque morborum inſidias defendat. Hinc provide agunt, qui ſtata movendi corporis tempora non incurioſius, quam religioſi cultus, refectionis ſomnique horas, quæ verba G. Cheynæi ſunt *d*), ſervant, ſique ob occupationes, quod volunt, non poſſunt, nullam tamen temere exercendi corporis opportunitatem prætermittunt.

Inter hos vero externos motus in ſalutem corporis ſuadendos nolim alios ſalubriores cenſere, quam qui manus pedesque exercent, partes a poteſtate cordis & arteriarum remotiores, hinc quieti

c) De augm. ſcient. L. IV. c. 2. Op. p. m. 106. Ita, inquit, morbis renum globorum luſus convenit, pulmonum ſagittatio, ſtomachi ambulatio, atque aliis alia.

d) De infirmior. ſanit. tuend. C. IV. §. 6. p. m. 126.

quieti humorum, ſtaſi & corruptioni magis obnoxias, niſi actio muſculorum, quibus ideo copioſiſſimis inſtruuntur, novum in illis motus calorisque focum incendat, & repulſo celerius ex ſuis confiniis venoſo ſanguine actionem cordis & vaſorum intendat. Quid vero occurrit facile laborum, quo vel nobis vel aliis inſervimus, quod non manuum pedumque miniſteria ſimul requirit? Certe utraque, quantum licet, conjungere fas eſt, neque hinc ſellulariis artibus, quæ manus fere unice exercent, vel ipſis ſellulis, in quibus eruditorum corpora per maximam diei partem errore non inficiando hærent, magnam valetudinis fidem pollicemur. Congruentior inſtituto Naturæ nullus motus eſt quam ambulatio, nullius neglectus in illa perpetua vitæ & officiorum varietate, quæ ad eam invitat, minus videtur excuſari poſſe. Dicere tamen auſim, quando ſub hoc neglectu nimis invaluit corporis infirmitas, tunc quidem ambulando vires multum jam reciſas celerius exhauriri, quam ſalutaris exercitationis hujus terminus attingitur. In quo ſtatu longe minori virium, quibus parcendum eſt, impendio valetudini ſuæ proſpiciunt, & beneficia externi motus per totum corpus diſpergunt ſalubrius, qui rheda aut equo vehuntur, adeoque dum propria virtus elanguit, alterius moventis ope ſuſtinentur. Id Celſus ad geſtationem refert *e*), omnibus, qui exerceri ſatis per ſe non poſſunt, vario gradu infirmis, ſine febre tamen & dolore, perquam utilem, & in lectulo quidem ſuſpenſo agitatoque, vel lectica vel navi leviſſimam, in vehiculo vel equo valentiorem, circa gravium morborum initia vel lentiorum reliquias elidendas.

Placet hoc loco equitationem, cui G. Cheynæus inter exercitia corporis palmam tribuit *f*), in iſtis jactatæ ſuæ ſalubritatis momentis, & quo fortaſſis limite laudes illæ alioqui juſtiſſimæ egeant, pauliſper conſiderare. Sine dubio ad antiquiſſima tempora,

e) De medic. L. III. c. 15. p. m. 91. Hic Aſclepiadi, quem alioquin in plerisque ſequitur, repugnat, geſtationem quoque in recenti vehementique & ardente febre ſuadenti. Id vero, Celſus inquit, periculoſe fit, meliusque in quiete ejusmodi impetus ſuſtinetur.

f) De infirm. ſanit. tuend. C. IV. §. 3. p. m. 122.

pora, quibus homines animal tam velox & ad domini ſui ſonum nutumque ac leve freni ſignum auribus oculisque tam attentum manſuefacere didicerunt, hoc utiliſſimum humanæ vitæ inventum pertinet. Plinio judice primus Bellerophon equo vehi, Pelethronius freno ac ſtratis uti, Theſſali pugnare ex equo docuerunt *g*). Sane in errore vix verſantur, qui ἱππασίαν ceteris exercitationibus digniorem cenſent & liberos homines maxime decentem, ſummisque principibus commendabilem *h*), olim inter gymnaſticas exercitationes & in circis ludisque Olympiacis receptam, a Romanis quoque, qui equiria ſua in Cœlio monte ab ipſo Romulo inſtituta feſtis admodum diebus celebrabant, in juſto honore habitam, fervente ſenſim in eligendis equis tanto ſtudio, ut ad horum temperiem bonumque habitum & integram ex ſignis coctionis ſanitatem cognoſcendam, referente Galeno, haud refugerent ipſa eorum ſtercora odorari *i*).

Neque vero minus equitationis meritum de medicina eſt. Prætereo gymnaſticam, quæ robori magis quam valetudini litat, haud

g) Hiſt. nat. L. VII. c. 56. Ex illo Hyginus fab. 274. Pelethronium nomen urbis Theſſaliæ eſt, ad cujus conditorem ejusdem nominis Plinius Harduino videtur reſpexiſſe. Si Virgilius III. Georg. 115. inventa frena equorum Lapithis Pelethroniis tribuit, conſtat ex Servio, ipſos Lapithus fuiſſe Theſſalos, dictos ab illa urbe Pelethronios. Conf. Adr. Turnebi adverſ. L. XXI. c. 9. p. m. 673. Certe Theſſali dudum ante alios Græcos arte equitandi inclaruerunt, ut Plato habet in L. XXI., qui inſcribitur Laches ſ. de fortitudine. Op. p. m. 201. b. Ad alios tamen Græcos peritia illa cito ſatis tranſiit, qua celebris Themiſtoclis filius Cleophantes erectus equis inſiſtere & inde jaculari potuit, quod idem Plato refert L. IV. cui titulus Meno ſ. de virtute. Op. p. m. 17. a.

h) Commendat pro eorum valetudine fulcienda B. Ramazzinus in L. de princip. valet. tuend. L. 6. Op. p. m. 427. Propriam principibus equitationem jam olim Carneades dixit. Jacobus I. Rex Angliæ filio præ ceteris exercitiis, idem ſuaſit de inſtit. Princip. L. III. Op. p. m. 84. Conf. Fr. Patric. de regn. & reg. inſt. L. III. tit. 2. Henricus IV. Rex Galliæ multa pericula, cum curru veheretur, expertus, vel ideo, ut undique circumſpiceret, regem equo vehi debere ſtatuit.

i) De meth. med. L. VII. c. 6. Op. Cl. II. p. 45. A.

haud fauſto nimis omine ab Herodico *k*) olim in medicinam recepta; nec bellicam tango, quæ majori etiam periculo vitam humanam exponit. Apud Xenophontem *l*) quidem Iſchomachus inter vitæ ſuæ rationes, quomodo equo nunc per transverſa, nunc per declivia, nunc ſupra foſſas rivosque trajiciat, recenſens plauſu ipſius Socratis excipitur, quaſi ſub uno adparatu valetudini, viribus & artibus belli operam navans. At ſane ſtudium valetudinis plus moderati exercitii requirit, nec probat Cleophantæ votum, qui equitandi peritia *ἄνθρωπος πτηνὸς* ad normam alati Mercurii fieri deſideravit *m*). Circa ipſos equos, qui nunc timidi, ceſpitatores, ſtatarii ſunt, nunc feroces, refractarii, calcitrantes, vel alio vitio laborant, & aliquam ſine dubio in delectu curam exigunt, medicus ſcrupuloſe non hæret, modo quos vulgaris uſus apud nos ſuggerit, ſine notabili vitio eſſe, & commodam ad moderata exercitia ſedem præbere ſciat, in id unice intentus, ut commodorum vel incommodorum in iis, qui equo geſtantur, rationem evolvat, hæc fugere in tutelam valetudinis, illa conſequi doceat. In qua re motum ab equo & equitante pendentem diſcernere & ſuis utrinque viribus æſtimare convenit. Equi motus in tolutantem & ſuccuſſantem dividitur *n*); ille lenior ſub æquabili gradu vim nullam facile corpori ejus, qui inſidet, inferre poteſt, hic vehementior longe eſt & a medicis raro commendatur, utpote ſub quo mollia viſcera concutiuntur nimis, oculi læduntur, corpus æſtuat. Motus autem ejus, qui equum con-

k) Ille Herodicus, quem & Prodicum adpellant, medicinæ gymnaſticæ auctor a Platone non minus quam ipſo Hippocrate, ſuo licet, ut plerique credunt, diſcipulo reprehenſus eſt, quod exercitiis temere præſcriptis febre laborantes occiderit. Epid. VI. S. III. 54. Op. Vol. I. p. 804. 54.

l) De adminiſtrat. domeſt. Op. p. m. 672.

m) Xenoph. de inſtitut. Cyri Edit. Hutchinſ. p. 227.

n) In tolutante primum movetur crus ſiniſtri lateris poſticum, mox anticum, quieſcentibus reliquis. Tunc crus dextri lateris poſticum mox anticum abſolvit greſſum. In ſuccuſſante ſimul & cum ſaltu movetur crus anticum unius & poſticum oppoſiti lateris.

conſcendit, ex ſtatione & ſeſſione mixtus eſt *o*), dum erectus in pedes ſtapedibus inſiſtit, nec totis clunibus, ſed regione perinæi ephippium premit, & ſic tota moles corporis ſub muſculorum tenſione in perpendiculum incumbit. Hic motus ſpecie quietis plus fatigat, quo majus pondus ſub ſimili virium impendio ſuſtinet *p*), erectumque caput, dorſum & univerſum corpus ſervat, crura extendit & femora ad coſtas equi firmiter adplicat. Stans exercitium cum Cælio dixeris *q*), quo tot muſculi in tonica contentione perſiſtunt, quod in vectione non fit, ubi in rheda velut ſtrati quieſcimus, & in actione partium fere nulla, certe exigua, verſamur. Præterea vero eques cervice laborat, viſu proſpicit metam & obſtacula itineris, freno manuum equi greſſus dirigit, pedum calcaribus excitat. His ita conjunctis ex utraque parte motuum momentis, quæ in corpus equitantis vi moderata redundant, omnia membra, plus tamen ſupra lumbos *r*) agitantur, vaſorum humorumque nixus & renixus augetur, pendula viſcera blando affrictu concutiuntur, motus nunc urgens nunc recedens, nunc ſurſum magis nunc deorſum directus, inter iteratos toties impulſus calorem nativum, humorum intimam miſcelam, plenam coctionem, facilem diſtributionem, uberes in miniſteria functionum ſecretiones, & neceſſarias, maxime ope perſpirabilium, repurgationes præſtat, mirabilem quoque vigorem inſpirat animo, quem alit, ut cum Plinio dicam, vel univerſas ejus virtutes auget, quæ Galeni verba ſunt. Aer varius ſemper novusque, & ſub dio magis longe quam tecto reficiens, die inprimis ſereno, intenſiori virtute in pulmonem influit, hujusque actionem toti corpori tam ſalutarem egregie intendit. Viſcera inprimis

o) Mixtam exercitationem ex geſtatione & opera Galenus vocat II. de ſanit. tuend. 8.

p) Magno virium impendio opus eſt, inquit Bernh. Ramazzinus, dum equum, qui inſidet, ad varios motus inſtruit, & totum fere corpus in actione tonica & magna muſculorum contentione detinetur, de morb. artif. c. 33. Op. p. m. 354. b.

q) In curat. epilepſ. v. morb. chronic. L. I. c. IV. p. m. 304.

r) Sanctor. de medic. ſtat. S. V. §. 27.

mis abdominis, languidioris motus toties rea, & contumaciſſimis morbis non unum in abditis illis receſſibus latibulum præbentia, partim fortioris jam reſpirationis beneficio, quo diaphragmatis & muſculorum abdominis actio inſurgit, partim ipſo equini motus impulſu, qui in hæc loca proxime terminatur *s*), eximias ſuſcipiunt vires, circuitum lentiorum humorum mire adjuvandi, & recuperato vaſorum tono novam colluviem arcendi, in ſede ventris adeo metuendam. His vero omnibus plus lucis ſolida obſervationum fides fœneratur.

Ad conſtantiam ſanitatis, quæ per quietem facile declinat, conferre equitationem haud ægre intelligitur. Galenus *t*) ideo jam ſeptennes ad equitationem admiſit, quippe excolendam prius, quam corporis habitus obdureſcit. Nec ipſas Plato *u*) puellas excluſit. Præterea enim, quod tonum fibrarum motus ille tuetur, humores fortius impellit, & hinc coctionum, ſecretionum excretionumque vitia præcavet, tum etiam in ſano adhuc corpore nihil occurrit, quod metum læſionis a tali motu incutiat. Aetius *x*), qui ægrotantibus vix ſuadet equitationem, valentioribus tamen ſupra alia exercitia ſpiritum corpusque & maxime ſtomachum firmare, ſenſusque purgare & acutiores reddere, haud diffitetur. Ad quam ſententiam inter recentiores proxime accedit Jo. Pechey *y*), qui inter cognata exercitia nullum magis ſangui-

s) Imo vis tota, quanta eſt ab equo, inquit G. Baglivius, in imum ventrem terminatur, & per repetitas ſuccuſſiones elanguidum fibrarum tonum reſtituit, humorum ſpirituumque motum vel imminutum vel impeditum excitat, & peccantem materiam longo tempore vaſis glandulisque inhærentem per opportunas naturæ vias foris eliminat. L. I. prax. med. c. 13. §. 4. p. m. 138.

t) De ſanit. tuend. L. I. c. 8. Op. Cl. II. p. 65.

u) De legib. VIII. Hinc & inter feminas Anglicas equitare ſolitas minus hyſtericarum eſſe legimus.

x) Tetrabibl. I. Serm. III. c. 7. Cum quo congruit, quod ex Antyllo Oribaſius habet Collect. L. VI. c. 24. magis nempe equitationem quam omnes alias exercitationes corpus & præſertim ſtomachum firmare & ſenſuum inſtrumenta purgare, eaque reddere acutiora.

y) Promtuar. med. c. 25. p. 154.

ſanguinem ſpiritusque fovere & firmare ſcribit, quam diu multumque & fere ſingulis diebus equo vehi. In quibus commodis facile adquieſcit, cui valetudo curæ eſt, exemplo regis Indorum Phraotæ, qui præda venationis aliis relicta, mihi, inquit, exercitatio ſatis eſt.

At & plurimi ſunt morbi, quibus magnam a motu, præcipuum vero ab equitatione præſidium eſt. Irritis aliis multos & pene incurabiles morbos ſe ſola equitatione ſuſtuliſſe, haud titubanter pronunciat G. Baglivius *z*). Speciatim in ſingultu eam laudat inter veteres Aetius *a*), & in capitis doloribus ab intemperie frigida Trallianus *b*). Quod ipſum Tralliani judicium, ſi fomes dolorum in primis viis ſit, confirmat G. Cheynæus *c*), omnesque, qui ex vitio ventriculi & inteſtinorum capite laborant, & ægre ſimul concoquunt, puro ſiccoque aere equitare jubet, idque ſi fieri poſſit, quotidie & variis locis. Aptam præcipue ſtomacho equitationem jure vocat H. Ranzovius *d*). Hydropicis quoque convenire, ut pariter Tralliani *e*) ſententia fuit, ita eadem

z) De tarantul. c. 7. Op. p. m. 617. inter præcipua, inquit, effœtam ac debilem ſanguinis maſſam in morbis chronicis roborantia laude maximopere equitationes in aere ruſticano, ſingulis diebus, hora potiſſimum matutina, quibus equitationibus morbos chronicos pene incurabiles protinus eliminavi.

a) Tetrabibl. I. Serm. I. c. 5.

b) De arte med. L. I. c. 10. p. m. 23.

c) De infirm. ſanit. tuend. L. IV. §. 5. p. m. 125. Certe adpetitum cibi & coctionem ventriculi pulchre adjuvat & ab antiquis ſordibus ſtrenue eum repurgat, exemplo hominis, qui pruna ſylveſtria cum nucleis devorare ſolitus poſt decem annos vehementer laborare cœpit ventriculo cum ſenſo gravitatis, faſtidii & tenſionis præcordiorum, ut cibum non retineret amplius, nec malum iteratis emeticis vinceret. Tandem a crebra & forti equitatione CXX nucleos uno ejecit vomitu, mox plures, & perfecte convaluit. Guil. Derham in transact. philoſ. Angl. ad A. 1716.

d) De conſerv. valetud. c. 9. p. m. 42.

e) l. c. L. III. c. 31. p. m. 235.

dem inter recentiores Bernh. Ramazzini eſt *f*), qui equiſonem juvenem ex febre acuta parum proſpere eluctatum, lienoſum inde, imbecillum & hydropis periculo proximum, cum ad ſolita equitandi miniſteria reverti juſſiſſet, brevi integræ valetudini reſtitutum vidit. Neque in febribus intermittentibus ſimilis ſucceſſus defuit. Quartanam equitatione ſanatam Jo. Nic. Pechlinus *g*) in homine deſcribit, cum domando equo intentus eſſet, febrem eludente. Huc ſpectat Celſi monitum *h*), quo die febris exſpectatur, ante ſurgere & exerceri, idque agere, ut in horam febris exercitatio incidat; ita enim ſæpius diſcuti. Si pleuritis in ſcirrhum callumque pulmonis pleuræ jam adnati cum aſthmate & tuſſi ſicca tranſit, vel nullo remedio medicabile malum eſt judice Herm. Bœrhaavio *i*), vel vitæ duriori, ruſticationi, fortique & multum iteratæ equitationi ceſſurum. In ipſis, qui imminent, malignis morbis præmuniri hoc motu corpus videtur, ut vel noxium miaſma non admittat vel protinus excludat. Rhaſes ſolos in peſte venatores incolumes evaſiſſe ſcribit *k*). Si M. A. Sinapio fides eſt, Tartari luis venereæ ſuſpectos ad equitandum impellunt, ut cum ſudore virulentum illud excutiatur *l*).

At major præco equitationis non eſt quam Thom. Sydenham, nec alius facile fide dignior, quippe quem in illo obſervationum rigore

f) De morb. artif. c. 33. Op. p. m. 355. Confer. C. M. Adolphi diſſert. phyſ. med. p. 393. ubi fuſe hoc argumentum tractat, & hominis meminit hydrope anaſarca laborantis & nec catharticis nec roborantibus levati, qui poſtquam ad equitationem acceſſit, interjecto diureticorum uſu, incolumis evaſit. Præſtantiorem in hoc caſu equitationem cenſet ſub ſole, tecto tamen capite.

g) Obſ. med. phyſ. L. III. c. 35. p. 105.

h) De medic. L. III. c. 15. p. m. 146. quod tamen multi, inprimis plethorici, temere imitantur, & ſub hauſtu prius vini generoſi vel aromatici ad exercitia ſe accingunt, ac ſimplicem ſæpe febrem in acutam convertunt.

i) Aph. de cognoſc. & cur. morb. 898.

k) III. Com. tr. 13. c. 2. Conf. Hier. Mercurial. de arte gymnaſt. L. III. c. 15. p. 245. it. L. VI. c. 13. p. 385.

l) Paradox. med, P. II. c. 6, §. 5. p. m. 109.

rigore falli & fallere neſcium dixeris, ut Macrobius *m*) olim Hippocratem. Teſtatur ille *n*), nihil ex omnibus, quæ ſibi innotuerint, adeo impenſe ſanguinem ſpiritusque fovere, quam diu multumque & ſingulis fere diebus equo vehi. Illo judice nil fingi poteſt, quod ſummam functionum labem & impotentiam inter tot millia ſuccuſſionum ab equo efficacius corrigat. Cujus calor ita deferbuit, ut hoc motu non excitetur? cujus ſuccus tam depravatus latere in viſcerum ſinu poteſt, quem non virtus illa vel ſubigat & emendet, vel inemendabilem diſſipet & eliminet? Meminit ibidem theologi hypochondriaci, qui in ſtudia intemperantius incubuerat, & inter coctiones ſubverſas ac vitiata omnia nullis adjuvari vel catharticis vel chalybeatis vel aliis per plures annos cum cura exhibitis poterat. Huic ſuaſit noſter, equo vehi, primum modice, quantum commode ferret, & perſiſtere in eo exercitio, & plus indies ſpatii emetiri, interea vero temporis nihil in cibo potuque mutare. Ille his conſiliis obſecutus brevi tantam mutationem ſenſit, ut eventu bene mirabili animatus & per menſes huic inſiſtens exercitio non convaluerit modo, ſed & valido vegetoque corporis habitu ſit potitus. Litterati igitur, qui ſtudiis ſuis & ſpeculationibus in vita ſedentaria intenti circuitum humorum per vaſa abdominis, in ſe adeo lentum, preſſo ventre magis ſufflaminant, & facile hypochondriaci evadunt, non male rebus ſuis conſulunt, ſi equum Lipſii *o*) exemplo alunt, & ope hujus exercitii, quod erectum corporis ſitum poſtulat, ſtabulantem in imo ventre ſaburram movent, ſolvunt, excutiunt. Hunc motum ideo etiam vehementiorem Frid. Hoffmannus *p*) ſuadet, ut ſufficiens tantis obſtaculis virtus obſtructas

m) In ſomn. Scip. L. I. c. 6. p. m. 39.

n) In diſſert. epiſt. ad Guil. Cole. Op. p. m. 415.

o) Epiſt. Cent. III. ad Belgas Ep. 56. ad contubernales ſuos.

p) De philoſ. corp. hum. viv. & ſan. L. II. C. 9. §. 13. Op. Edit. Genev. T. I. p. 122. Alio tamen loco, quo de malo hypochondriaco fuſius agit Op. T. III. p. 73. §. 7. tutius moderatam equitationem poſt infuſi calidi uſum exigit, ut corpus lente incaleſcat, nec flatulentæ moleſtiæ exacerbentur.

ſtructas meſenterii & inteſtinorum glandulas reſeret, ac viſcera craſſis humoribus inter illos viarum anfractus toties referta liberet. Sentiunt certe hypochondriaci ſub continuato tali exercitio concreta in ventre & quaſi glomerata ſolvi. Deſperatum fere hypochondriacum ſe equitando ſanaſſe inter nigricantia vomitu & alvo rejecta, teſtatur G. Baglivius *q*), quo nemo poſt Sydenhamum equitationem plus extollit.

In pectoris morbis majorem metum incutiunt Aetius, qui equitationem peſſimam thoraci, & Oribaſius, qui infenſiſſimam dicunt *r*). Verum id non poteſt niſi de acutis morbis pectoris, vel illis chronicis, in quo fracida viſcera motum non ferunt, vel denique de vehementi equitatione & in turbido aere intelligi. Laudatus Baglivius *ſ*) nil magis conferre aſthmaticis cenſet quam debitam equitationem & moram in aere ruſticano, quem pro varietate aſthmatis nunc campeſtrem, nunc montanum, nunc marinum requirit. In ipſa vero phthiſi & tabe adeo teſte Sydenhamo profuit equitare, ut multis cognatorum ſuorum ad gradum morbi deploratum nocturnosque ſudores & diarrhœas in ultimo ſtadio tam funeſtas redactorum ſalus ex illo auxilio adfulſerit. Addit, ſibi plane perſuaſum eſſe, ſe aliis medicamentis cujusvis pretii vel alia quacunque methodo haud plus profecturum fuiſſe, quam ſi verbis tantum, ut valerent, cohortatus eſſet. Cumque ex iis, qui morbis chronicis pereunt, duos facile trientes in Anglia perire phthiſi exiſtimet, tanto majorem mereri hoc equitationis exercitium attentionem colligit, & nec mercurium in morbis venereis nec corticem peruvianum in febribus intermittentibus plus virtutis quam equitationem in ſananda phthiſi vel

q) De fibra motr. L. I, corall. I. Op. p. m. 327. ubi equitatione ſuper aſinum in aere ruſticano alterum nobilem, alterum divitem, hypochondriace adfectos ac pene deſperatos, perfecte ſanavit. Conf. Leonh. Fuchſ. de curand. rat. p. 98. Nic. Abr. Frambaſar. Can. & conſult. L. II. C. II. p. 67. ubi in melancholia ex totius corporis conſortio equitatum per amœna & viridia ſuadet.

r) Ille l. c. S. III. C. 7. hic l. c. L. VI. C. 24.

ſ) De morb. ſucceſſ. c. 12. Op. p. 387.

vel tabe polliceri fidenter adſeverat *t*). Nec magnus aliorum auctorum in ea re diſſenſus eſt. Fr. Fullerus eo hoc certius in phthiſi auxilium vocat, quo laxior humorum craſis eſt, & Rich. Morton in febribus hecticis & lentis ex vitio maxime ventriculi negat magis quidpiam convenire, quam talem ad ſudores usque protractam equitationem, in hecticis leniorem, in lentis auctam & frequentem. Cautius tamen Frid. Hoffmannus, licet in lentis & hecticis febribus hanc motus ſpeciem ſaluberrimam & accommodatiſſimam adpellet *u*), hoc magis tamen judicium ad tabem hypochondriacam reſtringit *x*), plethoricis, hæmoptoicis, vel vomica & alia magna pulmonum læſione laborantibus nimio corporis motu nunc revocari hæmoptoen, nunc funeſtam inflammationem induci metuit.

In podagra, ubi æger ſub nova quaſi incude refingendus eſt, & perditum coctionum robur longo & continuo digerentium uſu inſtaurari debet, id nunquam fieri ſine exercitio, neque hoc niſi quotidiano, ipſe, quem podagra graviſſime adflixit, Th. Sydenhamus cenſuit *y*). Negat intermiſſa per vices exercitia mutare poda-

t) In diſſ. ep. ad Gu. Cole. Op. p. m. 415 & 416. ubi ſimul longa ſatis itinera & arefacta lecti linteamina requirit. Alio loco Op. p. 457 incredibile vocat, ut in multis morbis chronicis, ita præcipue in phthiſi, illud equitationis præſidium, quod ſingulas digeſtiones firmat, organa ſecretionibus deſtinata ad depurandum ſanguinem roborat, aptamque humorum craſin ſanguine velut renovato reſtituit. Si Balth. Timæus Güldenklee Ep. L. II. E. II. Op. p. m. 469 negavit ſe intra XXXVII. annos vel unum vero ulcere pulmonali adfectum omni cura adhibita reſtituiſſe, vel ab aliis reſtitutum vidiſſe; etiam magis patet, vim, quæ requiritur, abſtergentem, mundificantem, conſolidantem & everſum fibrarum tonum reſtituentem non unice, ut fieri ſolet, in expectorantibus, balſamicis, adſtringentibus, narcoticis, ſed magis in idoneo corporis exercitio, a multis nimis neglecto, quærendam eſſe.

u) De febr. lent. & hect. L. II. C. 13. §. 16. Op. T. II. p. 181.

x) De affect. phthiſ. ſ. tabe c. XI. §. 4. Op. T. III. p. 294. Pariter G. Ern. Stahl de mot. veh. uſu med. §. 13, ubi novum antiphthiſicum vocat equitationem, plus tamen in tabe quam phthiſi commendat.

y) De podagr. Op. p. m. 467. 468.

podagrici corporis habitum ab inertia jam langueſcentis & effeminati. Nec vehementia probat, quæ ſpiritus diſſipant & coctiones debilitant. Quoties vero nec ſenium nec calculus intercedit, aliis exercitiis equitationem adeo præſtare credit, ut re diu multumque perpenſa perſuaſiſſimum habeat, ſi cui medicamentum innoteſceret, quod celare vellet, æque efficax in hoc morbo & chronicis plerisque ac equitatio, eum opes ampliſſimas cumulaturum eſſe. Certe paroxyſmos podagricorum commode equitando differri G. Cheynæus ſentit *z*). Nec repugnat Celſus, qui alienum podagricis vocat equitare *a*), & alio loco omnibus, quibus genua dolent, inimiciſſimum eſſe hoc exercitium ſtatuit *b*). Sævientes enim dolores ut merito quies conſolatur, ita ſub eorum remittentium intervallis equitatio præcavet, ne in corpore materia morbi intra conſuetum tempus eadem copia colligatur, eodemque impetu erumpat.

Hos morbos aliosque rebelles ſæpe & inveteratos una faſce comprehendens Baglivius *c*) equitationem ut herculeum remedium opponit, idque Romæ ſuis ſigillatim popularibus commendat, quibus ob flaccidum in aere nebuloſo ſolidarum partium tonum & lentam fluidorum inertiam triplex emergit malum, gravitas

z) De infirm. ſanit. tuend. c. IV. §. 5. p. m. 126.

a) De medic. L. IV. c. 24. p. m. 240.

b) Ib. L. IV. c. 23. p. 237. Ad hunc locum arguit Bald. Ronſſeus equitationem, tanquam frequentem iſchiadis & podogræ cauſſam, hinc in omni arthritide damnandam. Quæ fit leniter & in morbi induciis, hanc cenſuram non meretur.

c) In colica bilioſa valde pertinaci, in phthiſi cum fluxu colliquativo & reliquis deſperati morbi ſymptomatis, in hyſteria & adfectu hypochondriaco inveterato, demum in chronicis morbis & a viſcerum obſtructione productis non inveniri præſtantius & fere herculeum remedium, quam equo vehi, primum ad ſtadia, dein milliaria, idque horis potiſſimum matutinis & apricante cœlo, copioſe ediſſerit in prax. med. L. I. C. 13. §. 4. p. 138. Ita & morbos varie conjungit Frid. Hoffmannus, & in diſpoſitione phthiſica, hectica, ſcorbutica, cachectica equitationi dicit poſtponendas eſſe omnium aliorum remediorum vires. Op. T. I. L. II. c. 9. §. 15. p. 132.

vitas aſſidua capitis, laſſitudo & alvi ſiccitas. Erunt, qui alvi ſiccitatem ab equitatione naſci potius quam corrigi objicient *d*). Minime diffitemur, a quovis magno exercitio perſpirabilis materiæ creſcere copiam, alvi & lotii excreta minui; hinc Celſo in contumaci fluxu alvino oportunum viſum eſt, vehiculo ſediſſe vel magis equo *e*). Aliter tamen ſe res habet, ſi ob expellentium virium torporem ſaburra in primis viis accumulata hæret & ſiſtitur. Hoc ut fieri ſolet in vita ſedentaria litteratorum, & preſſo ventre alvus obturari, ita ſapienter judicat Sam. Schaarſchmid *f*), eos catharticis breve ad tempus levari, nec ſine crebro ejusmodi ſtimulo alvum morigeram reddi, niſi exercitatio accedat erecto corpore, qualis equitantium. Pendet utraque medela, ne, quæ intro verti debebant, ruant laxatis inteſtinis ad alvum, & ne illa, quæ his omnino viis excernenda erant, moram nectant, a reſtituto debilium fibrarum nervorumque tono, ad quem pari merito equitatio conducit. Hinc etiam prodeſt in omni ſpaſmo, qui debilium & irritabilium nervorum indicium eſt. Subeſt eadem ratio, cur in epilepſia Trallianus exercitationem non tam pedibus quam equo requirat *g*), & cur in hyſtericis ad ſpaſmos tam pronis Nic. Piſo equitationem vectioni in rheda præferat *h*), hanc vero magis eas ad vomitum compellere Jo. Pechey cenſeat *i*), ob interclusum magis, ut opinor, cum externo liberoque aere commercium. Neque illud parum confirmat, nervos ab equitatione roborari, quod huic in aere ruſticano pertinaces morbos, præſertim a longo moerore & animi pathe-

d) Notat aliquem Jo. Nic. Pechlinus, cui, cum Auguſta Vindelicorum Venetias media hieme & intercluſis viis per ambages equo veheretur, toto tredecim dierum itinere, ne ſemel quidem alvus fluxit. Obſ. phyſ. med. L. III. O. 35. p. 505.

e) De medic. L. IV. c. 19. p. m. 230.

f) II. Jahrgang, XLV. Woche, p. 335. 336.

g) l. c. L. I. p. m. 74.

h) De morb. cogn. & cur. L. III. p. 394.

i) Promtuar. med. c. 25. p. 154.

pathemate natos, celerius quam ullis aliis remediis obtemperare G. Baglivius *k*) notaverit. Igitur in morbis nervorum, inertia ſolidorum, cruditate humorum, ſuppreſſione excretionum & malis inde pendentibus equitationi opportune cauteque inſtitutæ multi credunt vix par eſſe remedium, quo vel a columnis Herculis vel Gange fluvio, vel littoribus Nili, vel remotioribus locis adferatur. Juſtam agnoſco laudem, ſed limite egentem.

Quæ res tam ſalutaris momenti ut nec domi deſit, cum ſæpe inclementia externi aeris, ſquallores viarum & ipſum impenſarum onus protrahere, quousque par eſt, uſum ejus non permittat, Vir celeberrimus S. T. Quellmaltz *l*) machinam ſuaſit ſub exacto elaſticitatis æquilibrio conſtructam, cui domi, qui velit, inſidere forma equina vel alia commodiori poſſit, & tutius longe quam in aere nebuloſo, viis offendiculorum plenis, & inter equorum vitia ac caſus aliave incommoda, exerceri. Hanc machinam, ſi non ſuperet alias quorundam ex vario doctrinarum genere depromptas ac vehementer collaudatas, certe ſi uſum ſpectes, paucis utilioribus cedere debere arbitratur. Non eſt ſua laude defraudandum hoc domeſticum exercitum, nec tam joculare, quam Socratis quondam & Ageſilai *m*) cum parvulis ſuis arundini inequitantium. Eſt tamen, cur nec incluſum ædibus aerem, rurali virtute imparem, nec motum illum vertiginoſum, qui

k) Prax. med. L. I. c. 13. §. 3. p. 138.

l) De novo ſanitatis præſidio ex equitat. §. 6. 7. 8.

m) Ageſilaus apud Aelianum *κάλαμον περιβὰς ἵππευε.* Dixit deridenti: tace, donec pater evaſeris, tunc refer patribus. Socrates quoque deprehenſus eſt ab Alcibiade, cum interpoſita cruribus arundine luderet cum Lamprocle, ſuo & Xantippæ filiolo, ut ex Laertio conſtat. Vide præter Aelianum Hiſt. var. L. 12. c. 15. Valer. Maxim. L. VIII. c. 8. ext. p. m. 621. Sunt & infantibus hodie multis ſui ex ligno conſtructi equi. Olim luſus puerorum in cotyla erat, quam *ἱππάδα*, equitationem vocabant, ubi alter alterius manibus ad tergum reductis nexisque inſiſtens genu & velut inequitans ſtrinxit geſtantis oculos. v. Jul. Polluc. Onomaſt. L. IX. c. 7. ſegm. 121. p. m. 1108. Conf. Eraſm. Adag. Chiad. II. Cent. X. 72. p. m. 621.

qui movendo nil promovet, & per eandem brevemque lineam una ſemper via it reditque, oculos vero animumque nulla occurrentium rerum varietate delectat, ſalubritatis gradu cum vera equitatione comparem, quæ ſerenis diebus, quibus merito utimur, tot nobis aeris ſolisque & motuum varii generis beneficia & lætum naturæ in ſuis opibus conſpectum impertit. Vivi animalis calidior actio in omni fere progreſſus momento nova eſt pro viarum nunc declivium nunc acclivium nunc planarum ratione, quod medica æſtimatione inprimis ſalutare eſt.

Neque vero, ut recenſitis in externo aere equitationis commodis fruantur, omnibus ſpem injicio, nec paucos ex laudatis auctoribus ſuo in hoc exercitium amori, inter lætos ſubinde ſucceſſus, nimium tribuiſſe ſuſpicor. Quorum valetudo non declinat tantum, ſed & magna virium clade ruit, iis male ex Herodici doctrina præſidium in exercitiis quæritur. Conſtat enim crebra experientia, cacochymicos, ſi motu incaleſcunt, pravorum humorum jam agitatorum vitio plus quam quieſcentium lædi. Notat Galenus Primigenem, quem in magna intemperie calida levis in porticu ambulatio læſit. Non ægros hujusmodi in perpetua quiete continendos & omnes ſe ſe exercendi vias præcludendas eſſe dixerim, caute tamen definiendas, ne nocenti materiæ nova ſub motu arma præbeamus. Extollit ideo Galenus *n*) patrium ſuum numen Aeſculapium, qui in templis ſuis conſultus & motum & menſuram ejus præſcripſit. Iis, qui ſolidarum partium fragilitate laborant nimis, ut ſcorbuticis, vel cachecticis, ruptis ab equitatione vaſis, ſanguinem cum vita effuſum eſſe conſtat, maxime in pulmonum renumque & calculi vitiis *o*), in quibus incau-

n) L. I. de ſanit. tuend. L. 8. Op. Cl. II. p. 65. G. Apius ideo dictus creditur, quod ægros ſuaviter exerceret, *παρὰ τὸ ἀσκεῖν ἠπίως τοὺς νοσοῦντας.*

o) De pulmone ſupra diximus. Morbo renum qui laborant, eos minime hoc exercitium ferre Galenus ſenſit in VI. Epid. Com. III. aph. Mictum ex equitatione cruentum Frid. Hoffmannus Op. T. II. p. 237. O. 3. eundem

incauta equitatio nunc ſputo nunc mictu cruento multos oppreſſit. Magnus ille dormitor equorum Lud. Corbellus *p*) poſt multam equitationem ſanguinis copiam per os rejecit, vix ultra annum ſuperſtes, cui tamen ipſum robur hoc exercitio contractum & conſuetudine confirmatum a metu hujus mali immunitatem polliceri poterat. Quanto magis, qui viſcera vel non integra, vel tenera nimis & infirma, habent, ſibi ab omni motus impetu partes illas nimis concutiente, ſique non rumpit, decubitum noxii in easdem debilitatas pariente, cavere debent. Mordet tam debiles ipſe aeris aſperioris adflatus, quanto magis frequens illa mollium viſcerum jactatio & concuſſio. Qui non capite, dorſo, pedibus, præterea renibus, veſica & inguine valent, iis maxime partibus, quæ equitando preſſæ infra lumbos refluxum ſanguinis retardant *q*), raro & timide conſcendant equum. Inter eos, qui pro

dem inde periodicum Laz. Riverius Cent. II. Obſ. 3. notant. Ita Jac. Hollerius diutius equitantes calefactis renibus ſanguinem meiere animadvertit Comm. in Hipp. §. 78. Calculoſis, quibus talem mictum parit, nocere, docet Jo. Jac. Wepferi Obſ. 67. p. 214. Suaſit quidem duriorem etiam equitationem, quæ deturbet calculos & concreſcere in rene prohibeat, Jo. Zecchius conſult. med. 53. p. m. 238. nec ſuaſit minus in ipſo dolore calculi Theodoſ. Ep. med. p. 369. Imo fuerunt, qui velint calculoſos ſine ephippio equitare, & ventrem equi dorſo apprimere, quod ſic excluſi aliquando, etiam ſine mictu cruento, calculi fuerint, v. I. Jac. Jœpſer manud. ad vit. long. p. m. 585. Sed abſit in fortuitis caſibus ſpem collocare, tot alios ſiniſtros, quorum luculentior ratio, præterire. Nam magni & anguloſi calculi, qui ſine incommodis & noxa latent, moventur cum doloribus & ſpaſmis, & incaſſum tamen, inter ſumma vitæ pericula.

p) B. Ramazzini de morb. artif. c. 33. p. m. 355.

q) Unde varices crurum, ulcera in clunibus & interfemineo diuturna & calloſa, adſtricta interceptis flatibus alvus, fiſſuræ ani, tumores teſtium, impotentia ad coitum & alia, de quibus in ſeq. §. plura. Ido Wolfius virum notat, qui fortiori equitatione compreſſit ſcrotum cum teſte ſiniſtro, unde dolor, tumor & ulcus fiſtuloſum Obſ. Chir. 50. p. 167. Hujus quoque originis fiſtulam ani notat F. Hoffmannus Op. T. III. p. 641. Reiner. Solenander comitis Oettingenſis meminit, qui magnis itineribus ad comitia equitando properans ita preſſit teſticulum, ut ad infimos abdominis muſculos adactus nulla arte reduci potuerit, poſt mortem intro accretus repertus. S. IV. Conſ. 18. p. m. 366.

pro ratione ætatis, temperiei & vitæ varii generis bene ſatis ſe habent, calidi, ſicci, bilioſi, quibus præſtat parum moveri, non ſunt temere ad illa exercitia cohortandi, nec plethorici, quorum vaſa ſanguine expanſa facile ſub aucto motu & calore rumpuntur, licet ceteroqui bene faciant, ſi poſt ſectam vere & autumno venam ad novæ plethoræ geneſin impediendam equitando exercentur. Senibus vix niſi adſuetis in leviori gradu concedes, qui facile intelligunt in illa corporis ſiccitate & rigiditate parum iis cum re convenire, quæ flexilia membra poſtulat. Frid. Hoffmannus *r*) Baronis Transſylvani 63 annorum meminit, qui fortiori equitatione in tantam incidit cordis palpitationem, ut manum pectori admotam & ipſas veſtes evibraret. Hier. Cardanus *s*) Pium IV. pontificem, qui annos LXVII. exceſſerat, a medicis compulſum, ut æſtate ſub diluculo equitaret, non obiiſſe, ſed occiſum eſſe dicit. Litterati, modo non nimis ſero incipiant, arcendi ab hoc exercitio non ſunt, ſi vires ſibi adhuc conſtant, nec illud Senecæ *t*) ad ſe trahant, ſtultam & minime convenientem litterato viro occupationem eſſe, exercere lacertos, dilatare cervicem, latera frimare.

Omnem equitationem damnamus, frequentem nimis ac vehementem *u*). Qui fiſſuris & mariſcis ani cluniumque laborant, fugere penitus hoc exercitii genus debent, qui nondum laborant, ad vehementiam ejus ſciant id mali ſenſim immine-

r) Op. T. III. p. 93. addit perſtitiſſe id malum aliquamdiu & per vices rediiſſe, ultraque horam ſuppreſſiſſe loquelam.

s) De tuend. ſanit. L. IV. c. XI. p. m. 336. Hic non ad ſenium modo, ſed & frigus ſub diluculo reſpicit. Nam alio loco debiles ſenes equitare mavult quam ambulare ib. L. IV. c. 42. p. m. 383.

t) Epiſt. ad Lucil. 15.

u) Nullum exercitium violentum ſit, quia ſenectutem & mortem accelerat. Sanctor. de med. ſtatic. S. V. 19. Citius ex Philoſopho, inquit, moriuntur exercitati quam non exercitati.

minere, morbum inprimis, quem Hippocrates hippurin vocat x), ex equitatione nimia contractum, nec ulcus ſolum in clunibus, ut vocem illam Valleſius interpretatur, ſed & genitalium vitia, quæ in ipſam coeundi impotentiam terminantur, denotantem. Scytharum ante oculos exemplum ſit, quos ex perpetuæ equitationis errore primum coxendicum dolor adflixit, deinde tantus genitalium virium torpor natus eſt, ut tentato incaſſum coitu id iræ divinæ tribuerent y), & induta muliebri veſte ſe eviratos confeſſi ad feminarum contubernia & operas tranſierent z). Haud nobis repugnat Ariſtotelis auctoritas,

x) Occurrit vox hippuris apud Hippocratem de morb. vulgar. L. VII. §. 7. ad finem. Op. Edit. Lind. V. I. p. 877. LVIII. 12. De homine loquitur, qui per annos ſex habuit *ἱππȣριν́ τε καὶ βȣβῶνα καὶ ἴξιας καὶ κέδματα.* Cornarius hippurin per equitationem vertit, unde reliqua mala orta, nec aliter H. Mercurialis in Hippocrate ſuo T. I. p. 209. B. Fabius Calvus ad hippurin jungit cutem contractam, & intellexiſſe videtur intertrigines cutis ex attritu in equitando natas. Anut. Fœſius vocem hippurin ſervat, explicatque per defluxionem diuturnam cum attritu ad pudenda equitando contractam, cum ſumma imbecillitate genitalis virtutis. Nec multo aliter Jo. Gorræus ſentit in definit. med. Op. p. 272. b. Nam *ἵππος* Heſychio notat *τὸ μόριον, καὶ τὸ τῆς γυναικὸς καὶ τȣ̃ ἀνδρός.* Non mirum, quod hinc Hippocrates Scythas *ἐπὶ τῶν ἵππων τὸ πλεῖϛον τȣ́ χρόνȣ* deſides adpellet *ἐυνȣχοειδεϛάτȣς ἀνδρώπων διὰ τὰς προβάσιας.* de aer. aqu. loc. Op. V. I. p. 359. 2.

y) Iræ Deæ Uraniæ tribuerunt ob ſpoliatum ejus fanum in urbe Syriæ Aſcalone, unde iis æque ac poſteris immiſerit *θήλειαν νȣ̃σον*, morbum femineum. Herod. L. I. 105. p. m. 44.

z) Scythas non ſolum fere perpetua equitatione uſos eſſe, ſed & ipſas feminas, dum virgines eſſent, *ἱππακοντιϛὰς*, non prius, quam viris jungerentur, ab equitatu liberas fuiſſe refert Hippocrates l. c. Op. V. I. p. 352. XLII. Inde vero gentem præ ceteris infœcundam declarans viris tribuit parvam valde *ἐπιθυμίην τῆς μίξεος.* ib. p. 353. 17. & 356. 4. Binas rationes ſubnectit, partim frigidam humidamque Scytharum temperiem, quippe in locis viventium, ubi perpetua fere hiems & dies totus

ritas, qui equitantium creſcere libidinem & ad congreſſum cum femina alacritatem, ex illo motu frictuque, quo genitalia incaleſcunt, concluſit *a*), unde etiam Guil. Inſulanus ignavos in conflictu venereo ad equitationem cohortatur *b*); de hac enim crebra nimis & vehementi, qua debilitari partes illas, quibus virtus genitalis inſidet, & perpetuo ſuo tritu occalleſcere poſſunt, id intelligi non poteſt. Scythas autem potuit eo magis equitatio lædere, quod non ſine magna in partes iſtas injuria equis inſilirent, & ſtapiis, quas juniorum temporum inventum eſſe Septalius evicit, fulcire pedes neſcirent *c*). Si

totus nubilus, partim vim illam & frequentiam equitationis, quæ laſſos reddiderit & elumbes, ἀσθενέες ἐς τὴν μίξιν. Exiſtimat quidem, cum propendentia conſtanter eorum crura ex equo doloribus fuerint adflicta, imo contracto coxendice clauda evaſerint, ſiniſtram eos medelam tentaſſe incidendo retro aures utramque venam, & hinc ſterilitati cauſſam præbuiſſe. Verum non tam ſectæ venæ, licet copia effuſi ſanguinis magis quam ex aliquo cum genitalibus commercio, quod veteres fingebant, languentem ad tempus Veneris ſenſum reddere potuerit, quam vitio intenſioris equitationis hunc morbum tribuendum fuiſſe, ipſe Hippocrates ib. p. 358. 8. luculenter adgnoſcit, ubi opulentiſſimos Scythas, non pauperes, in hunc morbum incidiſſe ſcribit, quod illi continuo equitaverint, hi parum. Subnectit, accidere aliis idem ac Scythis poſſe, qui æque frequenter valideque equitent, ut doloribus coxendicum pedumque correpti ad coitum deinde impotes evadant. ib. p. 358. LII.

a) Sect. IV. probl. XII. Op. Duval. T. IV. p. 71. ubi quæſtio: διὰ τί οἱ ἱππεύοντες ἀφροδισιαστικώτεροι γίνονται.

b) De rat. victus ſalubr. c. 15.

c) Id mali non accidiſſet Scythis, inquit P. Burmannus, ſi ſtapiarum uſum habuiſſent. in annot. ad Sueton. c. III. in vita Caligulæ, p. m. 608. Moris olim erat corpora ſaltu ſubjicere in equos, ut Maro loquitur Aeneid. XII. 287. Quos ſaltus Vegetius de re milit. L. I. c. VIII. p. m. 8. a tyronibus non modo ſed & militibus ſtipendiariis exactos, & quomodo hieme ligneus equus ſub tecto, æſtate in campo poſitus eſſet, ut juniores primum inermes, dein armati ipſumque gladium tenentes, a dex-

Si Germanicus olim gracilitatem crurum, quæ ipſi opprobrio fuit, equi vectatione correxit *d*); ſi Plinius ut ſtomacho, ſic coxis utiliſſimam equitationem merito cenſuit *e*), ſi denique Themiſon ipſos iſchiadicos monuit, ut equitando ſibi conſulerent *f*); horum fides nititur moderato hujus præſidii uſu, nec derogat tamen Hippocratis ſententiæ, coxis inimicam equitationem eſſe & dolorum ibidem parentem, ſi moderati exercitii limites excedit. Excedit eos ſuccuſſans equitatio, quæ tolutanti, ut mitiori & æquabiliori, opponitur, quarum hanc ſaluberrimam, illam nocentiſſimam Sanctorius dixit *g*). Id vero experiri omnes, qui hunc in modum equitare coguntur, quam vehementer caput, dorſum, nates offendantur, & interiora viſce-

a dextris & ſiniſtris inſilirent deſilirentque, deſcribit. Quod de Numidis Livius recenſet Hiſt. L. XXIII. 29. transſultaſſe ſæpe armatos ex feſſo equo in recentem, tantam ipſis velocitatem & tam docile equorum genus fuiſſe. Simile de Græcis Perſisque Xenophon habet. Senſim cultior ætas ſtratores ſibi paruit, quibus attollerentur, vel ad collocatos in via lapides & ſuggeſta adſcenderent, vel nixi ſtapedibus, quorum ope & adſcenſus juvatur, & penduli alioqui pedes commode ſuſtinentur. Nobis certe hoc loco convenit a ſalutari exercitatione removere, quod debilitat nimis & offendit.

d) Sueton. in Calig. c. III. Ipſa vox vectationis moderatam equitationem arguere, notat Magius in miſcell. II. 14. Pars autem moderate exercita pingueſcit, legimusque apud Xenophontem, curſores, qui intra cancellos decurrebant, craſſa magis crura habuiſſe, humeros tenuiores, hos autem craſſiores luctatoribus fuiſſe, crura tenuiora.

e) Hiſt. Nat. L. XXVIII. c. 4.

f) Contra quam Themiſonis medelam, tanquam adverſam iſchiadicis, pugnat Cælius Aurelianus de morb. chronic. L. V. c. 2. p. m. 556. Hier. Mercurialis ita hanc litem dirimit, ut damnoſam in principio, commodam declinante morbo & purgato corpore cenſeat, in medic. pract. L. IV. c. 2. p. m. 416.

g) Medic. ſtatic. S. V. §. 27.

viſcera concutiantur, pro certo habet Hier. Mercurialis *h*), & licet in crudis coquendis vel lapillis ad inferiora deducendis omnis virtus neganda non ſit, tantillum tamen commodi majoribus damnis elui cenſet, & hinc omnibus a tali exercitatione abſtinendum eſſe. Id uberius tabellariorum, qui veredariis utuntur, & equiſonum, qui ſuccuſſantibus ſæpe equis & ſine ephippiis ſe committunt, exempla confirmant, raro quippe ad aliquem ſenectutis gradum pervenientium, crurum præterea varicibus & calloſis ulceribus, anique fiſſuris, fiſtulis & mariſcis ac reſolutione lumborum laborantium *i*).

Etiam ii, quibus convenit juſtis circumſcripta cautionibus equitatio, facile ſpe ſua excidunt, niſi & modi & aeris & temporis ratione habita corpus ſuum ad hoc exercitium rite præparant. Ad id requiro, ut nunquam ex ſumma quiete, ſed poſt lenes ambulationes vel frictiones in equum adſcendant: ſic enim minus moleſtiæ ex creſcente motu ſentient. Nec adſcendant ventre cibis gravato, unde ſpaſmi flatulenti oriuntur, nec vacuo penitus, quoniam omnes humores, quibus nihil novi blandique chyli adfunditur, ſub majori motu cito acreſcunt. Quod cum de excrementitiis metuendum ſit magis, non ſuperfluum eſt monere, ut alvum prius & veſicam exonerent. Neque ii, qui ventris laxioris craſſiorisque ſunt, hinc ex magna peritonæi tenſione in herniam proclives, ſubligaculo vel faſciis ſtringere abdomen negligant. Omnes vero de commodo partium ſitu, de molli latoque ephippio & ſtapedibus non nimis longis cogitent, caveantque, ne angulus ſeſſionis refluenti inferne ſanguini obſiſtat, vel hæreat in veſte, quod durum & pon-

h) De arte gymn. L. VI. c. 8. p. m. 369.

i) Huc ſpectat illud Hippocratis popular. VI. Op. V. I. p. 815. 17. qui equitaverunt, aut amplum iter vel alios labores cruribus perfecerunt, iis ad lumbos & crura ἀκρατίαι παραπληγικαὶ natæ & ad femora ac tibias κόπος καὶ πόνος.

ponderoſum illis locis ſe implicet & partes jam aliquatenus preſſas oneret magis *k*). Ita horis matutinis vel veſpertinis, in quibus jucundior plerumque aeris temperies eſt, nec frigoris nec caloris exceſſu infeſta, moderate incipiant moveri, & ipſo ſenſu ſuo, ad quem gradum eniti commode poſſint, edoceantur. Abſit ſuccuſſans equitatio, quæ forte in morbis quibusdam pertinaciſſimis efficacius clauſtra reſerat, at & nimia vi diffringit. Semper gradaria tutior eſt, nec turbat naturæ molimina, nec laſſitudinem facile relinquit. Neque vero, ſi talis eſt, metuat loca nunc acclivia, quæ plus attollunt, nunc declivia, quæ quaſſant magis, nunc etiam petroſa, quæ in equo commodius quam vehiculo emetimur. Eſt in illa varietate motuum, qua truncus corporis nunc elevatus nunc depreſſus, nunc pronatus, nunc reſupinatus agitur, verum valetudinis præſidium. Inter hæc in aere libero varius ſtrepitus auditum, & delectabilium rerum occurſus viſum acuit, ardorque ipſe animi incaleſcit. Nimis tamen ſæpe ad latera deflectere vel in orbem, caput lædit oculosque & pectus, ſæpe vertigo vel hæmoptoe ſequuntur. Nec motum talem in circulum vel robuſtiſſimus equus ferre per ſemihorulam poteſt *l*). Ruralis aer reficiat, multum urbano præferendus, qui inter umbras ædium, fuligines & inquinamenta eo plus lædit, quo major incolarum cum illis ſordibus colluctantium copia eſt. Sunt qui loca volatu avium frequentata cum Antyllo apud Oribaſium commendant; naturalis enim ſenſus arcet illas ab inquinati aeris commercio. Vim ventorum fugiant eo magis, quo plus aer ſquallidus, impurus, nebuloſus, pulverulentus eſt. Aeſtivis diebus motus equitationis placidior ſit, hiemalibus fortior, ibi in umbra, hic potius in ſole, tecto tamen corpore. Vis frigoris

k) Vir doctus equo impetuoſe vectus, teſte, qui ad marſupium argento plenum & intra femora reclinatum duriter alliſit, ſuppurato laboravit, referente G. W. Wedelio in Eph. N. C. D. I. A. II. O. 235. p. 337.

l) Profp. Martian. Comm. in Hipp. II. de diæt. v. 456.

goris penetrat ſæpe nimis, oculosque offendit & partes alias negligentius, quam par erat, defenſas. Fuit teſte C. F. Garmanno *m*), qui ſæviente hiemali frigore equitans in paralyſin penis incidit, unde impotentia cœundi nata nullis deinde remediis ceſſit. Nec nimius calor, qui tenuiora corporis liquida, lympham & ſpiritus exhaurit, impune fertur. Ultra initia ſudoris vel laſſitudinis nemo facile equitare pergat, reficere enim vires non conſumere animus eſt. Reduces & excalefacti nihil admittant luculenti frigoris, ſive a nivatis æſtate potibus, ſive a jucundo, rejectis veſtibus, auræ adflatu. Nec ante horam capiant cibos, quia ſedatis nondum commoti corporis turbis corrumpuntur.

m) Eph. N. C. D. I. A. III. O. 41.

PRO-

PROLUSIO
DE
MEDICO MORIENTIS ADSPECTUM MAGIS QUAM MORTUI FUGIENTE

PANEGYRI

JACOBI SAMUEL

D. 9. MENS. JUN. 1759.

PRAEMISSA.

Non vacat horrore cogitatio, nec vincere eam animus, niſi vel ſui immemor, vel cœleſtis doctrinæ præſidiis communitus poteſt, corpus hoc noſtrum vitale, ipſa lege conditoris ſui, qui tam eximiis dotibus illud inſtruxit, avolante ad fati ſui ſedem anima, in ultionem miniſterii peccatis præſtiti, intimam ſubire ſoluta omni partium compage corruptionem. Immundius nihil eſt & horribilius quam cadaver humanum, præda vermium & putredinis *a*). Mortem ſe non formidare, ait

a) Quam juſtus ille horror ſit, divina circa res Hebræorum oeconomia illuſtrat, cujus etiam veſtigia gentes tantum non omnes ſub obſcuriori rituum ſuorum origine ſecutæ ſunt. Plus inquinavit contactus cadaveris humani, quam immundorum animalium, quod horum immundities in oculis divinis tanta non eſſet quam hominis ex labe peccati. Hinc contracta ex immundorum animalium contactu immunditiés lotis aqua ſim.

ait Thomas Browne, at corpus ſuum ſub fatali illo momento tantopere deformari, ut chariſſimi aufugiant, uxores, liberi, amici, vel ad adſpectum iſtum trepident, id aliquando animum adeo ſibi dejicere pronuntiat, ut in abyſſum maris demerſus nulla optet mortalitatis ſuæ dare documenta, nullum ſui faſtidium excitare poſſe *b*). Mireris hæc ex medici ore prolata, cum præ aliis familiare ſit filiis artis, occalleſcere ad illum ſenſum, ipſo tabo mortuorum polluere manus, & leges fabricæ in tetris ruinis corporum & ſqualoribus indagare. Eſt aliquis inter hæc couſuetudinis callus, cui reſiſtere diu nec ſummi pudoris nec extremi faſtidii cauſſæ poſſunt, pollinctorum & veſpillonum exemplo, mortalis conditionis, cujus tam crebra imago ſe offert, inter perpetuas circa defunctos operas, ſilicea quadam animi duritie immemorum. In quo tamen argumento laudandi ſunt medici, dum manum, quæ ſalutis leges inveſtigat, in putria mortuorum viſcera demergere adſueſcunt, & ſtomachum ſub illo ſcrutinio ſubverti, ad tyronum mollitiem referunt, eosque ſenſim audaciorum exemplo confirmant. Olim iis pugnandum diu fuit, cum totarum gentium, quæ ſeveris legibus a mortuorum contactu & ſectione arcebant, communi & inveterato tædio. Neque enim Hippocrati vel aliis ejus ævi per indulgentiam legum

ſimplici veſtibus, circa diei ejusdem veſperam ceſſit; ſuſcepta ex contactu cadaveris humani ſeptem diebus perſtitit, & uſum aquæ cum cinere exuſti junicis die tertio & ſeptimo poſtulavit. Imo non contactus ſolum ſed & ſola præſentia cadaveris humani totum tentorium inquinavit, & vaſa in eo patentia, & omnes ſive pro miniſterio funeris ſive alio ſcopo ingredientes egredientesque. Num. XIX, 11. 14. 17. Sic Latinis Græcisque cadavera ſpectare, etiam propinquorum, crimen fuit, contrectare piaculum, & tot deinde opus ablutionibus & ſuffimentis. Aeneæ claſſem funus Miſeni ad littus projecti contaminavit, quod in navigatione tota claſſis quaſi una domus conſiderari ſolebat. De qua re Phoebi oraculum in antro Sybillæ inſtruxit Aeneam voce Maronis Aen. L. VI. v. 149 & 150:

jacet exanimum tibi corpus amici,
heu neſcis! totamque inceſtat funere claſſem.

b) De relig. medici S. 39. p. m. 231.

gum licuit hic fidem cultelli ſui experiri, niſi fortaſſis clanculum, ut quidam ſuſpicantur *c*).

At

c) Ambigua ſunt & ævi illius moribus nimis repugnant, quæ de tentaminibus anatomicis Hippocratis eruditi paſſim comminiſcuntur, contra quos, inprimis Riolanum, diſputat Dan. Clericus, primosque, qui corpora humana ſecuerint, Herophilum fuiſſe & Eraſiſtratum concludit. Hiſt. de la med. P. II. L. I. C. 6. p. m. 317—19. Ariſtotelem ipſum intra ſectionem brutorum ſubſtitiſſe, ex eo ſit probabile, quod interiora hominis ignota eſſe dixerit & ad ceterorum animalium ſimilitudinem æſtimanda. v. Hiſt. anim. L. I. C. 16. Vix tamen hæc in univerſum ſtringunt, & omnem in corpore humano operam excludunt. Eſt, cur ei pluſculum tribuamus, quem Galenus inter paucisſimos, qui optime diſſectiones tractarunt, ad latus Herophili collocat, quemque alio loco primum habitum eſſe refert, qui de partibus corporis earumque nominibus docuerit de diſſect. vulv. C. 9. Op. Ed. Junt. T. I. p. 109. C. & Iſagog. p. 52. G. Laertius Diogenes L. V. p. m. 282. ipſos hodie perditos recenſet libros anatomicos Ariſtotelis, quibus eundem delineatas figuras anatomicas adjeciſſe, ad quas paſſim provocare videtur, ſtatuit I. H. Schultzius in Hiſt. med. Per. II. C. II. §. 7. p. 357. Facile agnoſcimus, plus quam aliis illius ævi viris Ariſtoteli circa hæc licuiſſe, non Athenis quidem, ob ſcrupulos religionis ibidem altius animis infixos, ſed in nymphæo ad Miezam, villa regia extra aulæ ſtrepitum & ſuperſtitioſorum cenſuras ſita, ubi Alexandri ſtudiis præfectus exſequi liberius ſub tutela regis potuit, quæ e re ſua eſſe viderentur. v. Plutarch. in Vit. Alex. Op. T. I. p. m. 688. A. Magnis enim rex Philippus impendiis fovit conatus ejus in hiſtoria naturali teſte Aeliano var. hiſt. L. IV. C. 19. p. m. 373, id quod alii, ut Plinius Hiſt. Nat. L. VIII. C. 16. & Athenæus deipnoſ. L. IX. C. 13. ipſi Alexandro adſcribunt, qui tamen tum temporis, cum adjuvare maxime Ariſtotelem poterat, alieni ab eo animi fuit. Certe in vitæ genere per regiam indulgentiam a vinculis ſolutiori ex difficultatibus illis, quas fucus religionis objecit, eluctatus, & primus, ſi Straboni credimus, collectorum in eum ſcopum librorum ſuppellectile inſtructus videtur Ptolomæum Lagi, comitem Alexandri a puero & ſocium ſtudiorum, (quippe a matre genitum, quam rex Philippus ex ſe gravidam Lago dedit nuptui) ſimili amore & anatomes & condendæ bibliothecæ imbuiſſe. Alexandriæ enim exiguo poſt intervallo ſub primis Ptolomæis quid magis ſtudiorum effloruit? Alteram conjecturam ex Strabone, alteram ex Plinio tueri licet. Strabo enim poſt factam bibliothecæ ab Ariſtotele primum collectæ, & relictæ deinde Theophraſto mentionem, id ſtatim ſubjicit, quod idem facere reges Aegypti docuerit, Geogr. L. 13. Ed. Almel. P. II. p. 906. Plinius vero

reges

At quidquid momenti eſt in rationibus, quarum ſpectata utilitate deſueſcit medicus mortuum corpus formidare, ita ut non ſolum ſine tædio, ſed & aliquando cum voluptate, quæ animum ſciendi cupidum etiam in ſorditie illa recreat & conſolatur, lividos ſanieque reſperſos viſcerum ſinus ac ſuſcepti interitus ſemina ac cauſſas ſcrutetur; animo tamen non æque obfirmato morientis hominis adſpectum ferre ſolet. Illud circa hoc cum aliis commune habet, ad ultima & irrita naturæ in ſuis adhuc vindiciis occupatæ molimina, ad colluctantis pectoris, antequam vi morbi opprimitur, anxietates, ad diram denique & decretoriam cum hoſte non placabili pugnam, omnibus ſimili fato obeundam, cohorreſcere. Id vero, quod animum medici præ ceteris pungit, in eo conſiſtit, convinci inter hæc, quantum lacunarum ſit in re, cujus artificem ſe profitetur. Tam arcti limitis eſſe artis ſuæ poteſtatem, arma, quibus confidit, tam ficulnea, nihil jam amplius ex ſinu ſcientiæ ſolerter excultæ promi poſſe, quod vociferantium gemitus compeſcat & ſpem renovet, adeoque merum inutilemque ſpectatorem ſe eſſe, non ſine pudoris dolorisque ſenſu intelligit, inque ſinu ſuo ingemiſcit. Mirum igitur non eſt, atrociorem illi eſſe morientum quam mortuorum conſpectum. De medico mihi olim in Holſatia conſtitit, qui accitus profectusque

reges in Aegypto ipſa corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecuiſſe ſcribit. Hiſt. nat. L. 19. c. 5. Nihil non horum ad ſolum ævum primorum Ptolomæorum quadrat, quibus potuit Alexandriæ manum commodare ipſe Herophilus, vir ad exquiſitiſſimam diſſectionum cognitionem tunc enixus, & qui de majori parte non in brutis, ut plerique, ſed ipſis hominibus periculum fecit, quæ verba ſunt Galeni Op. T. I. p. 108. H. Mirabile omnino eſt, & in quo meritum Ariſtotelis vix diffiteri licet, anatomen, conſenſu gentium tantum non omnium pro re irreligioſa habitam, ſubito & infra unius ſeculi terminum ita caput extuliſſe, ut vinceret omnis ſuperſtitionis repagula, & multa etiam in corpore humano vivo tentaret. Nota ſunt verba Tertulliani de anim. C. X. Herophilus ille medicus an lanius ſecentos exſecuit, ut naturam ſcrutaretur, & hominem odit, ut noſceret. Quo jam ante Celſus reſpexit, dum Herophilum & Eraſiſtratum nocentes homines a regibus ex carcere accepiſſe & vivos incidiſſe refert in præf. L. 1. p. m. 7.

que ad ægros, ſi reperiret extra ſpem ſalutis poſitos, vehiculum protinus pro celeri abitu, & ad ſenſum cunctationis cum indignatione popoſcit, indecentiſſimum eſſe clamitans, ægrum præſente medico mori. Durum omnino eſt, eorum exponi oculis, qui nunc inter planctus & lacrymas, nunc inter probra & admiſſorum fortaſſis errorum ſuſpiciones, quas maxime imbellis animi hominibus inſtans amicorum jactura inſpirat, intempeſtive auxilium exigunt, vel non præſtiti rationes moroſe excutiunt. Hinc facile excuſandus eſt medicus, qui periculi, quod evaſurus æger non eſt, conſcius ſe ſenſim ſubducit & turbam fugit, moleſtis quæſtionibus, ineptis querelis & cenſorio illo vultu circumfuſam. Placet ea de re ſententia Henrici VIII. Regis Anglorum, qui ab aulico quodam Dannay, reliquis id muneris renuentibus, de imminente morte admonitus primum requiſivit, quorum juſſu hoc faceret? & audiens medicorum hortatu fieri, componere cœpit animum & theologorum præceptis ſui copiam præbere, medicis vero mox cubiculum ingreſſis abeundi veniam his verbis impertiri: poſt latam ſententiam nihil amplius judici cum reo negotii eſſe *d*). Fieri id ſine violati officii opprobrio poteſt, quoties ſpes auxilii decollat, & peritioribus hodie, qui circa ægrum ſunt, vix certius ſubolet periculum, quam ex illo medicorum parciori vel nullo acceſſu. De medicis hæc dico non empiricis: hi enim veri diſcriminis, in quo ægri verſantur, ignari ſpem etiam temere ſub ſponſione auxilii in ultimo vitæ halitu ſuſtentant. Anna Comnena patris ſui Alexii poſtremum morbum proſequuta venuſte medicorum in certo ægrotantis periculo dilabentium mores & inſtituta enarrat. Medici, inquit, domum quisque ſuam receſſerunt, non fortuito neque ob aliquam neceſſitatem, ſed quod certis indiciis colligerent, inſtare obitum imperatoris. Scite ſubjicit: hoc enim tempore ſtatuerunt, non eſſe ſibi committendum, ut teſtes otioſi tanti mali remanerent illic, expoſiti ad libera odia & judicia hominum, in præſenti ſenſu jacturæ propriæ, quidquid obvium eſt, culpantium *e*). Quibus verbis

vix

d) Greg. Leti in vit. Eliſ. p. m. 16.

e) Alexiad. L. XV. p. m. 395. D. nominat ibi τȣ̀ς κορυφαίȣς τῶν ἰατρῶν

Nicol.

vix poterat Anna concinnius juſtitiam conſilii adſerere, quo ſe medici conſpectui morientium & plangentium querelis ac frivolis cenſuris tempeſtive ſubtrahunt. In morientis domo, vetus proverbium eſt, medicus ſemper malus.

Duo tamen fortaſſis ſunt, quæ fugientem a moriente ægro medicum retrahere videntur. Alterum illud eſt, quod præſagii tam certa fides vix ſit in ipſo vehementiori morbi impetu, quin fallere aliquando peritos etiam poſſit: deſerere autem ægrum non decere in ambiguo adhuc rerum ſtatu, ubi forte liberare eum certe ejus delinire calamitates poſſis. Signorum omnino in definiendo morborum exitu impar poteſtas eſt, & tam ambigua interdum, ut revixerint, quos mori ex decreto medicorum oportuit. Spem igitur tenuem amplecti convenit & alere, quin & ubi acta ſunt omnia, pars meriti eſt, mitigare atrociorem morbi vultum, & ab aditu ad mortem horribilia illa ſymptomatum monſtra arcere, ac quantum licet, cicurare, jamque ἐυθανασίαν aliquam, quæ vincula corporis placidius ſolvit, quamvis metam fati protrahere neſciat, conciliare. Alterum eſt, quod ad lectum ægri figere pedem medici poteſt, officii etiam extra artis limites præſtandi opportunitas, ut cujus corpori mederi non poſſis, ejus animum conſoleris & in ſpem futurorum erigas. Quod officium licet nulli non præſentium conveniat, qui caducam hominis ſortem juſtis æſtimare rationibus, & fomitem, quo inardeſcit moribundi pietas, ſuggerere didicit, fit tamen non raro, ut quæ in ſcopum illum a medico dicuntur, poſt præſtita tot amoris fidei & ſollicitudinis documenta etiam proniori aure excipiantur.

Utraque momenta ejusmodi ſunt, ut moram quidem medico & nova officiorum vincula aliquando injiciant. Quod ſi tamen certus ſatis eſt & ſolidioris artis ſuæ principiis edoctus, nec medelæ amplius nec lenimini morbi locum eſſe, præterea illam ſui fiduciam non habet, ut præparare ægrum ad cœleſtia & pietatis excitare igniculos poſſit, imo vero novit, in propinquo eſſe, quos

Nicol. Calliclem, Michaelem Pantechnen & Michael Eunuchum, quorum conſultationibus juſſu matris ipſa Anna interfuit, imo non rudis medicinæ præfuit, in Calliclis ſententiam pronior ib. p. 392. D.

quos propius iſta animorum cura tangit, & ſub probabiliori ſucceſſu; illi igitur nihil metuendum eſſe veri dedecoris arbitror, ſi inter tacita pro anima ægri vota e loco tam triſti excedit, inprimis quoties ipſe mollioris ac tenerioris animi ſit, ſiniſtro medelæ exitu jam adflicti & improba ſciolorum tela, quæ in artem jactant, ægrius ſuſtinentis.

Quæ omnia tamen non impediunt, quin illis, qui præſentis in quocunque periculo & conſtantis animi ſunt, ac vultum morbi ſibi ſæpe & varia forma oblatum non minus, quam calumnias aliorum ferre & retundere didicerunt, etiam magis adplaudam. Tam tetrum ſævumque nihil eſt, quod non ſub crebro obtutu partem aculei ſui & horroris perdit. In hoc inprimis calamitoſo temporum ſtatu, ubi noſocomia tam ſauciis mutilisque corporibus plena, lue varii generis inquinata, ipſoque afflatu ingredientibus infeſta ingredi oportet, opus omnino eſt ejusmodi medicis, qui horibilem adeo morborum mortisque imaginem inter ipſa propriæ valetudinis diſcrimina minus expaveſcunt, & auxilium, quantum quidem ars bene culta promittit, & nec metus nec audacia corrumpit, tali mentis robore ferre connituntur, quale ſub ipſo onere creſcens a ſummo Numine honeſtis conatibus favente merito exſpectant.

PRO-

PROLUSIO
QUA
PARALYSIS ALIO SENSU PRISCIS,
ALIO RECENTIORIBUS SUMTA AD PARALYTICOS N. T. ACCOMMODATUR,
PANEGYRI
IV. MEDICINÆ CANDIDATORUM
d. 17. MENS. SEPT. 1759.
PRAEMISSA.

Paralyſis ſuccincte definitur per laxam flaccidamque muſculorum ad nixum voluntatis immobilitatem; in qua omne videtur a cognatis morbis diſcrimen contineri. Tetanus quidem pariter muſculorum immobilitas eſt, at rigida. In ſomno iidem obſervantur immobiles, at extra nixum voluntatis. Conſtat, muſculum in corpore ſano & vigili ſatellitem quaſi animæ eſſe & perpetuum motus voluntarii organon, ope nervorum, qui vires moventes ad impulſum animi novo præter ſolitum commeatu in muſculos derivant, unde hi in equilibrio virtutis, quæ flectit membra vel extendit, conſtituti jam ad illud in uno loco ſuperpondium producunt actionem, quam moris eſt voluntariam ſive animalem adpellare. Nervorum dixi id ope fieri, non æque arteriarum. Quandoquidem neceſſe eſt, ad quieſcentem muſculum,

lum, ut in actione ſit, aliunde cauſſam motus, adeoque vel a cerebro per nervos vel a corde per arterias derivari, ambiguum videri poteſt, cujus vaſis major in hoc negotio poteſtas ſit; inprimis cum ligatura ſive nervo ſive arteriæ injecta, ante ingreſſum in muſculum, hujus actionem protinus opprimat, ut voluntati, quemadmodum ante, jam non auſcultet *a*), mox tamen auſcultet iterum, ſi cum ligatura vel alia quacunque, quam ars interdum inſtruit, compreſſione impedimentum influentium ex utroque fonte virium tollitur. Etſi vero cauſſam proximam paralyſis in impedito fluore vel liquidi nervei vel arterioſi ad muſculum in ſua fabrica integrum merito collocamus; proprie tamen cerebrum per nervos ſub nutu animæ impertit vires moventes, arteria muſculum, per quem infinitis propaginibus diſpergitur, ad promtiorem ingreſſum illarum virium diſponit. Sane easdem arteria leges motus in muſculo tum quieſcente tum agente ſequitur, cumque hic in actione brevior, tumidior, durior ſimulque pallidior evadit, nequit ejus ſyſtole ab influente ſanguine arterioſo pendere. Nullum adparet voluntatis imperium in arterias, at luculentius in nervos, quorum liquidum velut ſummæ mobilitatis eſt, ita non mirum, inter nutum voluntatis & ipſum motum

a) Cum paralyſis poteſtatem voluntatis in actionem muſculi tollit, non video, quid ſibi velit illa paralyſis voluntaria, quam ſibi ex arbitrio hominem aliquem creare & tollere rurſus potuiſſe, ſcribit Gaſp. a Reies in Elyſ. jucund. Quæſt. Campo, Qu. L. 22. p. m. 374. Teſtem citat D. Auguſtinum, ad quem quoque in L. IV. de civ. Dei provocat Cael. Rhodiginus, antiqu. lect. L. 20. c. 16. p. m. 1115. nempe presbyterum aliquem ita in ſe ipſo ſenſum ac motum omnem opprimere potuiſſe, ut punctus vel igne uſtus ſentiret nihil, & mortui inſtar jaceret, expergefactus vocem præſentium quaſi e longinquo audiret. Non multum fortaſſis diſſimile de Hermotino Clazomenio Plinius habet, animam ejus relicto corpore vagari ſolitam, corpore interim ſemianimi, & nec puncturas nec ignem ſentiente, idque ſæpius, donec inimici cremato corpore velut vaginam remeanti animæ adimerent. Hiſt. Nat. L. VII. c. 52. Hæc non paralyſis eſt ſed vertigo mentis ecſtaticæ, quæ ſuis immerſa ſpeculationibus, vel quod malim, propriam vim cogitationis opprimens in eo ſtatu non eſt, ut muſculi officium requirat vel prohibeat, circa hoc certe nullo jam voluntatis nixu verſetur.

tum muſculi nihil fere intervalli, quod ſenſus diſcernere poſſit, intercedere. At quomodo voluntas, quæ in tot alios corporis motus vim manifeſtam ne omni quidem niſu ſuo exſerit, hic cauſſam motus non quidem generare, attamen determinare poſſit? vix decet diſquirere *b*). Sufficit, evidentiſſimum eſſe, ad voluntatis conſenſum tanquam perpetuam conditionem motus muſculorum adſtringi, & leges mutui illius inter animam & corpus commercii divinitus ſtabilitas conſtantiſſima obſervatione, quæ nihil caliginis habet, niti, non inutili circa modum ſcrutinio egere.

Iis igitur tantiſper ſepoſitis, quæ vim animæ in hoc negotio reſpiciunt, merito cerebrum ut ſenſus omnis & motus in muſculo principium conſideramus. Velut medulla cerebri ſubito compreſſa apoplexiam, lentius preſſa morbos ſoporoſos, compuncta & eroſa convulſiones parit; ita a medulla tum cerebri tum ſpinali, ſi ſubjectas partes conſueto virium commeatu deſtituunt, paralyſes oriuntur *c*). Hæ in ſe comprehendunt paraplegiam, quæ

b) Quomodo anima in corpus operetur, neſcio inquit H. Boerhaave, & neſcit, quidquid eſt mortalium. Comm. Haller. in prælect. Acad. H. Boerh. Vol. III ad §. 407. p. 409. & paulo poſt p. 431. non repugno, quod anima motus muſcularis ſit prima motrix, id volo, animæ actionem in ſolo communi ſenſorio exerceri, ad muſculum veram cauſſam corpoream accedere, quæ prius in illo non aderat. Qua nos Deus ratione fecit, nulli probroſum eſt ignorare.

c) Scite monuit Aretæus de morb. diut. L. I. C. 7. p. m. 33. cum annot. p. 176. ſi infra caput pars medullæ ſpinalis læſa ſit, nervos ejus lateris reſolvi, capite autem affecto nervos oppoſitæ regionis injuriam ſentire, dextros, ſi ſiniſtra pars cerebri laborat, ſiniſtros, ſi dextra. Congruit ſententia ipſius Hippocratis, laborantia in vulnere capitis loca deſignantis, ἐν τοῖσι δεξιοῖσι τὰ ἀριστερὰ, ἐν τοῖσι ἀριστεροῖσι τὰ δεξιὰ, VII. Epid. §. 7. Op. Edit. Junt. Vol. I. p. 845. Quæſitum ſæpe eſt, vis movendi ſentiendique in quo latere ſit? illo, in quo injuria erumpit, an oppoſito? Maceratum arte cerebrum ſiſtit fibras medullares a dextra parte cerebri ad ſiniſtram tendentes, & contra, idque etiam luculentius prope pyramidalia & olivaria corpora. v. Obſ. anat. I. D. Santorin. C. 3. p. m. 61. Quam decuſſatam cerebri actionem magis obſervationes recentio-

quæ impotentiam motus parit in omnibus partibus ſub cervice poſitis, & hemiplegiam, quæ unius lateris vires exſolvit. Paralyſes particulares nunc nervo, in decurſu ſuo ad muſculum variis locis, ſive propioribus ſive remotioribus, affecto, nunc etiam ab origine ſua, ſive cerebro ſive ſpinali medulla, virium nihil accipienti debentur, quam rem ipſa diſtributio nervorum & inſpecta paralyticorum cadavera plenius evolvunt *d)*. Cauſſa igitur princeps eſt, quidquid ſpiritus ex cerebro, ceu primo ſecretionis fonte, in nervos influere prohibet. Si prohibet ex toto, eſt apoplexia, ſi ex parte, laborant muſculi, ſub illa eclipſi luminis, & virium poſiti. Hinc apoplexia ſolvi incipiens, nec enim tota facile ſolvitur, in paralyſin, velut viciſſim increſcens paralyſis circa loca primi motus in apoplexiam crebro terminatur. Proxima ab hac, quam arguimus, cauſſa eſt, quidquid ipſum nervum ſpiritibus transmittendis inidoneum reddit, licet ſanum ſit cerebrum cum ſpinali medulla, & integer muſculus. Nam in toto itinere nervi poteſt nunc intra ipſa ejus integumenta, nunc in externis viciniſque locis varium prementis tumoris & vias interci-

centiorum illuſtrant. Vidit G. Fabr. Hildanus, qui percuſſi ſiniſtra parte capitis in paralyſin partis oppoſitæ inciderint. Obſ. Chir. L. II. O. 3. ex. I. II. & IV. p. 78. P. Paullus Molinellus cani vivo aperuit ſiniſtram cranii partem, pupugit lobum cerebri & extraxit, at canis in latus dextrum concidit, in ſiniſtro nec ſenſum nec motum perdidit. Quod referunt & experimenti crebrum ſucceſſum teſtantur Comment. Inſtit. Bonon. T. I. p. 139 adduntque, hinc bene ex judicio Lanciſii & Morgagnii ex latere, in quod procumbunt hemiplectici, utra pars cerebri offenſam acceperit? colligi poſſe. Crebra etiam ſectione ſibi conſtare ſcribit A. M. Valſalva, ubi medium corpus reſolutum fuit, hæſiſſe cauſſam in oppoſita cerebri parte, de aur. hum. c. V. p. m. 68. 69. Aliqua tamen ab his diverſa obſervata P. Foreſti & Th. Boneti dubitare permittunt, an contraria illa fibrarum directio conſtans ſit in omnibus locis cerebri. Proſequutus hæc fuſius eſt perill. Ger. L. B. van Swieten Comm. in aph. H. Bœrh. T. I. p. 455 ſq.

d) De ratione paralyſis anat. v. diſſ. Laur. Heiſteri & A. F. Danckwerts Helmſt. 1735. it. Thom. Williſii de anim. brutor. P. II. C. 9. it. Anat. cerebr. C. 13. & Theoph. Boneti in Anat. Pract. L. I. S. 14. p. 282—302.

tercipientis genus naſci. Huc maxime decubitum refero morboſi corruptique, quod natura eliminare interdum fruſtra nititur, & ad iſta loca cum læſione ſolitarum functionum deponit. Crebræ ſunt in morbis tum acutis tum chronicis metaptoſes, quæ nervos occupant & paralyticos reddunt. Brachium ſæpe ſtupet, & non vel ægre movetur, dum ſub axillis natus tumor nervos ibidem ſitos premit. Surditas & amauroſis ab acutis aliquando morbis remanent, preſſis & ſub ipſo preſſu ſenſim coalitis nervis, qui aurium vel oculorum functionibus ſerviebant. Et quoties lædere nervos vimque eorum cohibere, nunc frigus, inprimis humidum, nunc adſtringentium abuſum, nunc luxationes & fracturas, nunc turbas animi & alia non obſervamus? Quæ denique vitia in ipſa paſſim fabrica muſculi *e*) non occurrunt? ut informis aliquando moles degenerantis carnis, atonia fibrarum, diſtractio ex convulſionibus debilitans, a quibus validioribus & iteratis tenelli fiunt manentque aliquando paralytici.

Quandoquidem vero in paralyſi diſſolutio illarum virium occurrit, quæ ad actionem muſculorum in corpore vel toto vel ejus parte requiruntur, aut earum certe remiſſio, quam multi pareſin vocant *f*), ſub obſcuriori adhuc voluntarii motus veſtigio; prom-

e) Eſt hic momentum quoddam in propria contractilitate fibrarum muſculi, quod actioni influentium a cerebro ſpirituum reſiſtit, imo ſunt, qui fibrarum harum reſolutionem malint quam nervorum paralyſin vocare; monendum tamen eſt, parvum hoc eſſe, ſi cum virtute a cerebro determinata comparas, ut ſane inter potentias tam impares admitti antagoniſmus non poſſit, v. ill. Halleri comment. in præl. acad. H. Bœrh. Vol. IV. p. 592. Graviter ib. Vol. III. p. 403. idem vir illuſtris redarguit errorem anatomicorum quorundam, ut H. Fabric. ab Aquapendente, Loweri, Cheynei, Peralti, Stuarti, confundentium naturalem contractionem fibrarum muſculi cum illa animali. Laudat Galenum, qui jam contractionem, quæ a nervo fit, diſtinxit probe a naturali & debili fibrarum, quippe exiguarum virium, cum in illa robur muſculorum immenſa fere pondera elevat. v. ib. Vol. III. p. 448 ſq.

f) Pareſis vi vocis remiſſionem notat, languorem ac defectionem, latiorique ſenſu omnem impotentiam nervorum, etiam extra muſculos voluntati obnoxios. Aretæus in ſtrictiori ſenſu per pareſin intellexit impotentiam veſicæ retinere vel excernere impotis l. c. p. 34. E.

promtum certe eſt ex his concludere, nihil ad hunc morbum propius pertinere, quam motum muſcularem, cui voluntas comes eſt, vel magno gradu diminutum vel prorſus abolitum. At par eſt, de eo etiam cogitare, quod gravior paralyſis, quam exquiſitam Jo. Gorræus vocat *g*), non modo nervos motui ſed & ſenſui ſervientes corripiat. Jam Aretæus utrosque nervos diſtinxit, & paſſim magis Galenus, quamvis illo errore, ut moventes nervos medullæ ſpinali, ſentientes cerebro vindicaret *h*). Verum licet diſtinctæ originis nervi ſint, conjunctim tamen ſub majori trunco collecti progreſſique mox per muſculum tenuiſſimis ramis diſperguntur, ut punctum muſculi non ſit, quod non ſentiat & moveatur: unde ob communem offenſam ſtupor & hebetudo, quin & integra ſenſus privatio, aut alterius generis varia læſio, in paralyticis crebro occurrit. Graviſſimam denique & exquiſitiſſimam paralyſin dicere fas eſt, cui etiam læſo arteriarum officio nova mala ſe jungunt, frigus maxime & macies, quod funeſtum ſatellitium celerrime mortis præſagia comitantur. Sub debili tunc & vix micante pulſu languentes oppreſſasque arteriæ vires haud difficulter cognoſcimus, quippe a quibus calor vitalis & internarum coctionum ipſiusque nutritionis vigor maxime pendent. Meminit paralytici Chriſtoph. Roeslerus *i*), qui in brachio ſiniſtro, quo laborabat, pulſum nullum ſenſit, in altero ſatis adhuc vitalem.

Mihi quidem ſolus hic animus eſt, poſt paralyſin in ſua indole & læſionum ſuarum limitibus, quos noſtrum ævum ſtabilivit, conſideratam, illa tantum ejus ſymptomata, quæ proximæ cognationis ſunt, varios nempe affectorum ſenſuum gradus, qui nec dolores excludunt, ad breve examen revocare. Conſtare jam ex dictis poterit, ſentientium æque ac moventium nervorum in illo communi ad muſculum decurſu hoc ſæpius fatum eſſe,

g) In definit. med. v. Op. p. 490.

h) v. P. Petitum in notis ad Aretæum l. c. p. 177.

i) In obſ. ſelect. a G. C. Winclero edit. O. 334. conf. Eph. N. C. D. I. A. 3. O. 141. p. 147.

eſſe, ut quidquid his vim infert, etiam illorum actionem turbet & totam aliquando opprimat. Juvenis quidam, cui cum meretricula concumbenti pater ſupervenerat, ex ſubito terrore in paralyſin pedum graviſſimam incidit, cum ſenſu penitus abolito conjunctam, ut neque intruſam acum, neque ignitos ſub pedibus lapides, cutem exurentes, ſentiret, ſolo nidore uſtulatæ partis, quid fieret, edoctus *k*). Patet, ſæpius id evenire poſſe ex rationibus jam ſubjectis, ſaltem hebeſcere ſenſum & obtundi, ſi non totus exſtinguitur. Ideo tamen nolim inficias ire, utrumque nervorum genus aliquando ſeparatim laborare. Laur. Heiſterus *l*) cujusdam mentionem facit, cui in ſiniſtro pede facultas movendi illæſa, ſentiendi plane deſtructa fuit, ut nec attactum aquæ gelidæ nec ferventis diſcerneret, nec ignis ipſius urentis nec aciculæ pungentis ſenſum haberet. Mirabilius rei hujus exemplum non occurrit, quam quod cl. Senac in erudito opere de ſtructura cordis ſiſtit *m*). Fuit nempe paralyticus, cui alterum brachium caruit motu non ſenſu, alterum ſenſu non motu. Illam proprie paralyſin, quippe nervorum moventium dixeris, hanc improprie magis paralyſin, quippe nervorum ſentientium *n*). Adeo vero nervis

k) In Frid. Hoffmann. Medicin. ſyſtemat. Tom. IV. P. IV. C. I. de nerv. reſolut. p. 27.

l) v. Ephem. N. C. Cent. I. & II. O. 196. p. 430, Putat vero nervos, qui in cute tanquam organo tactus terminantur, non multum cum muſculo commercii habere.

m) T. II. L. IV. C. 2. §. ult. p. 291. Verba notatu digna hæc ſunt: les nerfs, qui ſont les inſtrumens des ſenſations, ne ſont pas les memes, que les nerfs, qui mettent les muſcles en contraction: le ſentiment & le mouvement peuvent ſubſiſter ſeparement dans la meme partie, c'eſt ce, que prouvent diverſes paralyſies. Mais voicy un exemple ſingulier, qui met dans un grand jour cette difference. Un homme avoit le ſentiment tres vif à un bras, qui etoit dans une impuiſſance totale de ſe mouvoir; au contraire le bras oppoſé n'avoit rien perdu de ſon action naturelle, tandisque le ſentiment y etoit abſolument eteint.

n) Fuerunt olim, qui dicerent, neminem vidiſſe paralyſin, in quo ſervato motu ſenſus perierit, de quibus v. Galenum L. IV. de loc. affect. C. 2. Op. Edit. Junt. Cl. IV. p. 25. E. Certe fas magis eſt talem paralyſin ἀναισθησίαν vocare, Jo. Goræus l. c. p. 4. exquiſitiſſimam paralyſin vocat,

nervis moventibus affectis ſentientes in ſuo interdum officio perſiſtunt, ut etiam acutius ſentiant. Eruditum virum notat Thom. Bartholinus *o*), cujus motum in ſiniſtro brachio diſſolvit paralyſis, ſenſum adeo non oppreſſit, ut ad lenem attractum dolor infeſtaret, pulſus quoque tam fortis eſſet, ut ſanum ſuperaret. Puellam Jo. Jac. Wepferus *p*) utroque pede paralyticam deſcribit, quæ quoties pendulis pedibus deſideret, dolorem tantum ſenſit, ut perferre nequiret, rogaretque adſtantes, ut aliquis eorum tibias ſibi extenderet, quod ipſa ſuis præſtare viribus ſive ſedens ſive decumbens non poterat. Tam evidens eſt, dolores non, ut vulgo putant, ab omni paralyſi alienos eſſe. Paralyſin cum dolore & macie Jo. de Muralto *q*), aliam cum dolore extremorum Wolf. Gabelchover *r*) recenſent. Alcimum qui reſolutus fuit μετὰ μεγάλης βασάνυ, pro paralytico habet Thom. Bartholinus *s*). Videntur ſibi invicem oppoſita eſſe, laxari muſculum, ut fit in paralyſi, & tendi, ut fit in dolore, igitur nullam virium laxantium & tendentium communionem concipi facile circa eadem loca poſſe; at ex dictis jam patet, poſſe in nervis moventibus vim motricem deſtrui, non idem ſemper ſimul in nervis ſentientibus, licet vicinis, fieri, in quibus ſi perſiſtit ſenſus, poterit quoque ex cauſſis domeſticis ad omnem doloris gradum intendi. Dolor vero naſci nequit niſi in loco ſentiente. Nihil præterea frequentius eſt, quam ut dolor vehemens & diuturnus, cujus inprimis cauſſa circa majores nervos & ipſa ganglia hæret, paralyſin ſubjectorum muſculorum pariat, ob vim nervis ſentientibus

vocat, in qua nervi motum & ſenſum perdiderunt, imperfectam, in qua motus perit, ſervato ſenſu, imperfectiorem & minime dignam paralyſis nomine, in qua motu incolumi ſenſus aboletur. Diſerte tamen Cæl. Aurelianus paralyſin ſenſus vocat, ſi ægri nec fervens nec frigidum ſentiunt, manifeſto motu. morb. chron. L. II. c. X. p. m. 342. Exemplum habent Act. Pariſ. Ac. R. Sc. 1753. hiſt. p. 127.

o) v. Ephem. N. C. Dec. I. A. I. Obſ. 124. p. 282.

p) In obſ. de affect. Cap. O. 155. p. 756.

q) v. Ephem. N. C. D. II. A. 7. O. 109. p. 172.

r) v. Curat. & Obſ. med. Cent. I. Cur. 39.

s) I. Maccab. IX, 56. conf. Th. Bartholin. de paralyticis N. T. p. m. 28.

tibus primum, mox etiam vicinis moventibus illatam. Vidit cel. Ger. L. B. van Swieten, a pertinaci dolore circa ultimam lumborum vertebram incurabilem crurum ac femorum paralyſin ſecutam eſſe *t*). Eadem ſæpe circa artus, quamvis non æque contumax, ex rheumatica lumbagine atrociſſimis doloribus ſæviente oritur. Paralyſin poſt dolores capitis memorat Jo. Laur. Fehr *u*). Huc colica pertinet, & inprimis illa pictonum, in quo poſt acerbiſſimos dolores crebro toleratos jamque in ventre remittentes paralyſis ſuperiores vel inferiores artus occupat. Id ſane ex dictis elucet, dolores, aliorum morborum crebros comites, nunc in paralyſin terminari, nunc etiam hanc comitari, ſive in ipſa parte paralytica ſive aliis partibus ejusdem corporis, idque eo facilius, quod ob nervos ab unius loci miniſterio excluſos ſpiritus plerumque majori copia & impetu ruant ad alia loca, mulctent gravius, tendant imo convellant.

Quæ

t) Comm. in Aph. H. Bœrh. T. III. p. 354. ad §. 1060. In hoc etiam merito momentum rei collocat, quod partes dolentes cum vicinis metuant moveri, hinc ipſa quiete magis ad paralyſin diſponantur, exemplo mulierum, quæ loricis ex oſſibus balænarum ſtringunt corpus ac ſuſtinent, ut jam ipſo otio elangueſcat virtus validiſſimorum muſculorum dorſi, quorum eſt truncum corporis erectum ſervare. Ita miſeræ illis loricis a prima juventute adſuetæ nequeunt ponere eas ad tempus, quin totus truncus corporis antrorſum ruat, & prohibeat in ipſo lectulo volvere corpus, nedum erigere vel erectum ſervare permittat.

u) Nihil frequentius ſupervenire colicæ quam paralyſin, docet G. Baglivius prax. med. L. I. C. 9. Op. p. m. 100. conf. Greg. Horſtii obſ. med. ſingul. L. II. O. 16. Aug. Thoneri obſ. med. L. II. O. 8. p. 89. de paralytico ex colica omnium membrorum motu privato, Jo. Nic. Binninger obſ. & curat. med. Cent. III. O. 56. p. 319. ubi notatur ſtupor & paralyſis ex colica, denique mors ex convulſione. Hoc jam olim fuſe attigit Aegineta L. III. C, 43. Coiterus in Obſ. Anat. & Chir. vocat frequens malum in Franconia & tractu Norimbergico, Hollerius de morbis int. L. III. idem Britonibus tribuit, ac ſuis civibus Platerus in propr. Obſ. Plerisque inquit, ex noſtratibus poſt colicos cruciatus diu perſeverantes membra quædam reſolvuntur vel convelluntur, aut ex his velut mixtus affectus cum dolore interim vehemente naſcitur. Conf. I. Schenckii Obſ. med. rar. p. 94. ad 100.

Quæ ſi ad paralyticos novi fœderis transferre velim, in quibus mentio dolorum facta interpretibus crucem figit, jam magno mihi molimine vix opus eſſe arbitror, ut dolores cum morbo illo conciliari poſſe evincam. Sit ita, eos adeſſe raro, verum unus etiam eſt inter omnes paralyticos novi fæderis, cui illud dolorum contubernium tribuitur. Ipſa autem paralyſis veterum, cum ab ea, quam hodie ſub hoc nomine agnoſcimus, aliquantum differat, operæ pretium erit, hoc diſcrimen, qualecunque ſit, cum novæ lucis aliquid in hoc argumento promittat, non penitus prætermittere. Aretæus *x*) apoplexiam, paraplegiam, paralyſin & pareſin ſub uno genere, inter eximias tamen mutui diſcriminis notas, conjungit. Paralyſis totius corporis ipſi eſt apoplexia *y*), paralyſis membri hujus vel illius, in quo tactus motusque aboletur, paraplegia *z*). Si motus tantum perditur, id ei paralyſis eſt in proprio & arctiori ſenſu *a*). Pareſis licet vox communis ſit omnis impotentiæ nervorum, reſtringitur ab Aretæo ad impotentiam veſicæ, non, ut par erat, retinentis vel excernentis *b*), Hippocrates, ad quem Aretæus provocat, tanquam in apoplexiæ defini-

x) Vocat *ἔκλειψιν ἢ κινήσιος ἢ ἁφῆς ἢ ἀμφοῖν, ποτὲ καὶ γνώμης καὶ τῆς ἄλλης αἰσθήσιος,* de morb. diuturn. L. I. C. 7. p. m. 33. C.

y) *παράλυσις ὅλου σκήνεος, καὶ τῆς αἰσθήσιος καὶ γνώμης καὶ κινήσιος.* *Ἀδύνατον* dicit *λύειν ἰσχυρὴν,* quæ ipſa verba Hippocratis aph. 42. S. II. Non aliter Galenus apoplexiam habet pro totius corporis paralyſi, velut epilepſiam pro totius corporis convulſione: & eodem nomine Hippocrati veniſſe apoplexiam teſtatur, de ſympt. cauſſ. L. II. C. II. Op. Cl. III. p. 19. H.

z) Nunc in manu, ait ibidem, nunc crure motum tactumque remittere. Igitur ſimul requirit *πάρεσιν ἁφῆς καὶ κινήσιος,* quod Tralliano eſt *ἀναισθησία καὶ ἀκινησία.* L. X. C. 2.

a) *πάρεσις κινήσιος μοῦνον,* addit *ἐνεργείης* actionis, ut nempe a ſenſu in paralyſi ſubſiſtente, tanquam paſſione, luculentius diſcernat. Ita & Galenus: proprie paralyſis, inquit, in privatione motus conſiſtit, *ἐπὶ τῇ τῆς κινήσιος ἀπολείᾳ.* L. III. de loc. affect. c. 10.

b) v. not. f. p. 17. & not. t. p. 7.

definitione haud diſſentientem, non tamen æque ſollicite recenſitas differentiæ notas obſervat. Tunc tamen obſervare videtur, dum *ἀποπληξίην τῦ σώματος* adpellat *c*). At aliquoties *ἀποπληκτικόν τι τῦ σώματος*, cujus ſedes extra caput eſt, arguit *d*). Ita nunc crus apoplectum vocat *e*), nunc apoplexiam cujuscunque alterius partis *f*), nunc linguæ, brachii & dextrarum partium *g*) diſtinctis nominibus deſignat. Paraplegiam, ut leviorem apoplexiæ gradum ad mala chronica refert *h*), vel ut fuſius Galenus mentem Hippocratis explicat, paraplegia morbus eſt, qui reſolutæ apoplexiæ vel epilepſiæ in partem haud præcipuam decumbenti ſuccedit *i*). Sequitur igitur, ut paralyſis gravior apud Hippocratem ipſa apoplexia ſit, levior cum paraplegia congruat, unde *παραπλῆγες* & *παραπληγικοὶ k*) ab ipſis paralyticis noſtris vix diſcrepare videntur. Scite Themiſon paralyſin in capite cum mentis impedimento apoplexiam dixit *l*), in aliis partibus ſine impe-

c) Aph. 56. S. VI. ex morbo atrabilario: quo ſpectare videntur hæmorrhoides ab eo laudatæ in *ἀποπλητικοῖσιν*, ut habet in Coac. prænot. Op. Vol. I. p. 569. 318. *Ἀποπληξίην σώματος* ex vulnere cerebri ibid. p. 572. 371. recenſet cum febre & vomitu bilioſo funeſtam.

d) Aph. 40. S. VII.

e) *ἀπόπληκτον σκέλος κατ᾽ ἴξιν*, id eſt, *ὡς νεκρῶδες καὶ ἄναλδες* interprete Aretæo l. c. p. 33. D.

f) *ἀποπληξίην τῶν μελέων τινός*. prædictor. II. Op. T. I. p. 505.

g) *ἀποπληξίην γλώσσης, ἢ βραχέονος, καὶ τῶν ἐπὶ δεξιά.* Coac. prænot. S. II. Op. Vol. I. p. 554. 88. Ita ib. p. 569. 317. *ἀποπλέκτυς τὰ δεξιὰ ἢ τά ἀριςερὰ* notat, ſi vulnerati fiunt *ἀκρατέες* ſine febre.

h) *παραπλητικὰ χρόνια* adpellat. Coac. prænot. S. III. Op. Vol. I. p. 570. Sæpe in monumentis Hippocratis *τὰ παραπληγικὰ* leves ſiderationes notant, aliquoties Epid. VI. S. 7. Quod in toto corpore vehemens apoplexia eſt, inquit Aretæus l. c. p. 33. illud Hippocrates in crure paraplegiam vocat.

i) In L. I. Hipp. de morb. edit. Comm. II. Op. Cl. III. p. 113. D.

k) VI. Epid. S. VII.

l) Teſte Cælio Aureliano acut. morb. L. III. C. 5. p. m. 201. ad finem. Addit in notis I. Conr. Ammann, hanc theoriam rationi & experientiæ congruere, & quædam Cælii dubia ipſe diluit.

impedimento mentis ſimpliciter paralyſin. Vix differunt Diocles & Praxagoras, qui Cælio interprete apoplectos vocarunt, quos toto corpore, & paraplectos, quos in partibus vitiat paralyſis *m*). Adeoque tantum non inter omnes priſci ævi paralyſis nomen genericum fuit, nec mirum, quod Celſus *n*) teſtetur ſuo ævo paralyſin dictam eſſe, tum quæ totum corpus, id vero apoplexia eſt, tum quæ partem infeſtat. Maximum momentum eſt ad diſcernendam veterum paralyſin a noſtra, quod hæc anguſtioris longe limitis ſit, illa ſub latiori ambitu non in læſis ſolum muſculorum nervis, qui motui voluntario ſerviunt, ſubſiſtat, ſed & alios interiorum partium nervos ſub illa reſolutione virium comprehendat; præterea utramque muſculi, tam flaccidi quam rigidi, immobilitatem conſideret, adeoque omne contracturarum genus ſub ſe complectatur. Plurimis, ait Cælius, duplex paralyſis ſpecies ſtatuitur, altera a conductione, altera ab extenſione *o*). Per illam contracta membra, per hanc flaccida, languida, propendentia intelligit. Eodem teſte Eraſiſtratus olim docuit *p*), alia ratio-

m) Jungit ibidem Hippocratem, Dioclem, Praxagoram, Aſclepiadem Tienſem & Demetrium, quos inter veteres recenſet, quibus idem videatur paralyſis & apoplexia. Ipſe apoplexiam definit per oppreſſionem mentis ex repentino caſu ad ſimilitudinem percuſſorum, quam vox ipſa indigitat ib. p. 199. paralyſin vero proprie ſic dictam ab apoplexia in eo diſtingui, quod hæc acutæ, illa tardæ naturæ ſit, ſuo ſuffragio fulcit, p. 202. Paraplegiam apoplexia mitiorem ait multis a paralyſi non diſcerni.

n) De medic. L. III. C. 27. diſerte ait, ſub paralyſi comprehendi, quod veteres apoplexiam dixerunt. Imo certum eſt, non dubitaſſe illos apoplexiam per paralyſin univerſalem definire, ut jam ex Aretæo cognovimus. Quare miror, B. Ronſſeo in notis ad Celſum p. 365. hæc verba excidiſſe: nondum id apud quemquam, quod ſciam, præter Celſum noſtrum legiſſe contigit. Monet vero etiam Foeſius, Hippocratem aliquando apoplexiæ nomine paralyſin tractare.

o) De morb. chron. L. II. C. 1. p. m. 342. quod ipſum variis exemplis illuſtrat, nunc crus paralyſi vitiatum fieri conductione brevius, extenſione longius; nunc ſeminales vias paralyſi affectas conductione parere priapiſmum, qui tentigo eſt ſine dolore & fluxu ſeminis, laxatione involuntarium fluxum ſeminis ſine tentigine, ib. p. 347.

p) ib. p. 363.

ratione curandos eſſe, quorum paralyſis ab extenſione, alia quorum a concluſione eſt, quæ Cælio conductio dicitur voce æque obſcura. Aretæus *λύσιν καὶ τάσιν* vocat utramque paralyſis ſpeciem *q*). Similiter Scribonius Largus teſtatur, utrumque vitium Græcis vocari paralyſin, tum ex remiſſione tum ex contractione nervorum *r*), plus tamen, ſubjicit Jo. Rhodius, ex remiſſione. Eadem Marcelli eſt quam Scribonii ſententia, & iisdem fere verbis expreſſa *s*).

Expeditior jam via eſt ad paralyticos novi fœderis inſpiciendos, quos ſtylo veteri græcorum congruentius Lucas *παραλελημένυς* adpellat *t*). Eximii viri Thom. Bartholinus, G. Wolfg. Wede-

q) l. c. p. 34. D. paraplegiam, quæ illi ratione motus in parte aboliti ab ipſa paralyſi non diſcrepat, binas ait habere ſpecies: 1) *ἐς ἔκτασιν λέλυται τὰ μέλεα*, membra reſoluta in longum exporriguntur, nec poſſunt contrahi; 2) *κοῖλα γίγνεται*, flectuntur in orbem, nec poſſunt extendi. Id paulo poſt ad pareſin veſicæ adplicat, quod nempe retinere lotium nequeat, ſi per extenſionem reſolvitur, *εἰς ἔκτασιν λύεται*, vel nequeat contentum lotium excernere, ſi in ſe ipſam convolvitur, *ξυνειλέεται ἐς ἑωυτίην*.

r) De compoſit. medicam. c. 23. p. m. 62. Rhodii judicium v. p. 170.

s) De medic. c. 20. v. art. med. princip. H. Stephan. T. III. p. 325. F.

t) In evangelio ſuo C. V. v. 18 & 24. non ſolum illum, qui aperto ſubdiali pavimento ad pedes Servatoris demiſſus eſt, *παραλελυμένον* vocat, ſed & Actor. IX. 22. Petrum deſcribit, a quo ſanatus eſt ægrotus octo annorum, *κατακείμενος ἐπὶ κραββάτῳ, ὃς ἦν παραλελυμένος*. Ita Actor. VIII. 7. a Philippo multos ſanatos refert, & inter hos *παραλελυμένυς*. Solus adhuc Paulus Epheſ. XII. 12. *παραλελυμένα γόνατα* vocat, non tam paralyſi correpta, quam quœ ſub ſenſu calamitatum deficiunt, quibus reſpondent ברכים כשלות Jeſ. XXXV, 3. Sane neſciunt priſci Græci vocem paralyticorum, uſi altera illa, ut Ariſtoteles Ethic. L. I. C. 13. Op. T. III. p. m. 192. ubi *παραλελυμένα* dicit *τῦ σώματος μόρια*, quæ cum dextrorſum movere vis, ſiniſtrorſum & contraria ratione feruntur, & cum altera paralyſi, ſuperius priſcis auctoribus aſſerta, propius conveniunt: quamvis omnino *παραλύεσθαι* proprio magis & crebriori etiam ſenſu ſit, ſolvi vinculo & vacare opere,

 quod

Wedelius, Jo. Jac. Scheuchzerus, Jo. Jac. Baierus & alii, quidquid hic difficultatis eſt circa cognitionem morbi, quicquid nodorum in medicina ſolubilium, ſtrenua ſolverunt opera *u*), ut parum omnino ſit, quod eorum attentioni ſe ſubduxerit, & jam inanis videri queat de obſcuritate morbi querela. Igitur non niſi pauxillum novæ lucis in illuſtranda & ex parte magis ſtabilienda illorum ſententia promittimus. Occurrunt vero novi fœderis paralytici nunc omiſſo morbi nomine *x*), nunc impoſito quidem at extra dolorum comitatum, quem omnino non convenire fixum eſt plerorumque animis. Solus Matthæus paralyſin nominat, cum qua atrociſſimos dolores conjungit. Centurionis enim, qui opem

quod incubuit. Ita de triariis manipulorum ab opere vacuis loquitur Polybius Hiſt. L. VI. 31. Op. T. I. p. m. 665. *παραλύονται λειτουργίας*. Et Herodotus legem ait Lacedæmonum fuiſſe, ut regum alter exercitum ſequeretur, alter vacaret militia, hinc dictus *παραλύμενος*. Hiſt. L. V. p. m. 313. Ita omnino paralyſis eſt vacatio militiæ, quam exercent in ſanis hominibus muſculi ad imperium voluntatis.

u) Thom. Bartholinus in libello de paralyticis N. T. præivit reliquis, at fecit doctrinæ ubertas, ut a ſcopo ſæpe deflecteret. Bene p. m. 28. fundamentum judicii in eo ponit, quod partibus, quibus motus perit ſenſu ſuperſtite, hic quoque poſſit pro cauſſarum varietate ad dolorem intendi. G. Wolfg. Wedelius in exercit. med. philol. Dec. V. Ex. II. p. 6. ſpasmodicam convulſionem arguit, cum qua congruit magis ille ægrotantis *βασανισμός*. Jo. Jac. Scheuchzerus in phyſ. ſacr. ad Tab. 670. p. 1125 & Tab. 674. p. 1188. non in parte, quam paralyſis ſolvit, ſed oppoſita ſedem dolorum quærit, ex viribus læſi æquilibrii. Jo. Jac. Baierus in animadv. phyſ. med. ad loca N. T. ſpecim. II. p. 30. binis circiter pagellis de paralyſi loquitur doloribus & convulſionibus comitata.

x) Veluti Joann. V, 5. ubi hominem impotem per annos viginti movere corpus & in ſalutarem agitatis undis piſcinam Bethesda deſcendere, plurimi cum Ambroſio, Theophylacto, Chryſoſtomo, Baſilio & aliis pro paralytico habent, etſi ſolius mentio fit *ἀσθενείας* & virtutis aquarum inter alios *ξυροῖς*, id eſt, aridis & contractis, utilium. Poteſt enim ille ſenſus priſcæ paralyſis admitti. Qualis forte mulier fuit a Chriſto ſanata, quæ dicitur *πνεῦμα ἔχουσα ἀσθενείας καὶ συγκύπτουσα*, Luc. XIII, 4.

opem Servatoris flagitavit, ſervum paralyticum vocat δεινῶς βασανιζόμενον, graviſſimos, ut verſio noſtra habet, cruciatus ſuſtinentem *y*). Lucas quidem morbi ejusdem mentionem facit, ſed nullam paralyſis, nullam dolorum: colluctantis tamen cum morte ſervuli *z*), quem vox Chriſti e longinquo ſanavit. Conſtat vero vocem βασανίζεσθαι de intenſiſſimis & ipſis infernalibus cruciatibus ſumi. Apud Lucam dives ſiſtitur ἐν βασάνοις, & in illo igne, quo æſtuat, guttulam aquæ in levamen petit *a*). Horrenda verba ſunt in apocalypſi de pœna Babylonis & ſtatu damnatorum. Dicuntur βασανίζεσθαι ἐν πυρὶ καὶ θείῳ, καπνὸν τοῦ βασανισμοῦ ἀναβαίνειν

y) Matth. C. VIII. v. 7. Simili voce utitur C. IV, 24. dum Chriſtum ſcribit ſanaſſe multos, inter quos paralyticos numerat, βασάνοις συνεχομένους. Haud plus occurrit in N. T. paralyticorum nomen, quam apud Matthæum & Marcum, idque dictis locis, & paucis aliis ſine dolorum comitatu recenſitis, nempe Matth. IX, 2. & 6. Marc. II, 3. 4. 5. 9. 10.

z) κακῶς ἔχων ἤμελλε τελευτᾶν ſc. τὸν βίον Luc. VII. 2. Reſpondet illud Joannis IV, 47. ἤμελλε ἀποθνήσκειν. Valet præ aliis, de Luca, quod licet Syrus & ab helleniſtis veroſimiliter converſus, ſimplici correctoque dicendi genere, ut exemplo παραλελυμένων vidimus, utatur, & ipſe medicus lectione veterum Græcorum medicinæ antiſtitum ſtylum expoliviſſe videatur: hinc quos tangit morbos miſerorum & ſanationes Chriſti, majori cura & exemplorum ubertate, verbis etiam propriis magis & idoneis, exponat. Sani, qui medico dicuntur non egere, ὑγιαίνοντες vocat, non tam concinne Matthæus & Marcus ἰσχύοντες, quod robur etiam ægrorum eſſe poſſit, ut maniacorum, medico tamen egentium, confer. Luc. V, 31. cum Matth. IX, 12. Marc. II, 17. Mulier illa, quæ profluvio ſanguinis laboravit, multum, quæ verba Marci ſunt, a medicis perpeſſa facile medicos in ſuſpicionem adducit vel ignorantiæ vel malæ fidei. Lucas vim tantum morbi deſcribit, medicamentis potiorem, medicis minime probroſam: οὐκ ἴσχυσεν ἀπ᾽ οὐδενὸς θεραπεύεσθαι. Conf. Luc. VIII, 43. cum Marc. V, 26. Hæc fuſius proſequitur Jo. Freind in hiſt. med. p. m. 134. poſt ea, quæ de Aegineta ſcripſit.

a) Luc. XVI, 23.

βάινειν ἐις ἀιῶνας ἀιῶνων b). Mirum non eſt, hic fluctuare mentem interpretum, & qui paralyſin maluerunt expertem dolorum, qualis plerumque eſt, ſtatuere, illam non ſimplicem ſed vi novi morbi torquentem in ſervulo impenſe excruciato agnoſcere. Nec vero ille nimis frequens vel omnino proprius *βασάνȣ* ſenſus eſt, ſi Suidæ credimus *d*), quo teſte *βασανίζειν* nunquam Atticis idem fuit quam torquere & cruciare, ſed hoc potius, veritatem *χωρὶς πληγῶν* exquirere. Satis illud rigidum virtutis examen eſt, licet dolorum ſævitia non acceſſerit, tantum non omni muſculorum miniſterio, quo vitæ noſtræ indigentiam maxime levamus, deſtitui, aliena manu & opera, etiam in viliſſimis rebus egere, corpore inſtar ſtipitis immobilis jacere, animo toto angi, excruciari & neceſſario vitæ tam infelicis tædio, indies creſcente, laborare. Non poteſt aurum ad lapidem lydium certiori fide explorari quam patientia & virtus hominis inter tot mala, quæ incumbunt. Vertamus oculos ad paralyticum aliquem, de cujus doloribus ſilent prorſus ſacræ paginæ, velut ad illum *ἐπὶ κλίνης βεβλη-*

b) Apocal. XIV, 10. & 11. Ibidem IX, 5. *βασανισμὸς* deſcribitus *ὡς βασανισμὸς σκορπίȣ.* Quin & ipſum diabolum legimus projectum *ἐις τὴν λίμνην τȣ͂ πυρὸς καὶ δέιȣ βασανίζεσθαι ἡμέρας καὶ νυκτὸς ἐις τȣ̀ς ἀιῶνας ἀιώνων.* Apocal. XX, 10.

c) v. I. Henr. Rus harm. Evang. T. I. p. 921. 922.

d) Edit. Küſter. Vol. I. p. 418. Ex Harpocratione diſcimus, *βάσανον* lapidem Lydium eſſe, Plinio coticulam, cujus affrictu aurum probatur. Hinc *βασανος* ipſum ſæpe examen notat, aliquando per tormenta. Ita omnino Hyperides *βασάνȣς* explicat per confeſſiones reorum tormentis expreſſas & in tabellis perſcriptas. At crebriori ſenſu nil notat *βασανίζειν* quam *ἀκριβῶς ἐξετάζειν.* Quo ſenſu Iſidorus vitam epiſcoporum ſcribit centum linguis & oculis *βασανίζεσθαι*, id eſt, examinari. Non aliter Chryſoſtomus verba illa paſſim uſurpat, *ἀκρίβειαν τῶν ῥημάτων βασανίζειν, τὸ συνειδὸς βασανίζειν, τὸ ς῀ηθος βασανίζειν*, hoc eſt excutere penitius verba, conſcientiam mentis, vel pectus, ut publicanus ille. v. I. C. Suiceri theſ. eccl. p. 662. 1.

βεβλημένον, vel illum *αἰρόμενον ὑπὸ τεσσάρων* e). Meretur jam facile tanti morbi magnitudo nomen *βασάνȣ*. Notat Petrus *βασανισμὸν* animi, quo Sodomitæ Lothum, cetera ſanum, adflixerunt. *Δικαίαν ψυχὴν*, hæc verba ſunt Apoſtoli, *ἀνόμοις ἔργοις ἐβασάνιζεν*.

Imo vero tantum abeſt, ut omnem interpretum turbam vox *βασανιζομένȣ* adduxerit in ſuſpicionem ſæviſſimorum dolorum, morbi hujus comitum, ut in determinanda græcarum vocum poteſtate non parum perſpicax Hugo Grotius, cui paralyticus Matthæi verus apoplecticus eſt, omnem ab ejus tum corpore tum animo ſenſum doloremque removerit g). Unice magnitudinem morbi ſpectat, & hoc ſublato inſignius Servatoris beneficium: nixus ſimul auctoritate Hippocratis & Celſi, qui, quod ſuperius vidimus, apoplexiam ſub univerſali paralyſis nomine comprehenderunt. Verum nec apoplexia juvenilis facile ætatis morbus eſt, nec nomen illud meretur paralyſis, niſi univerſalem & totius corporis cum priſci ævi ſcriptoribus dixeris. Alium ad ſe allatum paralyticum dum Chriſtus bono animo eſſe juſſit remiſſorum peccatorum certo, ex his verbis nihil ſolatii apoplecticus hauſiſſet, niſi jam reſtitutus: at reſtitutum ſerius eſſe legimus poſt gravem cum ſcribis diſceptationem h). Igitur malim uſu vocis magis familiari paralyſin intelligere, quæ illæſo capite partium uſum ſuſpendit. Nolim quoque vocem *βασανίζεσθαι* ab omni dolorum culpa liberare, quia certe in multis novi fœderis locis idem manifeſte notat quam torqueri & cruciari. Præſtat vero dubias voces ex domeſticis ſcriptoribus interpretari, quam peregrinis. Jam vero ſupra ſatis oſtendiſſe mihi videor, non ab omni paralyſi dolorem abeſſe, quam ſententiam novis munire auctoritatibus ſuper-

e) Matth. IX, 2. Marc. II, 3.

f) II. Petr. II, 8. Quin & vox uſurpatur de rebus, quæ ſine ſenſu ſunt, ut navi fluctibus agitata. Matth. XIV, 24. dicitur *τὸ πλοῖον βασανιζόμενον ὑπὸ τῶν κυμάτων*.

g) Annot. in L. Evangel. p. m. 172.

h) Matth. IX, 2.

ſuperfluum fere arbitror. Solum adhuc Cæl. Aurelianum teſtem citabo, qui ſymptomata paralyticorum recenſens dolorem non omittit *i*). Aſclepiades vero eodem teſte docuit, vena ſecanda opus non eſſe, niſi gravi dolore paralyticus afficitur *k*). Ergo de eo dubitatum non eſt, incidere aliquando paralyſes cum dolore. Quin & bono interdum omine dolorem paralyticis ſupervenire teſtatur G. Wolfg. Wedelius, exemplo juvenis octodecim annorum, nullius fere partis infra caput uſura per biennium gaudentis, cui tamen inter dolores in hac vel illa parte natos rediit ſenſus motusque *l*). Longe minus res illa ambiguitatis habet, ſi more veterum, quorum omnino ſtare judicio in uſu vocum illius ævi convenit, ſub paralyſi contracturas comprehendimus, imo convulſiones, in quas ſæpe acutiſſimus dolor terminatur *m*). Hinc enim non dubitavit Corn. a Lapide morbum paralytici noſtri ad convulſiones referre. Ut ingens tenſionum in violentis contracturis vis eſt, ita niſi nervorum officium prorſus oblitterat, aliquid haud diſſimile tormentis habet. Vidit Jo. Aegid. Euth dolorificam ambarum manuum contracturam & impotentiam, vidit univerſalem quoque & ſumme dolorificam ex ſuppreſſo ſudore Ch. Frid. Paullini *o*). Sic in tetano jam Aretæus coarguit *πόνους ἁπάντων κρατερούς p*). Verum in crebro connubio ſunt utriusque mali vires. Laz. Riverius in hypochondriaco paralyſin & convulſio-

i) De morb. chron. L. II. C. 1. p. 343. Nominat torporem, ſtuporem gelidum, motum ſenſumque nunc amiſſum, nunc ex parte manentem, obſcurum pulſum, atrophiam, nunc etiam dolorem.

k) ib. p. 364. ſunt verba, quæ Aſclepiades Eraſiſtrato regeſſit.

l) Exercit. Medico philol. Dec. V. Ex. II. p. 8.

m) In mobiliori inprimis ſyſtemate nervorum. Vidit perill. Suitenius l. c. T. I. p. 364. hyſtericam dentis carioſi dolore, quoties recrudeſceret, convulſam.

n) Eph. N. C. D. III. A. 9. O. 49. p. 72.

o) Obſ. med. phyſ. O. X. conf. Eph. N. C. D. II. A. 3. App. p. 10.

p) De morb. acut. L. I. C. 6. p. m. 4. D. & E. votum adpellat patri vel filio tunc honeſtum, mortem miſeri ægrotantis finemque optare tot malorum, *πόνων, διαστροφῆς καὶ αἰσχύνης*.

vulſiones notat inter tenſiones per intervalla tam dolorificas, ut digiti pedum contraherentur, & muſculi ad inguina chordarum inſtar tenſi adparerent *q*). Luculentius hujus rei exemplum habet P. Foreſtus de paralyſi brachii ſiniſtri cum contractura tam enormi, ut ſævitia doloris omnem ſomnum eriperet *r*). Addit, ægrum quidem etiam pede aliquantum reſoluto laboraſſe, at in illo non ita convulſiones doloresque ſenſiſſe, quam in brachio ſiniſtro paralytico. Igitur elucet, in ipſo loco, quem paralyſis occupat, ſævire dolorem poſſe, verum perinde hic eſſe, ſi in aliis ejusdem corporis locis ſæviat, quæ eo facilius tenſionis dolorisque injuriam ſuſtinent, quo magis vis illa diſtendens virtutis animalis a parte reſoluta excluditur. Omitto complicatos ſæpius morbos arthriticos, ſcorbuticos, atrabilarios, qui fomitem dolorum alunt & accendunt magis.

q) Obſ. C. I. O. 74. p. m. 577.

r) Obſ. L. X. O. 122. p. m. 461. Etiam præcedens Obſ. 121. agit de paralyſi cum contractione & dolore ſed leviori.

PROLUSIO
QUA
CONTRA MENDACIORUM IMMUNITATEM A PLATONE MEDICIS CONCESSAM DISSERITUR
PANEGYRI
IV. MEDICINÆ CANDIDATORUM
d. 12. MENS. OCT. 1759.
PRAEMISSA.

Damnat Plato mendacium ut magnam in republica calamitatem. Et tamen medicis, quos fere mallet novæ reipublicæ ſuæ juribus excludere, mentiendi poteſtatem tribuit *a*). Cum judicibus, in quos non minus aſper eſt, eos conjungit, & malæ turpisque diſciplinæ conjecturam inde merito fieri colligit, quod homines etiam liberalioribus ſtudiis innutriti judicibus & medicis indigeant *b*). Ex altera enim parte haudquaquam eo judice decebat, cogi hominem ob propriæ virtutis inopiam externa juſtitia uti, & ab aliis tanquam dominis ad officium compelli, præterea

a) Op. Edit. Ficin. L. XXXI. de republ. dial. III. p. m. 380.
b) Ib. p. 385. a. tribuit intemperantiæ & multiplicatis in civitate morbis, quod multi rem judiciariam & medicam in pretio habeant, & liberi quoque his ſummopere ſtudeant.

terea eorum, qui vitæ tempus in judiciis accuſando & defendendo exegerunt, injuriis verſutiisque, quibus ſæpe ipſi ſe efferunt, exponi. At & ex altera parte dedecere exiſtimat, extra ſtatum vulnerum & morborum ab aeris & tempeſtatum vitio genitorum conſulere medicos, tunc nimirum, quando conculcatis ſobrietatis legibus mollities, deſidia, luxus tot novorum morborum, ut catarrhorum inflationumque, Aeſculapii ævo incognitorum, portentoſa nomina & infauſtas inſidias pepererunt *c*). Adeoque philoſophus noſter cum perfectioris reipublicæ ſuæ inſtitutis medicorum miniſteria parum concilians, dum eosdem non niſi in anguſtiori functionum ſuarum limite admittit, illis etiam acrius ſuccenſet, qui valetudinarios obeundis ulterius muneribus ſuis impares, quos præſtaret non vivere licet ipſo Mida locupletiores, ſtrictioribus vitæ regulis, ſub quibus alunt morbum non tollunt, imo prolem ſui ſimilem gignunt, temere ad ultimos ſenectutis gradus perducunt *d*), quomodo mendacium, quod diis hominibusque inviſum adpellat, laxatis adeo divini humanique juris vinculis, concedere medicis, in opere ſuo, ut vidimus, durius antea reſtrictis, tanto jam indulgentior potuit?

Sane Gaſpar a Reies *e*) illam Platonis ſententiam mentiri ſolis medicis licere, crude nimis nec ad philoſophi verba ſatis attentus

c) Hæc credit Aeſculapii tempore non fuiſſe, cujus filii poculum vulnerato Eurypilo ad Trojam juſſu Patrocli oblatum, & farinam cum pauxillo raſi caſei vino inepte mixtam continens, haud damnarunt, rati, quidquid hic inconcinni eſſet, facile ferri in illo nativo robore ſobriorum hominum. ib. l. c.

d) Hinc in Herophilum invehitur, qui ipſe ſibi & aliis valetudinariis per leges gymnaſticas medicinæ ſociatas conſuluit. Tali, inquit, ſapientia ſe ipſum ſuſtinuit Herophilus & ſenex e vita diſceſſit, egregiamque ex arte ſua palmam reportavit, quam decebat reportare illum, qui ignorabat, hoc medelæ genus non fugiſſe Aeſculapium, verum nec id latuiſſe, in civitate bene conſtituta ſuum cuique opus, quod perficere fas ſit, incumbere, nulli ſupereſſe otium, ut in corpore curando occupetur. Igitur cenſuit Aeſculapius, inutilem ejus vitam eſſe, qui non poſſit in regula vivere, & male a medicis illam protrahi.

e) Elyſ. jucund. quæſt. camp. Qu. XI. p. m. 79.

tus propoſuit. Hic enim aliud nihil voluit, quam mendacio, ſi vim pharmaci habet *f*), tanquam utili locum eſſe & probari aliquando eſſe in hominibus publicis, ut medico ratione ægrorum, gubernatore ratione nautarum, & maxime iis, qui rem publicam adminiſtrant, ut hoſtium vel civium cauſſa ad commune commodum mentiantur. Addit, privatis hominibus a mendacio abſtinendum eſſe, eumque, qui in civitate mentiri deprehenditur, velut e genere artificum fabrum lignarium, vatem, medicum, quos totidem nominibus numerat, puniendum, tanquam qui rem infert, ex qua civitatis ipſius velut navis ſubmerſæ pernicies ſequitur. Qua ratione, etſi Plato ad arctiores cancellos mentiendi jura revocat, nec medicis promiſcue tribuit, crediderim tamen magis conſpicuam viri ſapientiam illo decreto futuram fuiſſe, quo mendacium ex republica ſub novis legibus ſuis tuta & a vitiorum contactu vindicanda totum exterminaſſet, nec eo contaminari ſanctiora illorum capita, qui rempublicam adminiſtrant, & virtutem ſuo etiam exemplo tueri tenentur, permiſiſſet. Proprie nulla mendacii vis eſt, quæ in ſalutem hominum influit, qui recta ratione reguntur. Qua cum regi videri velit reſpublica Platonica, non intelligo, quomodo, quod ſingulis noxium & ignominioſum eſt ac pœnis inhibendum, in publicis perſonis, adeoque in majori luce, occultare vel delere illam maculam poſſit. Hinc merito datam immunitatem mentiendi honeſtus medicus ſpernit, inprimis cum Plato alio loco nunquam mendacium tam utile agnoſcit, quin ſit odio dignum *h*). Malæ fidei hæc indulgentia eſt, quæ odia in nos vel contemtum derivat.

Men-

f) Verba ipſius Platonis ſunt in edit. gr. Valder. p. 392. *θεοῖς ἄχρηςον ψεῦδος, ἀνθρώποις δὲ χρήσιμον, ὡς ἐν φαρμάκȣ εἴδει.* Ubi mox ſubjicit exemplum publicorum medicorum, & privatos homines excludit. Ad quæ ipſa verba reſpexiſſe videtur Clemens Alexandr. dum mendacium prohibet, niſi ſit loco medicinæ, ut apud medicum pro ægroto. v. Stromat. L. VII. Op. Edit. Potter. T. II. p. 863. 10. ſq.

g) Ib. l. c.

h) Op. L. XXXI. dial. II. de rep. p. m. 378. a. quærit, quando & cui mendacium in verbis adeo utile eſt, ut non ſit odio dignum? Ita bene

Sepho-

Mendacium eſt ſermo, vel quidquid vim ſermonis habet, a mente, cui conſilium fallendi eſt, alienus. Proprie fallaciam non linguæ ſed animi arguimus, qui ſciens volensque verba inſpirat, quibus aliud, quam cogitat, audientibus perſuadere nititur. Nihil huc pertinent ſimplices, quibus omnes obnoxii ſumus, errores intellectus, quippe in ſolerti etiam & cauto veritatis ſcrutinio ad tam tenuem lucem ſæpe & citra opprobrium vacillantis. Falſum quidem materia mendacii eſt, ſed perſpectum a mentiente, forma autem, ut ſcholæ ajunt, voluntas fallendi *i*). Patet, merito Ariſtotelem omne mendacium per ſe malum & vituperabile adpellare *k*). Quid enim turpius eſſe poteſt, quam inſigne illud humano generi impertitum beneficium, quo alter in alterius cogitationes admittitur & in ſuas viciſſim admittit, illud igitur nullo ſatis pretio æſtimandum humanæ ſocietatis vinculum, quod nos mutui & amici commercii compotes reddit, ſingulos de aliorum indigentia, alios de ſua inſtruit, & univerſis bene de ſe invicem merendi occaſiones præbet, corrumpere per petulantiam linguæ vel potius mentis, quæ ſua fide ſe exuit & nexum illum inter verba & cogitationes populari conſenſu ſtabilitum & viventium univerſo coetui neceſſarium frivole diſſolvit. Non admodum cauſſam hanc tuentur, qui diſcrimen mendacii in pernicio-

Sophocles turpe vocat mentiri, etiam dum ſalutem affert. Verbis ejus diſputat Neoptolemus contra Ulyſſem, quo tamen arbitro, dum lucri ſpes eſt, pudere non decet, in Philoctete v. 107—110. p. m. 476.

i) Unde intelligitur, non mentiri, qui tropice loquuntur & improprie, in quo gravitatem orationis vel elegantiam quærunt, nec qui fabulas bonæ frugis & doctrinæ recenſent, in quo, quidquid fabuloſi admixtum eſt, fallere audientes nequit. Denique idem non eſt mentiri & mendacium dicere. Qui mentitur, non fallitur, ſed, quantum in ſe eſt, fallere conatur, qui mendacium dicit, fallitur, ipſe non fallit. Alterum cavere debet vir bonus, alterum vir prudens, quod A. Gellius notat ex P. Nigidio, cujus olim ingenium & doctrinam ipſe reveritus Cicero & ejus conſiliis in rebus conſulatus ſui uſus eſt. v. Noct. Attic. L. XI. c. 11. p. m. 530. Adde Nonium Marcellum C. V. 80. in collect. Dionyſ. Gothofredi p. 732. & 1343.

k) τὸ ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτόν. Ethicor. L. IV. c. 13.

nicioſum, jocoſum & officioſum inculcant. Pernicioſum quidem damnant, quo quis fallit, ut lædat, minus damnant jocoſum, quo quis fallit, ut delectet, minime officioſum, quo quis fallit, ut proſit. Sane pernicioſum ne hoſtes quidem ſine dedecore peſſundat. Jocoſum ob vanitatem & ſcurriles ſæpe ineptasque facetias vix dignum ſatis honeſto ac gravi viro cum Epaminonda judicamus, quem nunquam mentitum eſſe, ne per jocum quidem, legimus *l*). Officioſum autem, quaſi e fonte charitatis & officii in aliorum ſalutem manans *m*), ſi pro ſpuriæ virtutis prole agnoſcimus, vix fallimur. Quis aquas tam limpidas ab alio fonte quam veritatis exſpectet? Docet Apoſtolus, *ἀγαπὴν συγχάιρειν τῇ ἀληθέιᾳ n*), hortaturque alio loco, *ἀληθέυειν ἐν ἀγάπῃ o*). Hoccine eſt, ſalutem tanquam amoris fructum inter mendacia colligere? Qui ſecus ſentiunt, exempla nobis ex ſacris objiciunt, ut obſtetricum in Aegypto, quas præmium pii mendacii a Deo retuliſſe ajunt *p*). Præmium dixeris pietatis & veniam ſimul mendacii

l) Corn. Nepos in vita Epaminondæ C. III. eum adeo diligentem veritatis vocat, ut ne joco quidem mentiretur. Ad tale vero jocorum genus non pertinet, quo uſus eſt, cum vir quidam præſtans tempore pugnæ Leuctricæ morbo obiiſſet: Dii boni, quomodo huic in tantis negotiis vacavit mori. Plut. de ſanit. tuend. Op. T. II. p. 136. D. Mendax jocus vel ſcurrilitatis reus eſt vel etiam injuſtitiæ, ut ille Stratoclis, qui commento victoriæ perſuaſit Spartanis, ut læti ſacrificarent, mox iis ſuperveniente cladis nuntio perculſis & ſibi iraſcentibus reſpondit: ecquam injuriam paſſi eſtis, qui ſuavius opera mea triduum vixiſtis? Plutarchus de reip. ger. præc. Op. T. II. p. 799. F. accuſat ejus *βωμολοχίαν*. Quin & injuſtus fuit vani gaudii & hinc magis urentis luctus auctor.

m) Vocat Diphilus *τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ λεγόμενον*, alio loco *καιρῷ τιθέμενον, καρπὸν φέρων*. Melius Menander: *ψεῦδος μισεῖ πᾶς σοφὸς καὶ φρόνιμος*.

n) 1 Corinth. XIII, 6.

o) Epheſ. IV, 15.

p) Exod. I. 18. 19. obſtetrices illæ Hebræorum fœtus abjicere juſſæ finxerant, ſine opera ſua feminas tam duræ gentis parere, & hoc commento tot vitas in ortu alioqui perituras ſervaverant. Id ratum habuiſſe ſummum Numen, docent verba: וייטב אלהים למילדת. Hinc Auguſtinus

dacii tanquam peccati. Probas omnino animas & de vita tenellorum ſollicitas agnoſcimus, at hoc ſolo nomine non ob delectum medii pro illo periculo avertendo laudandas, cum conſtantiſſimæ veritatis regula ſit, ut bona eveniant, mala fieri non debere. Malum vero omne mendacium eſſe, ſeveriſſima docent & iterata præcepta divina, quæ mentiri ſine ullo limite vetant q), & ſtudium veritatis in mutuo ſermone intenſiſſime requirunt r), idque inter vehementes pœnarum mendacibus imminentium comminationes s). Divina ſoboles eſt veritas, diabolica mendacium, illa igitur ſumma hominum dignitas, hæc ſumma turpitudo.

Amabilior facies non eſt, quam quæ a vero leviter declinans erubeſcit, nec præſtantior lingua, quam quæ in mala cauſſa ornanda hæſitat ſtatim & balbutit. Hic ſenſus ingenui pudoris, hæc

nus ait: non ſine culpa id ſuit, ſed ſine magna. Veniam reperit & præmium pius animus, quamvis conſpicua in eo eſſet humana imbecillitas, quæ aliis divinæ providentiæ viis diffiſa, medio, quod in manu habuit, licet non nimis honeſto, ſubvenit. Alii ſufficere ajunt, partem veri dixiſſe obſtetrices, at hanc regulam eſſe, quod ſi maxime teneamur partem veri dicere, non teneamur omne verum dicere in diſcrimine ſalutis publicæ vel privatæ. Plura ſunt hujusmodi exempla, in quibus vel fucatam vel imbecillam virtutem malim agnoſcere, ut de Rahab Joſ. II, 4—6. de Michal 1 Sam. XIX, 16. 17. de Davide ib. XXI, 13. & alia multa.

q) *μὴ ψεύδεσθε εἰς ἀλλήλους* Coloſſ. III, 9. Jac. III, 14. לא תכחשו Levit. XIX, 11. Exod. XX, 16.

r) *ἀποθέμενοι τὸ ψεῦδος λαλεῖτε ἀλήθειαν, ἕκαστος μετὰ τοῦ πλησίον αὐτοῦ* Epheſ. IV, 25. Convenit illud Zachar. VIII, 16. דברו אמר איש את רעהו. Ita requiritur Pſ. XV, 2. דבר אמר בלבבו loquens verum ex animo ſuo, non duplici corde בלב ולב Pſ. XII, 3. qui Græcis dicitur *διπλοῦν ἀνὴρ, δίψυχος καὶ δίγλωττος*.

s) *πᾶσι τοῖς ψεύδεσι τό μέρος ἐν τῇ λίμνῃ τῇ καιομένῃ πυρί καὶ θείῳ.* Apocal. XXI, 8. XXII, 15. David Deum mendaces interimentem ſic alloquitur: תאבד דברי כזב Pſalm. V, 7. Abominabiles enim Deo ſunt שפתי שקר Prov. XII, 22. Sibi etiam ipſi accerſere exitium dicitur mendax, *στόμα καταψευδόμενον ἀναιρεῖ ψυχήν*. L. ſapient. I. 11. Hinc votum Salomonis, procul iſta abs ſe eſſe, Prov. XXX, 8.

hæc reverentia veritatis, quam ipſa Naturæ inſtitutio inſtillat, mirifice morum in prima ætate ornat innocentiam *t*), quam tamen ad imitandum pronam & flexilem prava adultorum exempla ſenſim corrumpunt, & artem tam difficilem quam improbam fallendi, quæ in diſſenſu illo oris & animi faſtigium prudentiæ humanæ aſſequi videtur, tanquam arcanam & in ſummis vitæ difficultatibus auxiliatricem commendant. Frons, oculi, vultus, ſermo & omnia incipiunt ad fraudem componi, & ſub gravi ſupercilio tanquam umbraculo virtutis doli inſidiæque latent, perguntque exculta his artibus ingenia, etiam dum cauſſa ablata eſt, mentiri ex conſuetudine *u*). Parum eſt, hæc excuſare tanquam neceſſaria ſæpe adverſus aliorum injurias præſidia, jactant quoque, aliquid momenti habere in cauſſa gloriæ divinæ, aliquid præterea meriti in cauſſa ſalutis humanæ. Horrendum eſt cogitare, tendere mendacium ad gloriam divinam poſſe. Graviter Jobus objurgat amicos ſuos, quod credere videantur, Deum mendaciis eorum in tutelam quaſi ſui nominis egere *x*). Nec certe via adeo obliqua & ſalebroſa, qualem latrociniis noctis favere dixeris, æque tuto ac plana & recta ſub lumine veritatis ducere ad ſalutem poteſt. Mendacium & injuſtitia communibus radicibus coaleſcunt, ut ſeparari a ſe invicem vix unquam poſſint. Sint vero mendacia interdum, quæ lædunt parum, certe nunquam erunt ſine dedecore. Ceus ille ſenex dum canis tinctis prodit orator, merito Archidamus, quid, inquit dixerit ille ſani, qui mendacium

t) Dignam illis fomentis doctrinæ, quæ ſuggerit Plutarchus Op. T. II. p. 11. C. Vult pueros magis magisque aſſuefieri, τ' αληθῆ λέγειν, ὡσπέρ ἐςιν ἱεροπρεπέςατον, & conſiderare mendacium tanquam δουλοπρεπὲς καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις μισεῖσθαι ἄξιον.

u) Senec. Ep. 46. Op. T. II. p. 155.

x) C. XIII, v. 7. 8. Huc refer Rom. VIII. 7. 8. ubi Apoſtolus ad quæſtionem, an mendaciis ſuis gloria Dei exſplendeſcere poſſit, mox ſubjicit, juſtam eorum condemnationem eſſe, qui fieri mala poſſe credunt, ut bona eveniant.

cium non in animo ſolum ſed & capite circumfert *y*)? Ita ille in concionibus bellicoſus Ariſtogiton, ne ipſe caſtra ſequi habito jam militum delectu cogeretur, metuens, hinc baculo nixus & obligato crure incedens meruit voce & digitis Phocionis oſtendi: en claudum illum, at & improbum & mendacem *z*)! Inter gradus vero tam varios mendaciorum, nemo eſt, cui non aliquid hujus vitii obhæreſcit. Circa commercia hominum & mercaturas plena omnia ſunt perfidia, perjuriis & impoſturis. Et quanta turba ubivis reperitur obtrectantium vel adulantium, quibus familiare & perpetuum eſt, mentiri *a*). Nec ſtudia eruditorum veritati litant ſincerius. Hiſtoricorum nullum eſſe cenſuit Flavius Vopiſcus, qui non aliquid ſit mentitus *b*). In cathedris ſophiſtarum, qui ſtrenue in utramque partem diſputant pro oſtentandis ingenii viribus, ſæpe veritatis cauſſa proditur, error triumphat. Politici principibus nunc vulpium mores nunc leonum commendant. Quot ſunt, qui Curios ſimulant, & bacchanalia vivunt? quot inprimis pios ſe & Chriſtianos ore profitentur, ipſo opere negant? Sacri ſpecie homines, quos timidius tangit ſuſpicio, etiam argutius illa animorum latibula inſtruunt, exemplo Jeſuitarum, in arte, quam equivocationis vocant, verſatiſſimorum; dum ambigua dictione verborumque ſuorum tacita correctione, a ſenſu audientium aliena, vel ipſis principibus imponere religioni non ducunt, jurantque audacter & mentem injuratam gerunt, gravem ideo nuper in Luſitania cenſuram paſſi. Et quis eſt tandem, ſi

y) Aelian. hiſt. var. L. VII. C. 20. p. m. 506.

z) Plutarch. vit. Phocion. Op. T. I. p. 746. E.

a) Nulla bellua mordet magis, dixit olim Diogenes Cynicus, quam inter feras obtrectator, inter cicures adulator, in vit. Philoſ. Laertii L. VI. ſegm. 51. p. m. 340.

b) Diſceptans ea de re Vopiſcus cum præfecto urbis Tiberiano, ad res Aureliani ſcribendas invitante; arguit errores hiſtoricorum & extare dixit, in quo Livius, in quo Saluſtius, in quo Corn. Tacitus, in quo denique Trogus manifeſtis teſtibus convincerentur. Tunc manum porrigens Tiberianus: ſcribe, inquit, ut libet, ſecurus, quod velis, dicas, habiturus mendaciorum comites, quos hiſtoricæ eloquentiæ miramur auctores. v. ſcript. hiſt. aug. in vit. Aurel. c. 2. p. m. 831.

ſi ad ſubtiliorum mendaciorum genus reſpicimus, tam æqui & moderati ingenii? qui non in ſuis & alienis rebus æſtimandis nunc eas extollat nunc has deprimat nimis, & ultra veri limitem vel infra deflectat; qui non promiſſorum ſæpe vilipendat vincula, culpam ſuam vel amicorum extenuet, cauſſas amoris vel odii ſequatur; certe in rigidiori veri candoris tramite vacillantem pedem ægre contineat. Unde grave illud cœleſtis veritatis, quæ corda noſtra inſpicit, effatum: omnis homo mendax *c*). Adeo poſt communem labem amor & cognitio veri periit. Eo magis honeſtioribus danda eſt opera, ut ab illa Naturæ corruptela & caligine, quæ vires intellectus & voluntatis mergit, ad veritatis lumen divina ope magis magisque enitantur.

Non medicorum auſum, tunquam in mendacia minus proclivium, cauſſam tueri. Mentiris ut medicus! proverbium olim fuit in ore vulgi, ſi Franc. Petrarchæ credimus *d*), qui etiam, ſi vi eloquii pollent medici, ab iis tanquam ſicariis veneficisque cavendum eſſe, ad pontificem Clementem VI, cujus tunc ægrotantis lectulum medici obſidebant, ſcribere veritus non eſt *e*), ipſe ſine dubio, dum juſtæ cenſuræ limites in alieno argumento exceſſit, dicaculus & mendax: qualem quoque potiori jure Petrum ab

c) כלי הארם כזב Pſalm. CXVI. 11. ὁ θεὸς ἀληθὴς, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης. Rom. III, 4. conf. Numer. XXIII, 19.

d) L. I. invectiv. contra medicum quendam. Op. p. 1092.

e) Hæc ejus epiſtola exſtat Op. p. 1086. exeunt, inquit, e dumetis ſuis in nemus poetarum & rhetorum campos, quaſi perſuaſuri non curaturi, quibus occinendum eſt illud Plautianum: Abi, opera hic conducta eſt veſtra, non oratio. Cum hinc in Petrarcham medicorum aliquis inſurgeret, ſcripſit in illum libros IV invectivarum, in quibus paſſim jactat, vulgare & quotidianum medicis eſſe mentiri, vivere mendaciis, & quæ alia inſpiravit ira, ob unius noxam in plures effuſa, p. 1088. ſq. Subjicit quidem, nihil ſe contra medicinam, nihil contra veros medicos habere, hos autem dicit raros nimis eſſe & ſuo ævo rariſſimos, quos tamen jubet ſuam laudem in reliquorum infamia recognoſcere p. 1091. Alio loco jocantem ſe ſcripſiſſe ait, L. XV. Ep. 3. rer. ſenil. Op. p. 951. At quid odii in omnes ex unius offenſa geſſerit, oſtendit in pluribus locis maledica ejus eloquentia.

ab Abano dixerim, qui vix alios niſi in arte mentiendi bene exercitatos medicinæ idoneos eſſe, frivole olim cenſuit *f*). His addo vaniſſimum de vanitate ſcientiarum ſcriptorem, Henr. Corn. Agrippam, qui nulli non doctrinæ temere inſultans medicos etiam mendaciſſimorum hominum nomine inſignivit *g*). Ars ſane, quæ bene mereri, ſi qua alia, de humana ſalute cupit, mendaces homines, in ſua ſacraria furtive irrepentes, tanquam vomicas in ſinu ſuo natas, odit ipſa & deteſtatur; at etiam gaudet, non deeſſe, qui illud ardelionum genus ſibi tam inviſum diſcernere a germanis filiis ſuis didicerint. Querela Plinii, omnibus, qui medicos ſe profitentur, confeſtim credi *h*), cum periculum ſit in nullo mendacio majus, nihil proprie accuſat, quam illorum ardelionum, a quibus plus quam a morbis periculi eſt, jactantiam, & plebis, quæ facile decipitur, credulitatem. Nam rudis & ignara plebecula dextros medelæ ſucceſſus mavult ruditatis quam

f) In cujus conciliatore multa paſſim convitia occurrunt, inter quæ illud eſt, quod medicinam Marti adſcribit, tanquam jurgiorum & pugnarum auctori. Bene ejus convitia recenſet & diluit Rod. a Caſtro de medic. politic. L. I. C. 3.

g) De vanit. ſcient. C. 83. Op. P. poſter. p. m. 189. Ad fallendum, inquit, efficaciſſima frontis impudentia, magnorumque remediorum conſtans inconcuſſis mendacis jactantia auctoritatem famam fidemque conciliarunt.

h) Hiſt. Nat. L. XXIX. c. 1. Edit. Hard. T. II. p. 496. 17. Sapientiores diffidentiæ leges habet Plato in Phædro. Si quis dixerit, ſe ſcire corpori admovere, unde caleſcat ex arbitrio ſuo vel frigeat, ſcire vomitus, dejectiones & plura hujusmodi, quid medicum ſe profitenti reſpondebis? tum Phœdrus: percunctabor, numquid etiam ſciat, quibus, quomodo & quousque ſingula adhibenda? ſi neſciat, neceſſum eſt inſanire. Huc tendunt verba Ariſtotelis: mel, vinum, veratrum, aduſtionem, inciſionem ſcire, perfacile eſt, ſed quonam modo ad ſanitatem efficiendam, & cui vel quando ſint adhibenda? tanta eſt difficultas ſcire, quam medicum eſſe. Hippocrates conſenuit in arte, queſtus, vitam brevem eſſe. At ardeliones ex judicio vulgi cito ſciunt omnia tanquam ex afflatu. Solet alioqui mendacium brevis ævi eſſe, vel ut cum Sophocle loquar, non pervenire εἰς γῆρας χρόνȣ, verum hoc genus mendacii in illa vulgi caligine erit perpetuum.

quam doctrinæ opus eſſe, & omnis bonæ diſciplinæ expers amat ſui ſimiles, qui nihil cum ratione, omnia perverſe & ſine ordine ac regula moliuntur. Hos admiratur tanquam theſaurorum ſanitatis cœlitus conceſſorum participes, hos dum audit, oracula ſe audire putat, & merita Naturæ, quæ inter errores etiam agyrtarum ſæpe ab interitu ſalutem ægrotantium vindicat *i*), tribuere illis tanquam conſummatæ experientiæ fructum in iſto ſtupore ſuo non dubitat. Verum ad illud tribunal, quod ſemper inepte pronuntiat, quis acceſſerit ſapiens? Res inconcuſſæ veritatis eſt, fuiſſe ſemper ex medico ordine viros probos & ingenuos, qui tradere nihil, de quo ſibi non explorata ſatis, certe probabili ratione conſtaret, nihil arcanorum jactitare, nihil quod publice utile eſſet, ex invidia celare ſoliti exultarunt potius, ad conſolandas hominum imbecillitates reperta eximia in ſcrutinio rerum naturalium divinæ providentiæ munera per manus multorum tranſire & diſtribui. Sincerum illud veritatis & communis utilitatis ſtudium laudat Galenus in Heraclide Tarentino, licet ex aſſeclis doctrinæ ſuæ non eſſet. Citat eum ut teſtem ſummæ fidei, qui nec ad placita & decreta ſectæ ſuæ confirmanda unquam mentitus ſit *k*).

Et cui non noſtro etiam ævo tot diſſidiis lacerato pro perenni oraculo eſt vox Hippocratis? quis rivos ſalutis poſt tot ſecula limpidiores aperuit? quis rodere eum impune & ſine dedecore ſuo auſus eſt? Nihil vero in laudem tanti viri dici poteſt inſignius, quam quod dixit olim Macrobius, neſcium eſſe & fallere & falli *l*).

Fal-

i) Atterunt illi, exhauriunt, opprimunt, & ſæpe tamen contra has ipſas injurias, majores quam ipſius morbi, prævalent benignioris Naturæ vindiciæ & criſes. Tunc vero jactant, ſe ſervaſſe ægros, cum quantum in ſe fuit, peremerint.

k) In Hipp. de art. Com. IV. Op. Cl. VII. p. 288. Ita fide dignus, ſi quis alius, & ſola commemorans experimentis confirmata eidem Galeno dicitur de cauſſ. med. per gen. Op. Cl. V. p. 241. c.

l) In ſomn. Scip. L. I. C. 6. p. m 39. H. Sane in nemine laudando major unquam conſenſus fuit. Cicero divinum, Galenus diviniſſimum & qui nullum verbum fruſtra ſcripſerit, Oribaſius in omnibus veracem dixit, Suidas libros Hippocraticos, tanquam divino ore emanaverint, ubi-

Fallere ſane candidiſſimum illud pectus non potuit, & ne falleretur, ſolertiſſima certe ad ſcopulos omnes in medicina obvios attentione cavit, & cum cavere nemo hominum ſatis poſſit, ſi in errorem ſe incidiſſe ſenſit, id minime diſſimulavit *m*), quod certum magnorum virorum indicium eſt, quos in tam ampla poſſeſſione, quicquid carioſi deprehendunt, non pudet etiam ſub aliorum oculis extrudere. Probe ſcivit, labi & errare facile eſſe medicis, in tam lubrico occaſionum momento, tantis involucris Naturæ, tam crebra experientiæ fallacia & tam difficili de rebus maxime complicatis judicio: hinc medicum magnopere laudabilem dixit, qui peccat parum *n*). Erat ante Hippocratem medicina peculium Aſclepiadarum, mox occupatum a poetis & philoſophis, apud quos omnis doctrinæ gloria fuit, unde tamen non efficax medicina magis ſed loquax & contentioſa evaſit. Ab hoc igitur contubernio, quod perpetuis eam litibus implicuit, ſeparavit

ubique celebrari ſcripſit. At H. C. Agrippa l. c. ſub finem Cap. 82. mendacem vocat aphoriſmum Hippocratis: mulier non fit podagrica, niſi menſes ipſi defecerint Reſpexit ad Senecam, cujus tamen æquiora longe hæc verba ſunt: maximus ille medicorum feminis nec capillos defluere nec pedes laborare dixit. Non alia feminarum nunc natura eſt, ſed vita mutata. Quid mirandum, maximum medicorum & naturæ peritiſſimum in mendacio deprehendi? cum tot feminæ nunc podagricæ & calvæ ſint. Ep. ad Lucil. 95. Op. T. II. p. 460. Quis non videt, mendacium hic pro ſimplici errore ſumi, imo ne errore quidem ævo Hippocratis?

m) Celſus de medic. L. VIII. C. 4. p. m. §. 15. hæc verba habet: a futuris ſe deceptum eſſe Hippocrates memoriæ tradidit, more ſcilicet magnorum virorum & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio multaque nihilominus habituro convenit etiam ſimplex erroris confeſſio. Hanc quoque in Hippocrate laudat Quintilianus inſtit. orat. L. III. 6. p. m. 140. Ipſe locus Hippocratis eſt Epid. V. Op. Vol. I. p. 778. XIV. 3. Similiter confeſſi ſunt ſe erraſſe Galenus II. de loc. affect. C. V. Op. Cl. IV. p. 19. & inter recentiores I. B. Montanus, Thom. Sydenham & alii.

n) Τὸν ἰητρὸν inquit, *ἰσχυρῶς ἐπαινέοιμι τὸν σμικρὰ ἁμαρτάνοντα* de vet. medic. Op. Vol. I. p. 22. XVI. 7.

vit medicinam teſte Celſo *o*) Hippocrates, & in ſollicita utilium & noxiorum obſervatione, morborumque per omnem decurſum ſuum, per omnes, quas habent, ſalutis & exitii vias, pleniori cognitione ita ſubſtitit, ut alienus a copia pharmacorum victum fere unice, nunc reſtrictiorem nunc pleniorem, nunc ſub vario delectu congruentiorem, tolerantiæ ægrotorum & indigentiæ morborum accommodaret, attentusque ad omnia ſanantis vel ſuccumbentis Naturæ veſtigia tantum viribus proſpiceret, ſub quarum tutela in coctionem noxii & expulſionem vegetiori criſi inſurgeret. A qua ſimplicitate doctrinæ deflectere cœperunt plurimi ad inanes ſpeculationes latentium cauſſarum, ad interioris fabricæ corporeæ, quam nunquam in ultimis legibus ſuis cognoſcere humano oculo licet, ſubtilius ſcrutinium, ad immenſam farraginem medicamentorum, quibus obruimur verius quam juvamur, ubivis colligendorum & arcana arte præparandorum; unde mox nata ſyſtemata, alia poſt alia, novas medendi leges a ſe invicem diſſonas nunc ſtabilire nunc deſtruere aggreſſa, & in tanto adparatu novorum adminiculorum a rebus unice neceſſariis ad res magna parte inutiles, quæ fatigant non inſtruunt, dilapſa progreſſum artis magis ſufflaminarunt. Splendidior hodie facies medicinæ eſt, ſed mendax ſæpe & fucata, certe inter divitias ſuas inops, & dum tutiora littora ad exemplum Hippocratis negligimus, in profundiori pelago vi tempeſtatum jactamur magis & tantum non mergimur.

Ita varios quidem errores in theoriam medicam propagatos eſſe dixeris, at bonam auctorum fidem, licet ſcopo ſuo exciderit, pro-

o) Hippocrates Cous primus ex omnibus memoria dignis a ſtudio ſapientiæ diſciplinam hanc ſeparavit, inquit Celſus de medic. L. I. præf. p. m. 3. Nempe medicina, quæ tunc in manu philoſophorum erat, ut Pythagoræ, Empedoclis & aliorum, totum hominem poſcere, & ſub ſpe certioris incrementi ſuis unice rebus vacare debere Hippocrati viſa eſt, qui ideo minime ſprevit philoſophiæ præcepta ad cultum rationis, ipſe quippe philoſophus & medicinæ dogmaticæ parens, cui etiam medicus vocatur philoſophus Deo ſimilis *ἰητρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος*, & ei omnia, quæ ad ſapientiam requiruntur, viſa ſunt medicinæ ineſſe, *ἔνι τὰ πρὸς σοφίαν ἐν ἰατρικῇ πάντα* Op. Vol. I. p. 55. V.

prohibere, ne inter mendacia referantur. Verum præterea, quod bona fides haud tumultuarium exigat propoſitarum quæſtionum, quibus ſalus humana nititur, examen, meritoque inter dubia rationum pondera judicium ſuſpendat, negare etiam vix licet, multos de veritate ſententiarum haud ſatis perſuaſos, nedum convictos, quin & clanculum aliter ſentientes, nec quid inde in ægrotantes noxæ redundet, ſollicitos propugnare easdem, tanquam multis, quorum favorem ambiunt, gratiores futuras, at eo omnino nocentiores, ſi pravæ theoriæ præcepta ipſas medendi leges corrumpunt. Matthæo Curtio in opprobrium ceſſit, quod ſtrenuus antea venæ in affecto latere pleuriticorum ſecandæ vindex mox ipſe pleuriticus ſecari ſibi illam in oppoſito latere maluerit *p*). Ita ajunt vitam ei ſervatam, doctrinæ fidem exſtinctam eſſe. Non errorem ejus arguo *q*), ſed mendacem animum ſententiæ ſuæ in alieno periculo tenacem, in proprio fluctuantem, & ad caſtra, quæ oppugnaverat, tranſeuntem. Fieri certe poteſt in graviori argumento, & factum eſt ſæpe, ut ejusmodi error in pernicioſum mendacium degeneret. Sunt, qui inter mutuas conſultationes, quas in morbis complicatis & difficilioribus, ubi totum ſæpe hominem mutare opus eſt, ut cum Aretæo loquar *r*), multum veri præſidii promittere non diffitemur, parum ſibi honorificum cenſent, protinus in alterius, etiam dextre judicantis, ſententiam deſcendere: hinc ſemper aliquid addunt, tollunt vel emendant, & niſi id fecerint, doctrinæ ſuæ & ingenii famam periclitari metuunt. Id fortaſſis ferendum aliquatenus eſſet, at nimis facilis inde ad cenſuras mutuas, calumnias

p) v. Jo. Schenckii Obſ. med. L. II. de pleurit. O. 2. ex Jac. Oetheo, hic ex Rotzio, p. 245.

q) Aſſertum enim eſt ipſius Hippocratis, Celſi & Galeni, Arabum ævo oblitteratum, P. Briſſoti vindiciis reſtitutum & hodie plerorumque uſu comprobatum: cui etiam novam auctoritatem conciliavit experientia illuſtris viri, D. W. Trilleri, amici noſtri conjunctiſſimi, in egregio libello de pleurit. C. II. p. 31. §. 34.

r) ὅλον χρὴ τὸν ἄνθρωπον ἀλλάξαι, quod nec Diis facile dicit, οὐδὲ θεοῖσι ῥήιτερον. de cauſſ. & ſign. morb. diut. L. II. C. 1. p. m. 51.

nias & obtrectationes tranſitus eſt, alienus a candore priſci ævi, quo Hippocrates jure jurando voluit affirmare, medicum ratione utentem non poſſe alterum invidioſe calumniari *s*). At quam rara eſt medici ratione tunc recte utentis conditio, cum conſectetur magis eruditionis & eloquentiæ in vindiciis placitorum ſuorum laudem *t*), quam illam, quæ longe potior eſt, bene de ægris meruiſſe. Mirum hinc non eſt, ambiguam valde medicæ conſultationis utilitatem multis videri, & inter tot ſenſus quot capita gravius interdum periculum ægris imminere *u*). Videas aliquando etiam hos, qui certam ſententiam dudum amplexi ſunt, dum alter eam in conſultando prior occupat, deſerere illam jamque improbare *x*). Laudo honeſtam eorum, quæ in utramque partem commode dicuntur, examen, & quod Cicero olim dixit, nunquam in Græcia philoſophiam ad illud honoris faſtigium adſcenſuram fuiſſe, niſi doctorum contentionibus viguiſſet, valere etiam de medicina arbitror, eam inter modeſtas doctorum & ingenuorum virorum diſquiſitiones ſæpe utiliter ad pleniorem morborum iisque oppoſitorum remediorum cognitionem perveniſſe & ſub ſimili conatu perventurum eſſe. Probat hoc nomine Galenus Aſclepiadeas nobilium medicorum ſcholas, Coam & Cuidiam, ut & Italicam, cum laude æmulas. Honeſtum inquit, hoc certamen fuit, nunc regnat inhoneſtum *y*): quale merito dixeris, ſi fervor & impetus pervicaces animos diſtrahit, qui

veniam

s) De præcept. Op. Vol. I. p. 64. VIII. 12.

t) Hinc Petrarcha: doctos viros & eloquentes invenio, non medicos. Op. p. 952.

u) Nullum ajunt in multitudine conſenſum, nullum graviorem morbum eſſe, quin comites habeat, plurimum medicorum errores. Veteris monumenti inſcriptio fuit: turba medicorum ſe periiſſe, v. Plin. Hiſt. Nat. L. 29. C. I. Idem Adrianum dixiſſe referunt. Hinc poeta:

Nunquam crede mihi a morbo ſanabitur æger,
Si multis medicis creditur una ſalus.

x) Vit. Riedlinus in lin. med. A. 6. p. 955. medicum ſiſtit, dilutum vinum cum pauxillo ſacchari in acutis præbere ſolitum, cum alius prior ſuaſiſſet, improbantem.

y) De meth. med. L. I. C. 1. Op. Cl. VII. p. 2. F.

veniam aliquanto facilius meretur in argumento philoſophico, quod ſæpe e longinquo felicitatem humanam turbat, quam medico, quo protinus ægri luunt, ſi quid peccatur. Sane irritabile hominum genus ſumus, interdum extra opinionum divortia. Nam inter ipſa doctrinæ in quibusdam conſpirantis veſtigia multiplex occaſio emergit, arguendi alterum tanquam ex fontibus noſtris haurientem, nec confitentem tamen, ſe a nobis profeciſſe. Quæcunque deprehendimus noſtris pauxillum conſona, pro ſpolio interpretamur. Incredibilis ille faſtus eſt mendacium mordaciumque hominum in tenui ſæpe ſupellectile, quam placere omnibus, etiam viris ætate doctrina & dignitate potioribus, ut manum injiciant, temere ſibi perſuadent z). At hi quidem morbo ſapientiæ laborant, & inter ſuavia divitiarum ſuarum ſomnia delirant; plus ab illis periculi eſt, qui infenſo magis ob mutuum diſſenſum animo ſe obtrectant invicem lacerantque, & ipſius ſimul artis decus contaminant. Sunt inter illos viri etiam docti & perſpicaces, qui nihil de ſe & meritis ſuis cenſurarum ferunt, ipſi licet alienorum laborum, quos vago plerumque oculo inſpiciunt, perpetui cenſores, aſſeclarum vero, etiam in viliſſimis ſpeciminibus, quorum meminiſſe fere ridiculum erat, publici præcones. Nempe operæ pretium fuit, iis fidem conciliare, qui ad ravim usque clamant, non alios quam illos hodie ſcientiarum ſtato-

z) Sæpe eruditi in argumento, in quo qualemcunque operam poſuerunt, dum alios occupatos vident, neglectis iis, quæ vel nova vel plenius ac curatius expoſita ſunt, communia quædam, qualia in communi materia ſemper occurrere neceſſe eſt, arguunt tanquam de ſuis petita, quorum proinde non niſi bona cum venia eorum vel honorifica nominis & meritorum mentione meminiſſe oportuerit. Sane primos fontes, ex quibus obſervationes vel alia ad hiſtoriam argumenti maxime ſpectantia pertinent, interdum deſumuntur, merito indicamus, alios, qui inde hauſerunt, & parum interdum limpide, nihil attinet enumerare. Hi enim velut nihil proprii arrogare ſibi poſſunt, ita minime merentur, quaſi noſtris uſibus ſubvenerint, laudari. Reus mendacii & injuriæ eſt, qui rivum veteris doctrinæ, ad quem omnibus aditus patet, aliis poſt ſe haurientibus tanquam ſpolium objicit, id quod in aurem dixerim cenſori in G. L. Z. A. 1758. p. 332.

ſtatores & vindices eſſe. En ſpeciem officioſi, quod adeo laudare vulgo ſolent, mendacii! Omnium autem minime ferendi ſunt, qui in ipſo opere medico verſantur, armis, quibus adverſus morbos pugnant, unice confiſi, ſive virtutum in medicamentis ſuis deprehenſarum mendaciſſimi aſſertores. Novi eruditum & amœni ingenii virum, qui obſervationibus medicis, quibus ſi certa fides conſtaret, evadere ægros ex omni morbo oporteret, adeo negavit adſenſum, ut nimiæ credulitatis probrum metueret, ſi decem inter centenas pro veris agnoſceret. Quantus noſtris diebus evacuantium abuſus invaluit! ubi venæ ſectiones, emetica, purgantia & ſimilia conſtanter adhibita probos etiam ſuccos exhauriunt, & corpoream machinam miſere convellunt, ſub quorum tamen uſu ſtragem virium & everſa internarum coctionum præſidia, quibus ſpes veræ medelæ nititur, improbe diſſimulant. Fuit, qui mulieri ſub certæ ſalutis præſagio emeticum præbuit viditque hora poſt exſtinctam, nihil ideo dubitans, tantum ac ante emeticis ſuis tribuere. Palam illi erat, latuiſſe in illo corpore, quod necaret, dementiam eſſe, ſiniſtri aliquid de virtute remedii tam comperti ſuſpicari. Refero huc temeritatem præſagiendi; quæ

a) Miſſæ ad ordinem noſtrum hac æſtate ſunt litteræ medici, qui ſe Veridicum adpellavit judicium requirentis de medela alterius medici, cui nomen Lobelii impoſuit. Hunc refert mulieri hyſtericæ, ceterum ſanæ, validas emeticorum doſes, & intra ſex menſes quidem plus quam octuagies præbuiſſe, ſecari etiam venam intra idem tempus ter & tricies juſſiſſe, ut hora tantum inter ultimam venæſectionem & mortem una interceſſerit: eundem tamen ſic cenſuiſſe, ægrotam, niſi crebra venæ ſectio inſtantis ſuffocationis periculum ad tempus cohibuiſſet, perituram longe celerius fuiſſe, jamque ſe augurari, in cadavere vel polypum vel aneuriſma repertum iri. Neutrum cum adpareret, Lobelius ille defectum valvularum cordis tricuſpidalium, & inflammata quædam loca (an a vi draſticorum?) teſtatus eſt ſe reperiſſe, at Veridicus, qui & ipſe cadaver inſpexit, vidiſſe ſe illas valvulas refert, vaſa vero majora admodum vacua, & hydropiſin pectoris. Si hæc ita ſunt, & verax eſt, uti nomen promittit, Veridicus, patet, qua cautione opus ſit docentibus, ne medicamenta laudata nimis, licet ſub ipſorum prudentiori uſu ſalubria, in manu imprudentum, quibus ſpem de virtute illorum nimiam injecerunt, venena evadant.

quæ multos crebri & manifeſti mendacii reos agit. Ipſa ſanitas ægrorum medicis opprobrio eſt, qui exitium prædixerunt, vel morbus celeriter ſublatus, cujus longas moras & novas ex intervallo inſidias ſunt ominati. Nemo fuit divinioris circa hæc oris, nemo admirabilior, quam Hippocrates, qui tamen ambiguas eſſe in acutis prædictiones mortis vel ſanitatis, ingenue fatetur *b*). Ille verum decus artis quæſivit, non phaleras, nihil latere paſſus, ut vidimus, quod ipſum fefellit. Ex noſtris plurimi, quidquid delinquunt, tegunt ſollicite, quidquid proſperi ſucceſſus fuit, jactant impenſe, & cauſſam ſuam variis ſæpe crepundiis exornant. Paucis aphoriſmis ruditer intellectis in Naturæ ſinum ſe penetraſſe credunt.

Igitur etiam medicos, non ſolos empiricos & agyrtas, contagio mendaciorum haud infrequenti laborare, facile agnoſco, nec illud impetrare abs me poſſum, ut hæc mendacia, quaſi ipſius artis ſalutarem uſum fulciant, majorem præ aliis legum indulgentiam mereri agnoſcam. Placet paucis adhuc diſpicere, an interdum medicis, veri, ut par eſt, amantioribus, aliqua in artis exercitio, quæ proba ſit & privilegio Platonis digna, mentiendi ratio occurrat? aliqua honeſtæ impoſturæ neceſſitas incumbat? Parum oſtendimus nobis ſpei eſſe, trutinata, quæ tota improba eſt, mendaciorum natura. Credunt multi in hac morum corruptela, quæ faciem veritatis tanquam auſteram nimis formidat, ferri aliquando debere pharmaci loco mendaciorum cuniculos? Morbum enim aliis ſæpe morbis mederi, in ambiguo non eſt. Id maxime urgent circa prædictiones medicas, quas lætiores ajunt ægrotantium animum confirmare & in ſpem ſalutis erigere, triſtiores proſternere & ipſam interdum exitii cauſſam fieri. Non diffitemur, veritatem hic aliquando læſiſſe imo perdidiſſe ægros, non ſua quidem culpa, at per aliorum imprudentiam. Quidſi medicus ſciſcitanti ægro, an moriturus ſit? ut olim Callianax *c*) verſi-

b) Aphor. XIX. S. II.

c) Callianax ſectator Herophili repetiit verſiculum Achillis ad Lycaonem Priamidem pro vita ſua deprecantem. Homer. Iliad. XXI. v. 105. Galenus hoc habet de Callianacte in L. VI. Epid. Hipp. Com. IV. 9. Op. Cl. III.

verſiculum ex Homero occinat: etiam Patroclus obiit te longe præſtantior; vel ſi ſomnum prægreſſæ noctis laborioſum referenti aphorismum Hippocratis recitet: ſomnus, qui laborem facit, θανάσιμον. Id, quidquid eſt veritatis, ab ore prudentis medici non exſpectamus, qui removet caute, quidquid imbelles animos vulnerat. Verum etiam magis ſpernimus illud Damaſceni *e*), a quo, etiamſi ipſe deſperes, ſalutem ægris promittere juberis, vel illud Symph. Campegii *f*) ſerio hortantis, ne verearis in illo caſu mentiri, illud etiam Gabr. Fallopii *g*) eloquentem eſſe medicum debere, ut fingat & certam ſanitatem perſuadeat. Perſarum hodie medicis hoc in more eſt, perſuadere ægris, omni periculo morbos eorum vacare. Agnatis deinde, poſtquam ſpes fefellit, cum luctu querulis, quid profuiſſet, inquiunt, lugere citius? Melius olim Galenus ægro prudenti nec timido nihil eorum, quæ in morbo futura ſunt, diſſimulare juſſit, ſtulto autem & anxio ſic, inquit, confirma animum, ut nec magnopere mentiaris *h*). Verum eſt, paucos reperiri tam compoſitæ mentis, ut imminentis mortis nuntio haud turbentur, adeo-

Cl. III. p. 181. D. & in eundem locum Palladius p. m. 234. ubi addit, ægrum his auditis deſpondiſſe animum, & paulo poſt e vita migraſſe.

d) De illo, qui hunc Hippocratis aphorismum S. II. 14. parum tempeſtive in mentem ægrotanti revocavit, refert Rod. a Caſtro de med. polit. L. III. c. 4.

e) Aphor. 29. 46. 53.

f) In ſpeculo ſuo ſ. Epitome Galeni c. 7.

g) Op. p. m. 572. de Vuln. Cap. 26. Tolerabiliora tamen ſunt hæc verba, quam quæ Gaſp. a Reies ei tanquam impie prolata tribuit: eſtote mendaces! v. camp. Elyſ. jucund. quæſt. Qu. XI. p. 84. Hæc non reperio, nec cognito in aliis Fallopii candori reſpondent.

h) In VI. Epid. Hipp. Com. II. 43. Op. Cl. III. p. 168. F. Addit: noli etiam maxime timidis ſalutem polliceri, ut aperte mentientes faciunt, niſi ſub conditione, ſi recte omnia agant & medicis præceptis obtemperent. Sic nec illi animum deſpondebunt & tamen pleraque vere dixeris. Nam periculoſi morbi plurimi ægrotos morem medicis non gerentes necant, pauci vero mortiferi ſunt, ſi nec medicus errat, nec ægrotus neque miniſtri, nec alia fortuita noxia incidunt.

adeoque æquum videri, ut nimis puſillamines & formidoloſos, ad vultum geſtumque medici ſollicite attentos, & quos imaginatio ſalutis plus quam medicina juvat, hilari vultu conſolemur, eorumque metum probabili ſermone leniamus *i*). Largior omnino, non omnem hic veritatem prodeſſe in animis, qui rationi parum auſcultant, at & veræ fidei auxilium a mendaciis non exſpecto. Hinc minime convenit in certo periculo ſpe vana lactare & ſcurriliter promittere, decet potius in omni ambiguo morbo animum humanorum caſuum memorem & ad cœleſtia converſum laudare *k*), plenius etiam eos, qui curam ægrorum gerunt, de magnitudine periculi edocere. Id ſæpe difficile eſt medico tenerioris animi & ob ſiniſtrum medelæ ſuæ exitum jam adflicti *l*); at nihil certe turpius, quam in ipſo avolantis animæ momento per

i) Celſus de medic. L. III. C. 5. p. m. 178. Convenit ægros ſecuros agere, ut corpore tantum, non etiam animo laborent. Hinc jubet, quæ exaſperant animos, eorum notitiæ ſubtrahere. Alio loco vetat, hiſtrionum more, ut plus præſtitiſſe videantur, morbos exaggerare, quod faciunt, qui ſimplices febres pro malignis, tuſſim pro phthiſi, maculas ſcorbuticas pro petechialibus venditant. Nec multum arridet ille color, fieri hæc interdum debere, ut ægrotos, qui in leviori morbo plus ſibi indulgent, præceptis medicis magis morigeros reperiamus.

k) Decretum Innocentii III. A. 1215. in concilio Lateranenſi IV. C. 22. injunxit medicis ſub pœna, ut ajunt, excommunicationis, ne acciti ad ægros, prius quam medici animarum ſaluti illorum proſpexerint, de corporea ſalute cogitarent. Dum exolevit decretum hoc, renovavit Pius V. A. 1566. & medico ad ægrum accedere ſine venia confeſſoris non ultra tertium diem permiſit. Arctius vinculum Sixtus V. injecit, & exui medicos, ſi ſecus fecerint, privilegiis ſuis honorumque gradu per ſententiam ad ipſa collegia medica miſſam voluit. Sunt & hodie inter doctores pontificios plurimi, qui ſuadent medico deſerere ægrum, ſi ea de re monenti haud auſcultet. Aliis duriuſcula hæc viſa ſunt inter ipſos pontificios, qui credunt ſufficere, ſi medicus per alios in morbo periculoſo de cura animarum commoneſaciat, ut Sanchez & alii. Conf. Gaſp. a Reies, qui ſuam hic fuſe ſententiam interponit, in Elyſ. camp. jucund. quæſt. Qu. XIII. p. 88.

l) In quem quadrat illud poetæ; ſpem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

per umbram ſpei illudere. Graviter Aeneas Sylvius, qui Pii II. nomine pontificatum geſſit, cum morti vicinus medicos audiret ſalutem promittentes, hæc quoque, inquit, principum miſeria eſt, ut ne in morte quidem aſſentatoribus careant *m*). Certe quo inſignior in moriente elucet animi conſtantia & rerum terreſtrium contemtus, eo ſordidius eſt mendacium ſalutis. Illud tamen non improbo, cum interdum a medicis derelicti & in orci faucibus hærere viſi evaſerint *n*), alii, quorum morbi vix alicujus momenti habiti, perierint *o*), haud feſtinare præſagio vel mortis vel ſalutis *p*), ſed ob utramque rationem nec nimis ſecurum ægrotantis animum nec dejectum nimis reddere, ſemper vero in iſta rerum viciſſitudine, ut Deum ſibi propitium reddat, quoties occaſio permittit, admonere, ceterum tempeſtive jubere, negare, annuere, aliqua reticere & celare, quæ triſtia acciderunt, ut funera amicorum, nihil vero mentiri.

Eſt aliquid in illa arte celandi, quod ſine mendaciis ægrotum ad uſum ſalutarium rerum, in quem alioqui non conſentiret, provide deducit. Galenus illuſtri feminæ, cui herpes circa malleum

m) v. Jo. Ant. Campanus in vita Pii II. operibus ejus præmiſſa. Platina in vita ejusdem quoque commemorat, quo odio mendaces proſecutus ſit, & peſſimam rebus peſtem adulatoris linguam dixerit.

n) F. Valleriola enarrat. p. 1306. medicum ſenem Luſitanum, ſine voce & pulſu, frigide ſudantem & floceos legentem contra certæ mortis præſagia trium medicorum Avenionenſium evaſiſſe notat.

o) Harderus in Apiar. Obſ. 57. p. 233. ex Sponio juvenem promtum alacrem carnoſum nec vitæ diſſolutæ deſcribit, qui febricula tentatus per primum & alterum diem tertio tanquam ſanus obambulavit, & febricula circa veſperam renovata inſequente nocte exſpiravit cum ſtupore medici ſui. Fuit repertum cor flaccidum cum rupto pulmonum abſceſſu. Tam ſubitorum caſuum plenæ obſervationes ſunt.

p) Democritus olim nec finitæ vitæ ſatis certas & perpetuas notas eſſe cenſuit, adeo ille non reliquit, ut certa ſigna futuræ mortis eſſent. Verba ſunt Celſi L. II. C. 8. p. 57. qui etiam viciſſim mori monet, de quibus ſecurus fuit medicus. Quam parum in his tutelæ eſt pro vulgari illa temeritate præſagiorum.

leum ad inguina adſcenderat, renuenti alia præter uſum ſeri lactis, huic clanculum ſcammonii aliquid miſcuit, & ſic invitam purgavit ſanavitque *q*). Jo. de Vigo pontificem Julium II. pulviſculo cauſtico aquis medicis ſoluto expreſſoque ſub detritis pannis admoto cum admiratione omnium a nodo carnoſo valde contumaci liberavit, poſtquam jurejurando promiſerat, ſe nullo unguento uſurum *r*). Apud Senecam medicus, cum filiam regis ſine ferro ſanare non poſſet, tumentem mammam leniter fovens ſcalpellum ſub ſpongia induxit, ut quæ reluctata fuiſſet remedio palam adhibito, in illo clam & præter metum ſuum admoto facile adquieſceret *ſ*). Ita vero, inquis, æger decipitur. Quaſi vero ſatius ſit illum non deceptum perire. Nec vero decipitur a medico mentiente, ſed aliter, quam ægri exſpectatio fuit, veris tamen artis legibus congruenter, medelam dirigente. Ita ſe ipſum æger decipit, dum illa, quæ ſciens, licet ſalubria, rejecturus fuiſſet, ſuppreſſo nomine admittit, mox vero ſentiens profuiſſe, quæ pro noxiis habuit, gaudet ſine dubio laudatque medici prudentiam, arma, quibus pugnavit, callide celantis, morbumque & ſimul errorem ægri expugnantis. Dolendum omnino eſt, non poſſe medicum, niſi ægrum ſalutaribus auxiliis toties repugnantem fato ſuo & certo interdum exitio relinquere velit, apertius agere, &, quod ſæpe mallet, contra morbum adparatum omnem oculis ejus exponere. At quis mendacem dixerit, ſi in hoc rerum ſtatu ſæpius ſilet, & utilia inſciis ægris tempeſtive exhibet. In magno errore verſantur, qui inſidias

q) Meth. med. L. XIV. C. 17. Op. Cl. VII. p. 92. F. Ita Demochares medicus Conſidiæ nobili feminæ callide propinavit lac caprarum lentiſco paſtarum. Ipſum Hippocratem in dolore aurium, quo lanam calido unguento imbutam in vola manus applicari voluit, id decipiendi ægri cauſſa juſſiſſe, Galeno teſte multorum ſententia fuit. vid. Hipp. VI. epid. S. V. 13. Op. Vol. I. p. 180. 20. 21. & Galen. Op. Cl. III. p. 191. C. D. Confer. dolum medicum Tralliani L. I. C. 17. & Philotimi medici apud Aetium tetr. II. Serm. II. C. 9.

r) L. II. Chir. tract. V. C. 5.

ſ) De ira L. III. C. 39. Op. Vol. I. p. m. 114.

ſidias militares & medicorum judicumque diſſimulationes a mendaciis diſcernere nequeunt. Id vero multi nimis improprie dolum vocant, & cum Bern. Gordonio, Gabriele a Zerbis aliisque fraudes in arte ſalutari docent non minus familiares medicis eſſe debere, quam magnis ducibus ſtratagemata, ideo ſoliti hanc quaſi medicinæ mantiſſam adpellare ςρατηγικήν. Tantum abeſt ex ſententia Gabr. Naudæi *t*), ut hic veniam fraudis deprecari medici debeant, ut potius officii neglecti accuſari poſſint, ſi illa, quoties occaſio ſe offert, in ſalutem ægri non utuntur. Duriora illi ſine dubio ſunt verba Auguſtini: quoties aliquis utilitatis proximi cauſſa mentitur, ſi non fuit, antequam mentiretur, peccator, jam mentiendo efficitur *u*). Sane nolim fraudis, doli & mendaciorum nomine nobis venire ſapiens medici ſilentium, ipſis, qui obſtacula ſanitatis ſuæ fovent, tam utile. At quæ latere debent, latebram ſub mendaciis tutiorem non habent, nec ſub ipſa vocum ambiguitate honeſtam ſatis. Aretæus virtutem excellentiam medici in eo poſuit, ut ſciat ægrum cum tot ſæpe malis miſere colluctantem nunc varietate auxilii, nunc conceſſo jucundorum citra

tra

t) p. 119. in libello, cui titulus: pentas quæſt. Jatrophilol. quarum IV diſquirit, an liceat medico fallere ægrotum? Id adfirmat & ib. p. 123. ſi non mentiendi, inquit, at ſaltem probe ſimulandi neceſſitas medico videtur impoſita technasque & dolos argute conficiendi, quo famam apud imperitos tueri poſſit, & arti, quam profitetur, auctoritatem conciliare. Miror, cum in hac opinione ſit, eum ſolum eſſe inter interpretes ſententiæ Platonicæ, quæ medicis mentiendi veniam impertit, qui hoc de publicis medicis animorum ſeu magiſtratu intelligit, idque ex verbis, quæ Socrates ſubdit & commentator Ficinus, colligit, *l. c.* p. 128. Agit Plato ſeorſim de magiſtratu, medicorum vero mendacia ob vim pharmaci excuſat, qui color deinde ad alia excuſanda mendacia tranſiit. Mendacio ut helleboro utendum eſt, inquit Abbas Joſeph apud Caſſianum Coll. 17. C. 8.

u) De verb. Apoſt. it. de mendac. C. 18. A qua ſententia valde diſtat illa Marc. Marulli Spalatenſis: Ob reipublicæ bonum vel majorem Dei gloriam mentiri ſummæ pietatis & ingentis prudentiæ eſt. L. IV. memor. C. 4. De quo errore dictum eſt ſupra p. 9.

tra noxam uſu recreare, nunc decipere *x*). Hic vox deceptionis, qua utitur, παράφασις, melius forte per blandam perſuaſionem vertitur, quæ habilem omnino medicum decet, nec neceſſario humanitatis & veritatis vinculum lædit. Neque tamen repugno, deceptionem notare, qualis illa Galeni, aliis etiam omni ævo medicis frequentem, ſed extra culpam mendaciis affinem *y*). Quam culpam etiam tunc a medicis abeſſe arbitror, dum erroribus melancholicorum ſe accommodant, iisque, qui nunc teſtaceos ſe eſſe, nunc cereos, vitreos, butyraceos, ſtramineos, inter magnas de morbis ſuis querelas vociferantur *z*), haud ægre adſentiri videntur. Vinculum enim veritatis unice ſubſiſtit inter homines rationis compotes: nullum poteſt mendacium coargui, ſi negotium nobis eſt cum hominibus mente captis. Minime tunc

x) De cauſſ. & ſign. diut. morb. L. I. C. 1. p. m. 17. A. Παράφασις (παράφημι ſuadeo) blandam crebro perſuaſionem notat, ut in Homeri Iliad. L. XIV. v. 217. ubi Venus petenti ea Junoni, quibus amabilior fieret, dedit cingulum, cui incluſa omnia Θελκτήρια, amor, deſiderium & blandiloquentia ſ. πάρφασις, quæ deſcribitur furtim ſurripere mentem prudentum. Tantum faſcini eſt ad perſuadendum in blando vultu & facundo ſermone.

y) Huc ſpectat ars illa vulgaris, abſcondendi ingrata in paſſulis, prunis & pomis coctis, ovis frixis, pane dulciario & aliis. Quam legem quoque, qui morum præcepta tradunt, petere a medicis ſolent. Ita Themiſtius in exhortatione Nicomedenſium ſe imitari ait σοφωτέρȣς ἰατρȣ̀ς, qui amariora medicamenta melle circumlitis poculis propinant. Orat. XXV. Edit. Petav. & Hard. p. 302. His conſona verba ſunt Lucretii de rer. nat. v. 935. ſq.

veluti pueris abſinthia tetra medentes
cum dare conantur, prius oras pocula circum
contingunt mellis dulci flavoque liquore,
ut puerorum ætas improvida ludificetur.

z) De eo, qui ſibi viſus eſt totus teſtaceus, agit Galenus L. III. de loc. affect. 62. qui butyraceus, Marc. Donatus hiſt. med. mir. L. II. C. 1. qui ſibi viſus ceream mollitiem oſſium habere, Tulpius obſ. med. L. I. C. 18. qui vitreas nates, ut hinc ſtans omnia perageret, Lemnius de complex. C. 6. &c.

tunc laude vacat, obliquis etiam viis, quidquid delirat, ad liram revocare, & nævis imaginationis imaginaria auxilia opponere. Atque hæc & alia, quæ in vindicias mendaciorum ægrotis ſæpe ſalutarium objiciuntur, neutiquam, ut ex dictis patet, veritatis ſtudio officiunt. Illud vero prope ridiculum eſt, quod apud Guid. Patinum Guenaut metuit, periturum fame medicum eſſe, qui fallere ægros non didicerit *a*). Probus medicus, ut venuſte ait Maximus Tyrius, artem etiam ſuam ipſe velit cum morbis interire *b*). At neutrum exſpectandum eſt, illud autem ſemper optabile, ut medicus ab omni fuco alienus veritatem conſectetur, ejusque imaginem geſtet animo, quam judices collo ſuſpenſam geſtare reges olim Aegyptii ſanxerunt ſapienter.

a) v. lettres du Mr. Patin T. I. Ep. 132. p. m. 313. Guenaut a dit quatre mille fois en ſa vie, qu'on ne ſauroit attraper l'ecu blanc des malades, ſi l'on ne trompe. Hic ſuccurrere debebat prov. XIX. 22. מוברש מאיש כזב melius pauper quam mendax.

b) Diſſert. XXX. Edit. Daviſ. alt. p. 356.

PRO-

PROLUSIO
QUA
VICTUS ANIMALIS ANTIQUITAS ET SALUBRITAS EXPENDITUR
PANEGYRI
III. MEDICINÆ CANDIDATORUM
d. 23. MENS. SEPT. 1761.
PRAEMISSA.

Inter crebra humanæ gulæ experimenta, tot ſeculis capta, dudum conſtitit, ſive quis ex vegetabilium ſive animalium genere victum ſuum petierit, ſive utrumque moratiorum gentium exemplo & ſub ipſius Naturæ præeuntis inſtitutione, conjunxerit, modo ſalvis juſtæ ſobrietatis legibus, vitam ac ſanitatem haud multum impari vigoris gradu ſuſtentatam eſſe; adeoque corporibus noſtris ex beneficio ſuæ fabricæ hanc facultatem inhærere, in id, ex quo ipſa conſtant, vertendi tam multa & prima ſpecie tam diverſa, quæ alimentorum nomine offeruntur, & interdum parum cognationis habere cum corporibus noſtris videntur. Nemo vel ingenioſiſſimus & in perpetuo virium Naturæ ſcrutinio occupatus, ex iisdem, quibus in cibum utimur, ſub omni artis imitantis molimine, vel guttulam veri ſanguinis eliciet, quem tanto quotidie rivo parat ſola partium corporearum fabrica ſub inſiti motus & mirabilium coctionum præſidiis. Lautiſſima ciborum varietas in uno, & alter panis in altero, perdita

utrinque, ad eandem circiter legem, in adſuetis reſtituit. Sunt, qui, ſolo pane vel frumentis & aqua *a*), alii, qui ſolis piſcibus *b*), alii, qui ſolo lacte victitarunt *c*), & ad amuſſin valuerunt. Negandum tamen non eſt, peccari multum & in quantitate & delectu ciborum poſſe, ut laudata illa facultas, quæ ex adſumtis inquilinos & nutritios humores parit, ſub mole vel vitio ingeſtorum fatiſcat ſenſim, & hinc Aegyptiis ſub Amaſi æquiſſimum viſum ſit, ut, ex quo viverent cives, ſinguli quotannis regionum præſidibus indicarent, imo ſi id non facerent, aut legitimi victus rationes haud demonſtrarent, morte mulctarentur *d*); quam legem Solon in Græciam tranſtulit. At nunquam ulla lex etiam ſolertiſſimis rationibus ſtabilita congruentem ſingulis cibum definit plenius, quam vigilantior eorum ad propriæ Naturæ ſenſum & indigentiam attentio.

Ita omnino eſt, vitæ humanæ cuſtodia ſapientiſſimis divinæ providentiæ legibus circumſcripta, circa ipſum delectum cibi, qui fugientis vitæ præſidia inſtaurat, non in ambiguos fortuitæ experientiæ caſus nos abjecit, nec neceſſitatem impoſuit, ſalubritatis momenta inter crebros fallentis rationis errores inveſtigandi, ſed

a) Ut de Calano gymnoſophiſta habent, qui ſolo frumento cum aqua vixit, & nemini ingenii acumine ceſſit. Hinc non video, quo nomine mancipium menſæ Alexandri Megaſthenes apud Strabonem vocet, *ἀκόλαςον καὶ ταῖς Ἀλεξάνδρȣ τραπέζαις δεδȣλωμένον*. Geogr. Ed. Almelov. p. 1045. C.

b) Herodot. L. I. 200. p. m. 81. Babyloniorum tres tribus numerat, quæ nulla re alia niſi piſcibus arefactis & in panis modum confectis victitarunt. Habet quoque ichtyophagos in finibus Aethiopiæ ex Elephantina venientes L. III. 20. p. 167.

c) Getæ & Scythæ *γαλακτοφάγοι καὶ γαλακτοπόται* dicti. Ita Philinum Athenæus deipnoſ. L. II. p. 44. C. per totam vitam nec cibo nec potu alio uſum eſſe quam lacte ſcribit. Aretæus ita lac laudat, ut qui eo multum utitur, nullo alio alimento egeat. Curat. morb. int. L. I. C. 8. Op. Ed. Bœerh. p. 127. A.

d) Herodot. L. II. 177. p. m. m. 157. Athenienſes inquit eadem lege, quam Solon ex Aegypto mutuatus eſt, utuntur ut irreprehenſa, *ἀνόμῳ νόμῳ*.

ſed via proniori & minus ſalebroſa in cognitionem rerum, quibus nutriendi poteſtas eſt, per ipſas guſtus illecebras deduxit. Palam eſt, non nutrire, quæ vel inſipida ſunt vel palato adverſa, omnia vero, quæ nutriunt conſtantius & amiſſa reparant, gratiam ſaporis ſub longo annorum uſu tueri, & circa tempus, quo corpus ſuppetiis eget, etiam augere, quo non eget, ſuſpendere. Quis non agnoſcit blandam Naturæ tanquam ſollicitæ matris vocem, quæ nunc acrius nunc remiſſius pro gradu indigentiæ corporeæ invitat, & adeo ſalubritatem cum grato ſapore conjungit, ut Hippocratica dudum regula fuerit, plus nutrire, quæ melius ſapiunt *e*). Refero huc præ reliquis panem & farinoſa ex claſſe vegetabilium, & quæ blanda gelatina abundant ex genere animalium. Ab aliorum, quæ his dotibus non penitus reſpondent, crebriori uſu faſtidium ſenſim imminet, licet majus etiam & jucundius interdum ſaporis acumen ſit, non niſi ad certum corporis uſum, qualis eſt, ſi languor virium coquentium ſtimulo eget, reſtrictum. Sane nunquam a regio hoc Naturæ tramite, vel per aliorum exempla & intempeſtiva conſilia, vel propriæ corruptæ imaginationis aut intemperantiæ errores dimoveri ſe patitur, qui emetiri citra crebras valetudinis ſuæ offenſas ævi ſui ſtadium nititur.

Igitur exiſtimo, præſtantius argumentum non eſſe, quod carnes animalium ab antiquiſſimo ævo in uſum humanum divino munere conſtitutas eſſe certius evincit, quam ipſius Naturæ, quæ noſtræ non magis quam primorum parentum linguæ ſenſum illius edulii ſibi congruentis impreſſit, minime fallax in primo jam ortu inſtitutio. Non ipſi ſumus auctores orientis in nobis adpetitus ciborum, ſed illa fuit divini opificis noſtri voluntas, quæ conſenſum linguæ adpetentis & cibi nutrientis in primo creationis opere

e) Huc referri poteſt aph. 31. S. II. Ipſa verba, quod ſapit, alit, petuntur ex Ariſtotele de ſenſu & ſenſili C. 4. Op. Duval. T. II. p. 69. C-D. Congruunt verba Avicennæ: oportet ſcire, quod nutriens melius eſt, quod melius ſapit L. I. fen. 3. doctr. 2. C. 7. Edit. Valgriſ. p. 166. Idem p. 164. vetat comedere niſi poſt deſiderium, nec tardare, ſi hoc ebullit, modo non fuerit mendoſum.

opere ſtabilivit. Sane ſi ipſa animalia carnivora, ut aliis animalibus victitent, ipſius Naturæ ſuæ impulſu edocentur, quid eſt, quod ſub eodem Naturæ inſtituto id minus decere hominem ſuſpicemur. Mirari ſe ait Plutarchus *f*), qua motus ratione primus homo cadaver animale ore ſuo guſtare adgreſſus ſit? Ejus judicio oris uncus, unguium acumen, dentium aſperitas, ventris robur & ſubigentis ſpiritus calor, tanquam miniſtra in cædem animalium arma, hominibus negata ſunt: quibus potius dentium lævitas eſt, oris exiguitas, mollities linguæ, imbecillitas coquentis ſpiritus; ita ut non niſi inter artes culinares elixando, aſſando, condiendo macerata caro blandiri gulæ incipiat. Colligit, hominem, qui primum id auſus ſit, inopia fortaſſis compulſum, cum in locis aliquando infrugiferis, paludoſis, vaſtatis hæſerit, ad tale genus ciborum deſcendiſſe, & ſcite Laconem illum, cum emti piſciculi coctionem a caupone petiiſſet, huic ſal oleum & acetum, quibus condiret, poſtulanti reſpondiſſe: egone, ſi iſta haberem, piſciculum emiſſem? Hæc inter concludit, in tanta frugum abundantia, ſi ad victum animalem, qui corpus crudis opplet & animum obfuſcat, temere quis confugiat, eum mendacio gravare terram, tanquam alere nos nequeat. Rhetorem agnoſco non philoſophum. Inanis eſt de inſalubriori carne, ſi ſobrie ea utimur, querela, a nobis paulo poſt uberius excutienda, & ſi quid veri comprehendit, limitanda. Inter tot vero rationum adminicula, quibus homo didicit crudum cibum, tam animalem quam vegetabilem, viribus corporibus ſolubiliorem reddere, haud roſtris, unguibus & ſerratis dentibus egemus.

Qui clamant contra *κρεωφαγίαν* primorum ante inundati orbis fata hominum *g*), negare nunquam audebunt ſanctum illud, de

f) v. Orationes duas *περὶ σαρκοφαγίας* Op. T. II. p. m. 993. ad 999.

g) Veterum maxima pars negavit eſum carnium ante diluvium, inter quos præcipue Rabbini, ut R. Aben Eſra, Iſ Aramah, Sal. Jarchius, Joſ. Albo, & quos ubertim citat R. Manaſſe Ben Iſrael in conciliat. Qu. 9. Videntur omnes ſecuti R. Jochanan & Rab in Gemara Sanhedrim C. 7. Monet tamen circa hæc I. A. Danz in diſſ. de *κρεωφαγίᾳ* ante diluvium licita Jen. 1609. in alloquio ad Reſp. Henr. Scharbau, ne credet, communi

de quo dixi, Naturæ inſtitutum, quod rerum alentium vires ipſo guſtu cognoſcit, inter primos etiam mundi incolas exſtitiſſe, nec fieri potuiſſe inter has cognoſcendi ſuppetias, ut alendi facultas carnibus animalibus inſita diu lateret. Quin conceſſum homini in prima protinus rerum origine dominium in animalia fuit illimitatum, non ad ſolum uſum ex viventibus capiendum, ut quidam volunt, reſtrictum *h*). Quale enim hoc eſſet in piſces accolis rivorum & marium? qualis inde uſus ad eos redundaret extra unicum illud vitæ ſuſtentandæ momentum? Sus quid habet, præter eſcam? inquit Tullius *i*), qua pecude ad veſcendum homini-

muni Judæorum ſuffragio rem adprobari; non enim totius ſenatus ſed privatorum eam ſententiam eſſe. Inter patres veteris eccleſiæ Hieronymus L. I. contra Jovinian. carnium uſum dixit ante diluvium ignotum, poſt illud quidem permiſſum Judæis, ſed velut divortium, ob σκληροκαρδίαν. Chryſoſtomus quoque homil. 27. initium edendarum carnium in tempora Noachi collocat; ſic Theodoretus in Gen. Qu. 55. Tertullianus de cib. Jud. Inter pontificios doctores ſunt in ea ſententia plures, ut Lyranus, Toſtatus, Carthuſianus, inter reformatos Zwinglius, Muſculus, Martyr, Delany, inter noſtros Lutherus, Brentius, I. Gerhardus & alii. Exarſit magis elapſo ſeculo illa controverſia inter St. Curcellæum, a quo ſtetit Mart. Schoockius, & I. Henr. Heideggerum in hiſt. ſacr. Patriarch. T. I. Exerc. ſel. 15. de eſu carnium retro diluvium licita p. 255. ſq. variisque aliis locis. Inter medicos poteſt hic locum reperire ipſe Hippocrates, dum illa, quæ ex terris pro victu naſcuntur, τὰ ἐκ τῆς γῆς φυόμενα tangens, ego ſane, inquit, ab initio etiam hominem tali victu uſum eſſe puto, de vet. medic. Op. Ed. Lind. T. I. p. 17. VII. Addo inter recentiores medicos Lud. Nonnium & Philippum Hequet, illum tamen in laudes carnium, hunc in opprobria adeo effuſum, ut etiam tempore Noachi indultas putet, ut Hieronymus, ob σκληροκαρδίαν.

h) Geneſ. 28. Auguſt. Torniellus, Annal. S. ſub. A. M. 1657. & alii excludunt ab hoc dominio jus necis ad victum, & provocant ad dominia hominum in ſervos civesque. Sed aliud eſt dominium perſonarum aliud rerum, inprimis rerum, quibus Natura tam luculentam notam impreſſit, ut nobis in morte proſint. Sane cum in mandato divino limes non ſit, temeritas hominis eſt, quæ illum fingit. Conf. Wandalin. vindic. libert. Chriſt. p. 36.

i) De Natur. Deor. L. II. 64. Edit. Erneſt. Vol. IV. p. 567.

minibus tam apta nil genuit Natura fœcundius. Quid præter ſetas, lutum & clamores, ut cum Platone Comico dicam *k*), ſus vivens ſuppeditat? quid vero non deliciarum a morte *l*)? Nihil agunt, qui ſævitiam objiciunt in cæde animalium, quaſi cibus alius non ſit, qui ſine crimine ſuſtentet. Humanitati imo juſtitiæ repugnare ajunt, iis, quibus commune nobiscum animæ jus eſt *m*), filum vitæ ipſo divino digito nexum abrumpere, tunc etiam, ubi utilia manſuetorum animalium miniſteria, ut bovis arantis, ovis corpora noſtra veſtientis, galli domus cuſtodientis, duram manum, quæ jugulat, ultro videntur cohibere poſſe vel debere. Quorum vita prodeſt, illa ad ingluviem damnare, adeo iniquum exiſtimarunt, ut impenſe laudarent graviores pœnas in hanc gulæ intemperantiam a priſco ævo irrogatas. Varro ſcribit *n*) a bove tanquam hominum ſocio in ruſtico opere & Cereris miniſterio ita abſtineri manus voluiſſe veteres, ut capite ſanxerint, ſi quis occidiſſet. Non aliter Columella tantam fuiſſe teſtatur *o*) apud anti-

k) In Clementis Alex. ſtromat. L. VII. Hinc cl. Pluche ſues tam facile ſaginari, tam crebros per annum partus, quaternos nempe vel quinos, quibus ſingulis 15 vel 16 fœtus excludunt, reddere notat in ſpect. Nat. T. III. Entret. XVII. p. 33.

l) Dixit olim Chryſippus: hic Deus ἐνοψίαν lautum convivium nobis inſtruxit. Plinius quinquaginta fere diſtinctos ſapores hujus carnis numerat, Hiſt. Nat. L. 8. C. 51. Titus Quintus Flaminius in Chalcide apud hoſpitem cœnatus miratusque carnium varietatem audivit ex hoſpite, omnes ſuillas fuiſſe, diverſas ἡδύσμασι καὶ σκευασίαις, condimentis & adparatu. Plutarch. in apophth. Op. T. II. p. 197. C.

m) Vocavit Pythagoras τὰ ζῶα κοινὸν δίκαιον ἡμῖν ἔχοντα ψυχῆς v. Laert. Edit. Meib. L. VII. ſegm. 13. p. 448. Ita Porphyrius L. III. de abſtin. τὸ δίκαιον, officia juſtitiæ, ad animalia retulit, neque enim hæc ratione carere.

n) De re ruſtica L. II. C. 51. Edit. Geſn. p. 273. Ita Damaſcenus Phryges commemorat morte mulctaſſe, qui bovem occidiſſent. In Cypro Demonaſſa condendarum legum perita vetuit occidere bovem aratorem, quod cum filius feciſſet, capite damnatus eſt. v. Dio Chryſoſt. Or. 64. Op. p. 592.

o) De re ruſt. L. VI. circa finem proemii. Conf. Plinii Hiſt. Nat. L. VIII. C. 45. ubi inter exempla refert damnatum aliquem, qui bovem occidiſſet,

antiquos tam utilis animalis venerationem, ut æque capitale eſſet, bovem occidere quam civem. Videntur omnino inter illos grati animi errores tardius in cibum tracta fuiſſe, quæ operam non parvi ſæpe momenti in uſum vitæ noſtræ præſtitiſſent; donec ob illatas noxas majori rigori locus eſſet, ut cum bos placentam ſacris deſtinatam abſumſiſſet, ſus ſegetem vaſtaſſet, caper vitem arroſiſſet *p*). Quo referunt alii mutilatorum animalium & jam ad operas præſtandas inhabilium, ut vitulorum, agnorum, gallorum, a lupo vel vulpe morſorum, caſus fortuitos, ubi guſtato caro & alliciens mox ſuaſit ſimile in ſano animali experimentorum. Cadit certe, quidquid eſt offuciarum ſuperſtitionis, quidquid opprobrii ſævitiæ, ad ipſius Dei, qui vitæ, cujus violatæ in animali injuriam querimur, auctor eſt, quique talem animantibus carnem, quæ nutriret hominem, talem huic ſenſum, qui adpeteret, dedit, adeoque ut per Naturam ipſam magiſtram jam docuit *Adamum*, tum ſenſu, tum collato pleni dominii in animalia jure, ita ne hæſitaret homo, an illo Naturæ inſtinctui obſecundare omni tempore liceret, *Noachum* ejusque progeniem propriæ vocis oraculo confirmavit. Nulla igitur jam criminis umbra

diſſet, a populo Romano, ut ageretur in exilium, tanquam colono ſuo interemto. Cujus ipſius facti meminit Valerius Maximus, memorabil. L. VIII. c. I. ſubjicitque: *innocens*, niſi tam priſco ſeculo natus fuiſſet. Venuſte Ovidius de ovibus bovibusque, metam. XV. 116. ſq.

Quid meruiſtis oves placidum pecus inque tegendos
natum homines, plenum quæ fertis in ubere nectar? **Et mox**
Quid meruere boves animal ſine fraude doloque,
Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores?

p) Unde caper Baccho, ſus Cereri immolatus, de quo Ovidius med. XV, III. ſq.

Prima putatur
hoſtia ſus meruiſſe mori, quia ſemina pando
Eruerit roſtro ſpemque interceperit anni.
Vite caper morſa Bacchi mactatus ad aras
ducitur ultoris.

Bovem primus necavit Diomus ſacerdos ab placentam ſacram abſumtam, v. Porphyr. de abſt. II. c. 2. p. 58.

umbra eſt, deſtinata Naturæ & divinitus indulta in rem noſtram & alimoniam convertere; ut tamen haud repugnem, improbum eſſe, plus onerum, quam ferre poſſunt, imponere animalibus, minus pabuli, quam quo reficiuntur, præbere, vel ſæviorem, quam neceſſe eſt, in iis ad cibi uſum enecandis manum adhibere, vel denique, ut in publicis ſpectaculis fieri ſolet, eorum mutuis pugnis ac cædibus nimis delectari. Poteſt ceteroquin in occidendis pro victu animalibus id quoque removere injuſtitiæ colorem, & vias divinæ providentiæ animis noſtris mirabiliores reddere, quod prodigioſa animalium ſe crebro & multiplici partu propagantium multitudo, pabula agrorum noſtrorum ſegetesque deſtruens, venationum exercitia tam neceſſaria reddiderit, ut ſumma antiquitas ea haud ignoret. Et quis non videt? copiam illam animalium ipſi tandem homini metuendam, quæ inter myriades cadaverum ſuæ corruptioni relictorum putri halitu omnem circa nos aerem inquinatura fuiſſet, nunc inter epulas digniorem longe in victu humano locum occupare, Quodſi præterea iis adſentiri velis, qui prima animalia in amorem, obſequium & ſodalitium hominum proniora, nunc ubi poſt lapſum terror pavorque ea occupavit, quaſi ad ſenſum majoris periculi & conceſſæ in ſuum interitum majoris poteſtatis, partim aufugiſſe, partim hoſtilem in nos animum exercere cœpiſſe credunt *q*), nova necandi ratio emergit, & abunde ex dictis liquet, ſive illis peperceris, ſive illa tibi, utrimque adhuc eſſe, quod metuas.

Juvat, antequam hic pergo, divina verba inſpicere, quæ velut hucusque in ipſo Naturæ ſenſu expreſſa legiſſe mihi videor, ita quæ in codice ſacro continentur, nihil in hoc argumento habent, quod repugnet. Videntur multis hæc verba, quæ *Geneſeos I. v.* 29. occurrunt, cum iis collata quæ *Geneſeos IX v.* 3. leguntur, priori loco victum unice vegetabilem, poſteriori etiam anima-

q) v. Sebaſt. Münſter ad Gen. IX. 2. Criticor. ſacr. T. I. p. 154. 155. Ibidem p. 160. Iſid. Clarius Münſteri judicium ſecutus cum terrore illo animalium conjungit novum ſenſum periculi, quod jam in cibum ceſſerint.

animalem hominibus in victum deſtinare. Nam ibi diſerte Deus primos homines de alimonia ſua inſtruens non alia indicat, quam quæ ex terra germinant, hic vero *Noacho* cum poſteris ejus uſum carnium permittit כירק עשב ſicut herbam viridem; ut inde pronum ſit multis interpretibus judicare, nunc etiam carnes poſt diluvium, ut antea herbas ante diluvium, in victum concedi *r*). Non omitto præceptum vegetabilis cibi a lapſu iteratum Gen. III. 17. 18. ubi eundem cibum ſub ſpinis & carduis germinantem & majori moleſtia ac cultu capiendum aliqua victus animalis mentio nondum conſolatur. Verum adhæc non incommode reſpondetur, ſilentium de carnibus in prima conceſſione id haud protinus involvere, prohibitas tunc fuiſſe. Præteriri cum *Andr. Riveto* hic carnium uſum dixeris non excludi *ſ*), ſed ſub dominio in animalia præcedente verſu impertito comprehendi, poſt diluvium autem, quia jam ampliora in ſtatu corruptionis quam innocentiæ privilegia, vel extenſum magis quam ante in animalia dominium comminiſci alienum eſt, renovari tantum datam prius veniam nunc ſub expreſſa magis carnium mentione, ut de vetito ſimul ſanguinis eſu conſtaret, quem ſibi Deus vindicavit in altari pro animabus. Haud improbo ſententiam *Jac. Saliani t*), qui dum pari-

r) Non dubitat Raſchi ad Gen. IX. 3. hac quaſi divinæ vocis paraphraſi uti: quamvis non conceſſerim homini primævo carnem, ſed tantum herbam viridem; tamen vobis, uti herbam viridem, ita jam dedi omnia.

ſ) Op. Theol. T. I. p. m. 232. ad Gen. IX. 3. ubi priſcum carnis uſum agnoſcit, non tamen tam largum quam poſtea. Sane fecit opinio, verba præciſe divina, quæ permittunt, requiri, ut negarent multi, lac etiam, mel, ova, lanas aliosque animalium fructus potuiſſe in uſum trahi.

t) Annal. Eccl. epit. ad A. M. 1657. p. 78. X. negat ibi, credibile eſſe, ſive juſtos ſive injuſtos a carnibus ante diluvium abſtinuiſſe. De juſtis enim quis credat, vel Abelem vel Sethum vel alios pios lana ovium contentos projeciſſe carnes, nec ſacrificiorum participes fuiſſe? Injuſti vero inconceſſas etiam voluptates ſecuti cur negligerent non negatas? ceterum prohibitionem nullam eſſe ib. n. IX. illuſtrat victu vegetabili etiam animalibus tributo, non excluſis carnivoris.

pariter veniam comedendarum carnium tacite ante diluvium; aperte poſt illud indultam putat, non male argumentum taciti illius conſenſus ab exemplo animalium carnivororum petit, quæ hanc Naturam ſuam etiam tunc ſecuta eſſe credideris, licet *Geneſeos I. v.* 30. herbæ pariter omnibus animalibus, ut antea hominibus, in victum adſignentur. Novi tamen non deeſſe, qui cum *Aug. Toricello u*) ex ipſo illo loco concludunt, carnivora animalia ab initio non exſtitiſſe, ſed poſt diluvium ob plantas fructusque ſucci jam deterioris, exuta prima proprietate hanc carnivoram induiſſe. Eadem eſt *Hugonis Grotii* concluſio *x*): haud ab initio, inquit, animantia veſcebantur animantibus, ſed dum demum id cœptum fieri, cum non homines tantum ſed & animalia viam ſuam corrumperent. Quibus conjecturis jam olim natis bene reſpondit *Thomas Aquinas*, citra rationem eſſe, naturam rerum ita immutatam cenſere *y*). An hæc niſi a nova creationis lege proficiſci potuerunt? Opus non eſt iſta fingere, ſi nova adridet verſio virorum quorundam hebraicæ linguæ callentiſſimorum, qui victum illum vegetabilem tam homini quam animalibus *Geneſ. I. v.* 29. *&* 30. præſcriptum ſic ſoli homini tribuunt, ut animalium non mentio fiat tanquam participum hujus victus, ſed quod ipſa partem novam hujus victus conſtituant. Hæc eſt verſio *Jo. Cocceji z*), ex qua illam petiit *Jo. Henr. Hei*-

degge-

u) l. c. p. 43.

x) Comment. in Geneſ. ad l. c. p. 3. Duo colligit ex Gen. I. v. 30. 1) brutis ſolas herbas conceſſas eſſe, non etiam fructus arboreos, ut homini; 2) animalia animalibus tunc veſci non ſolita. Hoc tunc factum, ubi tota caro corrupit viam ſuam, Geneſ. VI. v. 12. Ad quæ verba Grotii Jo. Clericus non quidem cenſet rationem vel peccatum in bruta cadere, credibile tamen, leones, tigrides & hujus ingenii animalia ab initio carnibus infirmiorum abſtinuiſſe. Comm. in Geneſ. l. c. p. m. 15.

y) P. I. Quæſt. 96. art. 7.

z) In Summa Theol. C. 20. §. 17. ubi hujus verſionis rationes ſubjicit, quas etiam attigit in Geneſ. Op. T. I. §. 161. p. 26. Non puto, inquit, dubitandum, quin animalia hic conceſſa ſint in cibum, ſi quis attendit ordinem verborum, v. 29. dedi vobis, v. 30. in cibum. Quæ niſi con-

jungun-

deggerus a), hos binos verſiculos tanquam ſolos humani victus indices ita conjungens: *ecce dedi vobis* (v. 29) *omnem herbam ſemen facientem, quæ eſt in tota terra, & omnem arborem, quæ habet fructum arboreum ſemen facientem vobis ad comedendum,* imo etiam (v. 30.) *omnem beſtiam agri, & omnem alitem cæli, & omne quod ſe movet in terra, in quo eſt anima viva, cum omni olere herbacea in cibum.* Provocat *J. Henr. Heideggerus*, etiam ad conſenſum *Jac. Cappelli b*) & *Sam. Bocharti c*), ſed hi conjungunt potius verſiculum 29. cum præcedente 28. ut datam tamen divinitus & ab initio ſtatim victus animalis veniam æque ſtabiliant. Itaque Deus poſt diluvium *Noacho* conciliatus, cum maledictam premeret terram & hæc proventus etiam ſub majori cultu tenuiores promitteret, renovavit in animalia dominium & petendi ex iis victus poteſtatem eo luculentioribus ob prævisam, quæ inſtaret, idololatriam verbis, ut, quod jam monuit *Theodoretus d*), memores eſſent, cultum haud mereri, quæ occidere & comedere liceret.

Diſcrimen mundorum & immundorum animalium velut Natura ipſa conſtituit ex iis, quæ eſui & ſacrificiis ſerviunt, ita antiquitatem κρεωφαγίας confirmat. Conſtitit jam *Noacho* de mundis & immundis animalibus, adeoque octo ante latam legem Moſaicam

junguntur, duplex erit ellipſis, & non cohærebunt verba: vobis erit in cibum cum verbo dedi vobis.

a) l. c. exercit. ſelect. XV. §. 9. p. 261.

b) Obſ. in Geneſ. v. Op. utriusque Cappelli p. m. 585. Vobis erit in cibum, inquit, tum id quod eſt v. 28. tum v. 29. At vulgarem verſionem v. 30. adeo non oppugnat, ut etiam cum aliis conjiciat, cibum vegetabilem competere animalibus jure creationis, quod autem etiam in quædam animantia graſſentur, imo homines, ἀταξίαν eſſe, quam peccatum hominis in mundum invexit.

c) Hieroz. L. I. C. II. Ed. Lond. p. 11. Verba, inquit, Geneſ. l. 29. vobis erit in cibum, non ſolum ad plantas referimus, ſed & ad animalia, de quibus verſiculo præcedente 28 dictum, ratione dominii.

d) Quæſt. 55. in Geneſ. p. 44.

ſaicam ſeculis, quod *Chryſoſtomus e*) ipſe quærit in ſcientia viro inſita, quæ quidquid commodum eſſet in cibum, *Noachum* docuiſſet. Neque vero alia, & quæ extra humanum uſum erant, offerre Deo in ſacrificium licuit, perpetui præterea moris fuit, reſiduas in ſacrificio carnes epulis θυτίμοις conſumere *f*). Ita munda animalia *I. Henr. Heideggero* adpellantur, quorum creber & quotidianus uſus in alimento ac proinde etiam in ſacrificiis fuit *g*). Non diſcrepant verba celeberrimi Viri *Jac. Sig. Baumgartenii h*), quibus docet, diſcrimen animalium ſacrificiis aptorum vel ineptorum niti diſcrimine eorundem cibo aptorum vel ineptorum; ut munda illa, hæc immunda ſint indicanda. Patet ex ſacrificiis primorum hominum, exemplo *Abelis*, carnes in uſum humanum vocatas fuiſſe, quod jus antiquorum temporum partem victimæ comedendi tangit *Paulus* ipſe 1. *Corinth. IX.* 13. Pluribus autem evicit contra *Steph. Curcellæum I. Henr. Heideggerus*, ſi in ſacrificiis ante diluvium ſacerdos vel dominus victimæ partem ejus non comedit, cadere myſterium, quod comedentes vocat κοινωνὸς τῦ θυσιαςηρίυ, participes altaris 1. *Corinth. X.* 18. Sacerdos de victima comedens ferebat peccatum cœtus ad expiandum illum *i*). Qui offerebant ſacrificia pacifica, ipſi de victimis ſuis

e) Homil. 24. in Geneſ. ubi nullum animal per ſe immundum eſſe ait, at diſtingui, dum homines ab aliis ut immundis abſtinent, aliis veſcuntur. Sic fuit tempore Noæ. Ipſa vero ſcientia ei viro inſita docebat, quæ ad cibum commoda & quæ immunda. Itaque ſcientia a Deo nobis indita eſt horum magiſtra & doctrix. Addit tamen, dici etiam poſſe, Deum ea tunc manifeſtaſſe, cui accedit Vatablus.

f) v. I. H. Heideggeri l. c. Exerc. XV. n. 21. p. 279. it. XVII. §. 24. p. 334.

g) Munda, inquit, Noæ adpellata, quæ communi in uſu fuerunt. v. Exerc. XVII. de arca Noæ §. 24. p. 334. & copioſius de eſu ſanguinis & ſuffocati c. 3. Conſentit I. A. Danz. l. c. C. II. n. 20. p. 43. noſtra inquit ſententia, nec noſtra ſolum ſed aliorum plurium, huc redit, obtinuiſſe hoc diſcrimen animalium prout in cibum adhibita vel non. Lex inde Moſaica magis definivit ex uſu Judæorum.

h) Allgem. Welthiſt. p. 229. n. 179.

i) Levit. X. 17. Comedere jubetur de victimis peccati & reatus Levit. VII. 16. de pacificis VII. 31—34.

ſuis comedebant, ut expiati pariter in communionem altaris venirent *k*). Hoc myſterium ſi a ſacrificiis primi ævi abfuit, graviter concludit & fidenter *Jo. Henr. Heideggerus*, totam illam ſacrificandi rationem fuiſſe jejunam admodum & quoad πνευματικὴν δήλωσιν ſterilem *l*). Præſcripſit ſine dubio ipſa divina voluntas hæc ſacrificia, nec potuit ultro ratio ſibi perſuadere, Deo gratas fore cruentas illas & crematas victimas *m*), niſi *Chriſtum* ſpectent tanquam conſummatiſſimum ſacrificium, cujus umbræ ad tempus eſſent columba, ovis, vitulus, bos & quidquid ex iis, quæ humanis uſibus conceſſa erant, offerebatur. Nihil eſt, quod communionem illam cum ipſo fonte ſalutis adumbratam per eſum victimæ eripere nobis debet. *Iſaac Caſaubonus* tamen; qui ſupponit ignotam primo ævo carnium manducationem, conſtare ait ex ſacris & aliis litteris, tunc tantum in honorem Numinis mactatas fuiſſe victimas *n*). Ipſe nihilominus fatetur, nullum deinde animal in proprios uſus mactaſſe homines, quin ejus aliquam partem Deo conſecrarent adolendam, unde animalia in cibum mactata ἱερεῖα dicta, non ſolæ victimæ vere ἱερένοντες & in ſacrificium oblatæ. Si dixeris, *Abelis* ſacrificium holocauſtum fuiſſe, quod totum cœlitus deſcendens ignis abſumſit, non id excludit uſum pacificorum ſacrificiorum, quorum adipes comburebantur-

k) Levitic. VII. 16. X. 13. 14. 15.

l) Exerc. XV. §. 21. p. 279.

m) v. Patr. Delany Unterſ. der Offenb. mit Zuſätzen H. C. L. Abh. VIII. p. 187. ſq. Per ſe ſacrificium cæſi & mactati animalis gratum eſſe non potuit, niſi ex obſequio & fide offerentis, qui peccati & promeritæ pœnæ memor ſub pœnitentiæ ſignis vitam animalis pro ſua offerret, imo illam offerens Meſſiam reſpiceret, Patrem ſua morte conciliaturum. Exiit in totum orbem illa Dei per ſacrificia placandi religio, ad gentes etiam veri ſcopi ignotas, ut mirum non ſit, cruentas & cæſas victimas Apollonio indignum eſſe viſum Diis convivium, & Ovidium Pythagoræ, quem incruentas aras ſervaſſe Jamblichius teſtatur, eos verbis arguere, qui Deos

Cæde laboriferi credunt gaudere iuvenci. Met. XV. 129.

n) Animadv. in Athenæi deipnoſ. L. I. C. XI. p. 35. confer. I. Selden de jure Nat. & Gent. juxta diſcipl. Hebr. L. III. c. 8. p. 313.

rebantur o), quales & *Abelem* obtuliſſe legimus, relictis hic ad epulum carnibus. Scite *Sam. Bochartus*, dum *Noachum* ſcribit easdem pecudes ad eſum & ad ſacrificia adhibuiſſe, colligit, quandoquidem uſus ſacrificiorum diluvio antiquior fuerit, idem de eſu humano pecudum valere. Neque enim, inquit, in ſacrificium obtuliſſet *Abel*, quo veſci nefas credidiſſet *p*). Ipſa gentium doctrina inter admixtos errores conjunxit eſum cum ſacrificiis, & quæ improbavit carnium eſum, etiam improbavit ſacrificia ex animatis. *Porphyrius* iis, quæ ad hominum uſum præſtantiſſima ſunt, gratiam habere ſacrificia ratus concluſit, alienum a ratione eſſe, ex-animatis, a quibus abſtinemus, primitias ſolvere *q*). Non tango reliqua pro antiquo victu carnium argumenta, quale eſt ex veſtibus pelliceis deſumtum & cæſa animalia ſupponens, cum ab exuviis eorum naturali morte peremtorum adhorreat Natura. Cæſa vero quis credit rejectis carnibus? & tantillos in reliquis ex re pecuaria adminiſtrata fructus?

Sufficit illum ſenſum Naturæ noſtris indigentiis conſulentis, τὴν ἄισθησιν τȣ̃ σώματος, qua nihil exactius legem capiendi cibi judice

o) Hugo Grotius Comm. in Gen. IV. 3. p. m. 12. ab Abele oblatum putat lanam & lac pinguiſſimum. Vox חלב quæ hic occurrit, ſæpius a LXX per γάλα vertitur, nec uno loco veterem morem offerendi lac & lanam tangit Porphyrius. Quin & Joſephus γάλα καὶ πρωτότοκα τῶν βοσκημάτων obtuliſſe Abelem notat Antiquit. L. I. c. 2. Verum ubi in ſacrificiis oblatum dicitur מחלב, in ſacro codice locum non reperiri, ubi חלב ſenſum lactis habet, bene monet I. H. Heideggerus l. c. Exercit. V. §. 20. p. m. 120. Paulus Abelis ſacrificium πλέιονα θυσίαν vocat, at θυσία animalium eſt, προσφορὰ magis inanimatorum. Jo. Clericus ornans Grotii cauſſam putat Abelem obtuliſſe lac primogenitarum ovium, quo ritu homines ſe omnem fœturam pecoris Deo acceptam referebant. Com. in Gen. IV. p. m. 41.

p) Hierozoic. p. m. 11. Ita Juſtinus Martyr in quæſt. & reſponſ. ad orthod. p. m. 47. ad qu. 119. de Abelis ſacrificio reſpondet, paviſſe gregem ad uſum & cultum ſacrum.

q) L. II. de abſtinent. non ſunt, inquit, Dii nobis deteriores, ut rebus indigeant, quibus nos carere poſſumus, nec honeſtum eſt, ex alimentis primitias ſolvere, a quibus abſtinemus.

judice *Hippocrate* definit; r) illud perpetuum vinculum inter alimoniam ex una parte & adpetentiam ex altera, tanquam divinum in ſuſtentanda vita noſtra ordinem conſiderare, cui nulla interceſſit alterius divini mandati, quod uſum ad tempus limitaret, norma. s) Sufficit, hæc maxime vindicare victus animalis ab omni ævo licentiam. De eo autem nihil laboro, an hoc omnino jure ſuo primi ſtatim homines in iſta ſapidiſſimorum ſalubriumque fructuum ubertate uſi fuerint? In mundi fortaſſis infantia idem accidit, quod hodie tenellis, quos lac, farinoſa & fructus plus oblectant quam carnes. In prima illa ruditate & morum a luxu alienorum innocentia, credo ſimpliciſſima, nullius cultus indiga, ſponte obvia & gulæ jam ſatis blandientia vix reliquiſſe locum ad nova, quæ plus artis & moliminis requirunt, circa rem edulem experimenta transeundi. Paulo igitur lentius ad cognitionem carnium concinna ratione præparandarum, inprimis cum animalia non ſtatim adeo multiplicata videantur, & multum oblectamenti ex ipſis vitæ ſuæ miniſteriis præbuerint, deſcendiſſe primos parentes, non multum abnuo. Nunquam illos carne uſuros fuiſſe, ſi vel per ſeculum duraſſet integritatis ſtatus, credidit *Dominicus de Soto*, t) qui tamen jus illud antiquiſſimum edendarum carnium agnoſcit. *Bened. Pereirius* de eodem antiquo jure perſuaſus probos cenſet ante diluvium carne non victitaſſe. u) Ipſe *Gerh.*

r) *De vet. medic.* 16. Op. T. I. p. 22.

s) Poſſunt ad tempus aliquando intercedere divina & humana mandata, quo fortaſſis tempora jejuniorum referas, ut annuum illum expiationum diem ad animas adfligendas menſis ſeptimi die decimo inſtitutum Levit. XVI. 30. XXIII. 27. Sed nec ille dies nec tot alii jejuniorum ab humana lege pendentes hujus ſunt loci, cum victum animalem haud ſigillatim prohibeant. Poſſunt majori jure huc referri, quæ in lue vel penuria animalium cura magiſtratus injunxit. Vetuit Imperator *Valens* vitulinis carnibus ad tempus veſci ob utilitatem agriculturæ. *Athenienſes* vetuerunt eſum agni intonſi ἀπεκτήτε &c.

t) *de juſt.* L. V. quæſt. I. art. I. Eadem ſententia eſt *Jo. Henr. Hottingeri in hiſt. creat.* qu. 93. p. 307. primos parentes a carnium eſu alioqui licito ad tempus abſtinuiſſe.

u) *Comment. in Geneſ.* L. 14. diſp. I. p. 369. tribuit ſimilem ſententiam *Chryſoſtomo, Theodoreto & Thomæ Aquinati.*

Gerb. Jo. Voſſius pondera argumentorum de victu animali vel licito primis temporibus vel illicito trutinans in eam ſententiam propendet, quam & ſocero ſuo *Fr. Junio* tribuit, Sethi familiam in lacte & vegetabilibus adquieviſſe, nec carnes, niſi extra ordinem, in ſacrificiis ediſſe, liberius autem ſtirpem *Caini* gulæ indulſiſſe. *x*) At etiam illi, quorum arbitrio carnes divinitus fuerunt prohibitæ, credunt *Cainitas* contemta lege ediſſe, idemque ſenſim *Sethitis* perſuaſiſſe. *Im. Weberus* licitæ ante diluvium κρεωφαγίας poſt lapſum ſpeciali mandato inhibitæ ſententiam *Joſepho* tribuit. *y*) Inter quas conjecturarum tenebras nihil dirimere velle præſtat. Plus miror, gentes divinæ inſtitutionis ignaras, ſub nebula ſuperſtitionum, vim naturali ſuo, quo in carnes feruntur, deſiderio intuliſſe. Hoc tamen facilius accidit, cum fucum religionis adſpergerent philoſophi, ut *Pythagoras* per metempſychoſin ſuam, ob quam animis impreſſam metuere infirmiores cœperunt, ne animali veſcerentur, in quo cognati cujusdam ſpiritus habitaſſet, vel ut falſe illudit *Tertullianus*, ne bubulam forte de proavo quodam comederent. Quodſi ſolidior aliqua ratio interceſſit, nata eſt ex opinione, majorem vitæ frugalitatem, velut corpus crudis haud opplet, ita acumen ingenii & vigorem ſpeculationum tueri. *z*) Sed quis non videt, ſpei

huic

x) *de orig. & progr. idolatr.* L. 3. C. 65. p. 1074. Refer huc *Ch. Chemnitium*, qui *Sethitas* ab eſu carnium alienos cenſuit, qu. in *Geneſ.* diſp. III. ad C. IX. 11.

y) *in diſp. de κρεωφαγία* C. II. §. 2. citat *Polyd. Vergilium invent. rer.* L. III. C. 5. at nihil ibi, quod quæſieris, reperies.

z) ait *Laertius* l. c. p. 498. dum rationum meminit, cur eſum carnium vetuerit *Pythagoras*, merum tantum prætextum fuiſſe καὶ τόδε μὲν ἦν τὸ πρόσχημα. Voluit ſub illo colore commenti adſuefacere mortales ad victum ſimplicem & facile parabilem, ex carne plus nutriente hebetiores animi vires veritus. Nec tamen abſtinentiam a carne vel omnibus vel omni tempore injunxit, ſed ſapientibus maxime in rerum ſpeculatione occupatis. Piſces præ aliis vetuit & cædem animalium in noſtra miniſteria utilium improbavit. Docuit ex *Ariſtoxeno Laertius* nec ipſum *Pythagoram* a carne totum abſtinuiſſe. Confer *Schefferum de nat. & conſtit. Philoſ. Pythag.*

huic haud refragari ſobrium victus animalis uſum? Videntur ad alimoniam mortalium *Cereris* munera ſufficere, quæ ſane ipſa ſexcentis modis miſcere & ſuaviora reddere licet. An vero dubites divinam exoſculari manum, quæ regni animalis divitias adjecit? Nihil reſpuamus, quod manus illa offert, at memores beneficii, quo decet ſobrie & moderate frui. Credibile tamen eſt, probatam ſtatim multis fuiſſe, proxime jam poſt tempora *Noachi* abſtinentiam a carne. Aurea illa ætas ſub *Saturno*, quis vero potius ille quam *Noachus*? jam jactavit meritum vitandarum carnium, quod exornarunt multi ex auſteris hominibus, ſacrificuli & philoſophi, ex eorumque ore ipſi poetæ. *a*) Primos jam Græcos ſolis herbis victitaſſe, probabile eſt. *Plato*, a cujus etiam cœna exularunt carnes, majores ait abſtinuiſſe, tanquam pium non ſit illas

a) tempora illa Saturni prædicant *Hieronymus*, *Dicæarchus* & alii. *Dicæarchus* apud *Porphyrium de abſtin.* L. IV. p. m. 142. veterum, cum quibus collati adulterina & improba ex materia prodiiſſe videmur, beatiſſimam vitam, bellorum & injuſtitiæ expertem, paſtoralem deinde quoque in agrorum cultu verſatam, cum magna a carnibus abſtinentia, deſcribit. Sacerdotes Aegyptii ova quoque & lac vitarunt, illa tanquam carnes liquidas, hoc tanquam ſanguinem mutati coloris. *Cretenſes* prophetas Jovis *Euripides* tradit non modo non carnibus ſed nec cibis coctis uſos. Conf. *C. Rhodigin. antiqu. lect.* L. XIII. C. 25. Ingenioſe omnia deſcribit *Ovidius*:

At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,
fœtibus arboreis, & , quas humus educat, herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.
Tunc & aves tuto movere per aera pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in agris,
Nec ſua credulitas piſcem deceperat hamo:

Metam. XV. v. 96. 107. Addo ex Met. I. v. 101-106.

Ipſa quoque immunis raſtroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus:
Contentique cibis, nullo cogente, paratis
Arbuteos fœtus montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris hœrentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.

illas edere. *b*) *Triptolemus* inter leges in templo *Cereris Eleuſino* repertas illam quoque in Attica obſervandam reliquit, animalia non comedere. *c*) *Pelaſgus* rex primus Arcadum veſci glandibus docuit in infantia Græciæ. *d*) Sane niſi glans ſub illo cœlo vel cultu mitior fuerit, vel ſub ſe amygdalas, avellanas caſtaneas & ſimilia comprehenderit, nimis ille victus ſuillo adfinis eſt. Hinc apud *Philoſtratum* judicio locus eſt, *Arcades* mortalium ſimpliciſſimos eſſe, & ſuillis moribus, tum in aliis multis, tum in eo, quod glandibus ventrem paſcant. *e*) Sacerdotes *Aegypti*, *Perſarum* magi, *Indorum* gymnoſophiſtæ plus faſcinarunt orbem. *Pygmalionis* tempore cœpit oppreſſus Naturæ ſenſus tanquam a jugo liberari. Fuit tunc, ut *Porphyrius* habet, *f*) ſacrificulus, qui fruſtum carnis ex immolata ardente victima deciduum in aram reponens, & aduſtos digitos, ut leniret, ori admovens nidore carnis allectus temperare ſibi non potuit, quin & ipſe ederet partem carnis, partem etiam uxori porrigeret. Vindex criminis *Pygmalion* utrosque ex ſaxo præcipitari juſſit: at licet idem mox ſupplicium a ſucceſſore in ſacerdotio, ſimiliter peccante, exegiſſet, non potuit tamen novum gulæ nefas, quod jam omnia legum frena momordit, ulterius cohibere. Adeo Natu-

b) *de legib.* VI. Op. p. m. 556. nec bovillas quidem carnes, inquit, guſtare audebamus, nec animalia Diis immolare, ſed liba & fructus melle madentes ceteraque hujusmodi ſacrificia pura. Veſci carnibus & Deorum aras polluere impium videbatur.

c) apud *Porphyrium* L. IV. *de abſtinent* §. 15. p. 104. teſtatur *Xenocrates*, qui tres leges adpellat in Eleuſine adhuc permanentes, ex quibus tertia eſt ζῶα μὴ σίνεσθαι, non lædere animalia, ſive ob cognationem generis, ſive utilitatem operum, ſive quod fas ſit manſuetam & æquam hominum vitam eſſe.

d) *Pauſan. Arcad.* L. VIII. p. m. 200. ſq. docuit tuguria, tunicas e ſuillo corio, & ſalubriores glandes e fago legere. Mos hic *Arcadum* diuturnus fuit, hinc *Apollo Lacedæmonios* monuit, ne eos bello laceſſerent: *glande ſatur multa obſiſtet tibi plurimus Arcas.*

e) *Philoſtrat. de vit. Apollon.* L. VIII. C. 7. §. 12. p. 347.

f) *de abſtin.* L. IV. §. 15. p. 164.

Natura ſuperior tandem eſt ipſis adultæ ſuperſtitionis viribus. Neque tamen vel hodie inter ipſos Chriſtianos deſunt ad priſcam illam morum ſeveritatem proclives. *Brachmanes* hodie, etiam Chriſtiana ſacra complexi, veteris ritus memores attingere carnes metuunt. *g*) Ita inter nos ab iis abſtinet *Carthuſienſis* diſciplina, ægre id privilegium *Romæ* conſecuta, quod publicæ utilitati obeſſe videretur, ſperandam a carnibus refectionem ipſis ægris negare. At quibus non ſenſim oneribus ferendis adſueſcit auſtera vita, ſe ipſum ſub pietatis ſpecie temere adfligens.

Satius eſt ipſam ſalubritatem carnium non nihil expendere, has enim propter illam divino munere conceſſas eſſe, & linguam, ut adpeteret, a Natura edoctam, prona conjectura eſt, cujus ratio attentos non fugit, ſi cognationem inter id, quod alit & alitur, intuemur, nunquam in vegetabili tantam, quantam in animali cibo. Hic ſine dubio in noſtram naturam converti aptior & ab excrementitiis partibus repurgatior plus alit & melius quam vegetabilis, qui plus in ſe continet alienarum partium, & a viribus coquentis corporis vel adhuc ſegregandarum, vel majori certe molimine ſubigendarum. Hæc alienior in vegetabili materia, victa ſenſim & ſubacta in animali, quod herbis & gramine victitat, fingitur reliquis expulſis ad inquilini humoris indolem. Bos omnino nihil eſt quam gramen mutatum, ex quo ſanguis naſcitur, qui totam illam molem corporis inter perennes ſuppetias inſtaurat, nullo fere notabili gradu a ſanguine, quo ipſi alimur, diſcrepans. Quanto celerius nutrire neceſſe eſt, quod jam in cor-

g) *Phil. Baldæus* nihil ait eos attingere ex veteri more, quod vitam habuit: ſibi in Chriſtiana libertate melius cum cibis ſolitis convenire, v. *Ej. Reiſe auf Zeylon* C. 47. p. m. 404. *Jo. Orvington in ſuo itinere* T. II. C. 1. ſcribit *Indorum* ſapientes, vulgo *Banians*, exhorreſcere ut grande crimen epulas *Chriſtianorum* carnibus refertas. Clamant contra hos, ſi vident eos occidere vitulum, quem maxime amant. Ipſi ſi beſtiolam inviti occiderint, multa expiationum tædia ſubeunt. T. I. C. 22. Huc refer *Guſuratæ & Cambaiæ* incolas, qui non modo viliſſimis animalibus vitam non eripiunt, ſed & ab aliis pretio redimunt, ut manu mittant. Non mirum, ſi ex his aliquid etiam *Chriſtianis* factis obhæreſcit.

corpore animali tot coctionum impendia ſuſtinuit! Quid ſunt juſcula carnium, quam elaboratiſſima in corpore animali materia, quæ per vaſa fluxit tam varii generis, & ab eorum actione dotes illas accepit, ob quas ab ultima nutrientis fluidi perfectione non niſi exiguo gradu abeſt. Ab hoc vero nihil non abeſt longius, quod magno adhuc & diuturno coctionum tum in primis tum ſecundis viis eget auxilio, antequam in ſerum illud tranſit. Habent illa juſcula carnium ex genere gallinaceo, proxime vitulino, ovillo deinde & bovillo, partem gelatinoſam, quæ proprie in alimentum, ſub parva adhuc coquentium & attenuantium virium actione, tendit, uberem omnino & benignam. Adeoque ſolidius & perfectius alimentum eſt in carne quam in aliis cibis, ut verbis utar *Joſephi Quercetani. h)* Sunt hæc verbis *Celſi*: *plus eſt alimenti in carne quam ullo alio, i)* prorſus conſona & fortaſſis ex eodem fonte petita. Haud neſcio, dubiam hanc lectionem *Celſi* quibusdam videri, qui panem pro carne aliorum codicum fide ſubſtituunt. Non is ſum, qui panem inter præſtantiſſima alimenta pertinere non agnoſcam. Ideo enim *Avicennæ* adſentiri nolim, omnem repletionem malam, panis peſſimam cenſenti, *k)* nec laudaverim nimis reſponſum Regis veterum *Aethiopum*

h) in diætetic. polyh. Sect. III. C. 4. p. m. 391. Huc refer verba *Melch. Sebizii de alim. fac.* L. III. C. II. p. 563. *nihil magis alit quam caro, eſt enim velut ſanguis concretus, ideoque etiam facile in ſanguinem vertitur.* Refert idem & probat Dominici de Soto rationes, inter quas eſt, experientiam & philoſophos & medicos docere, carnes copioſius & melius & potentius nutrire quam alia. ib. p. 562. Huc refer illud poëtæ, Sim. Güntheri in hortul. ſanit. p. 11.

Carne nihil melius nutrit, caro carne fovetur.
Carior eſt, ſi non cœnula carne caret.

i) de medic. L. II. C. 18.

k) fen. 3. L. I. t. 2. C. 5. Edit. Valgriſ. p. 169. verba hæc proprie ſunt: *impedimentum panis, cum non digeritur, eſt multum, ſed carnis impedimentum, cum non digeritur, eſt minus.* Conf. *Cæl. Rhodigin. antiqu. lect.* L. 9. C. 17. p. 474. Non deſunt vindices panis. *Cl. Deodatus* L. II. *panth. hyg.* C. 4. mavult legere omnium rerum repletionem malam, panis minime. Audacius *Sanctorius in meth. vitand. error* L. IV. C. 8. legit, omnem repletionem malam carnis peſſimam. Male emendat

pum, qui de victu Perſarum & ætate incolarum diſquirens, viſo pane & audita ætate octoginta circiter annorum, ſe non mirari reſpondit, ſtercore tali veſcentium breves annos eſſe. *l*) Illud tamen notatu dignum eſt, Aethiopes illos, macrobios dictos, quia annos CXX plerique attingerent vel ſuperarent, victu non alio uſos eſſe quam carne & lacte. *m*) Deſcribit *Herodotus* celebrem apud *Aethiopes* illos ſolis menſam, aſſa quadrupedum carne refertam & noctu a magiſtratu poſitam, ad quam omnibus epulatum accedere licuit, perſuaſis ex terra ſuggeri. *n*) *Homerus* aſſas carnes bovillas in convivio heroum inſtruit, quales *Agamemnon Ajaci* poſt certamen cum *Hectore* præbet, quod robur a carne ſit, quaſi τὸ κράτος ἀπὸ τȣ̃ κρέατος. *o*) Sane ut ad illum Celſi locum *oo*) redeam ambiguitatis ſuſpectum, inſiſto egregiis, qui carnem legunt commentatoribus, & inter hos *Balduino Ronſſeo*, *p*) qui in ſubjectis notis uberius carnium merita illuſtrans eas, ait, inprimis ſucculentas, ut juvencorum porcorumque, valentiſſime nutrire & ocyſſime in alimoniam tranſire, idque fruſtra ab aliis, quæ validiſſimis nutrientibus adnumerantur, exſpectari; in qua ipſum

dat præconcepta hypotheſis citra fidem codicum. Fuſe hic pro pane pugnat *Gaſp. a Reies Elyſ. jucund. quæſt. camp.* Qu. 85. 4. ſq.

l) *Herodot.* L. III. 22. p. m. 168.

m) *ib.* Addit aquam tam levem, qua utuntur per omnia, ut nihil in ea innatare poſſit.

n) *ib.* L. III. 17. p. m. 166.

o) *Athen. deipnoſ.* L. I. 68. 4. Idem dat Neſtori & Phœnici carnem aſſam. Ita Homerus habet diebus feſtis & in nuptiis & alio heroum convictu.

oo) panem legunt editiones *Lindenii*, *& Almelovenii*, hujusque recentior, cui notas adſperſit *I. B. Morgagne, Lugd. Bat.* 1746. Nec improbat ibidem lectionem panis *Rob. Conſtantinus* p. 597. Bene *Galenus* recenſens, quæ plurimum nutriunt, & inutilis materiæ minimum continent, *panem purum, ova & carnes jungit. meth. med.*. L. VIII. c. 2. Op. Cl. 7. p. 50. H.

p) *ex edit. Lugd. B.* 1592. 4. ubi in librum primum Celſi H. T. *Brachelius*, in reliquos B. Ronſſeus commentatus eſt, & in hunc locum. Carnem quoque legit editio *Stephaniana medic. art. princip.* T. III. p. 362.

ipſum veterum recentiorumque medicorum haud deſtituit conſenſus.

Hippocrates præter panem, mazam & carnes reliqua ad incrementum, ſanitatem & robur non niſi imbecilla auxilia eſſe ſcribit. *q)* Vocat imbecillos cibos, qui tenuem & fluxam vitam præſtant, *ὀλιγοχρονίην βιοτὴν. r)* Hi ſunt, inquit, *Lud. Nonnius*, quos ager & hortus ſuggerunt. *s)* Illuſtrat vim alendi, in utroque victu tam imparem, experimentum *Dionyſii Dodarti* in ſe ipſo captum, *t)* qui ſub jejunio quadrageſimali A. 1677. uſus leguminibus pane & aqua, partem corporis ſui decimam quartam intra dies quadraginta ſex amiſit: redux ad priſtinum vitæ genus ſub finem quarti diei jam libras quatuor recuperavit. Pro re comperta habet jam laudatus *Nonnius*, ſalubrius longe alimentum homini præbere animalia, quam arborum fructus & cetera hortenſia, ex quibus pleraque exceptis cerealibus & paucis olerum fructuumque, vitioſi potius vel medicamentoſi ſucci ſint, imo interdum Naturæ plane adverſi. Concludit, quia nos talia parum vitales reddunt, calorem vitalem, qui multis de cauſſis diſſipatur, validiori carnium eſu ſuſtentari, ad quem proinde unanimi conſenſu homines confugiant, poſtquam plurimum hic alimenti, naturæ noſtræ magis congruentis minusque vitii continentis, cognoverint. Diſerte *Galenus*, ut carnes probe coctas optimum ſanguinem gignere, *u)* ita ſeorſim ſuillam omnium potentiſſime nutrire athletarum exemplo confirmat, qui ſi parem molem cibi, ſed alterius, ſub eodem ac ante exercitio corporis ſumſerint, altero mox die ſe ſentiunt imbecillores, ſique id pluribus

q) *de affection. circa fin.* Op. Vol. II. p. 195.

r) *VI epidem.* S. V. 21. Op. Vol. I. p. 811. 37.

s) *de re cibar.* L. III. c. 2. p. 160. ſq.

t) fuerat ante illud jejunium librarum 116, unciæ 1, poſt illud librarum 107. unciarum 12: adeoque ſub victu vegetabili perdidit libras 9 unicas 5. v. *hiſt. de l'Ac. R. des ſcienc.* 1707. p. m. 234.

u) *de aliment. facult.* L. III. c. 2. Op. Cl. II. p. 25. Eadem fere ſunt verba *Oribaſii medic. collect.* L. II. C. 28.

ríbus diebus fecerint, non imbeciliores modo ſed & penuria alimenti macilentiores. *x*) Ut eandem carnem Hippocrates *βέλτιστον τῶν κρεῶν ἁπάντων* optimam carnem omnium adpellat, *y*) ita aſſam corporibus multo labore extenuatis admodum commendat. *z*) *Oribaſius* ad carnium mollitiem & friabilitatem tanquam nutrientis virtutis præſtantiora ſigna attendens, ſi utraque adſit, ad plenam edere ſatietatem, ſi alterutra, infra eam, ſi neutra, magis circumcidere uſum præcipit. *a*) Convenit inter hæc, ad illas maxime carnes reſpicere, quæ ſunt ab animali ſano & mediæ ætatis, quodque probis paſcuis & puro aere, in quo commode movetur, fruitur. Illæ carnes ab animali ferro peremto petitæ & recentes, vel ſi opus, aliquamdiu in aere ſuſpenſæ præſtant ſalitis & fumo duratis, quæ multum gelatinæ ſuæ perdunt. Non hujus loci eſt potiora quadrupedum, volatilium, piſcium genera enumerare, in quibus conſpicua magis ſit illa ſaluberrimi ſimulque gratiſſimi alimenti præſtantia, nec attingere alia, quæ animalibus debemus beneficia, ut lac & ova. Adhuc tamen paucis diluimus probra, quibus victum carnium temere onerant.

Provocant ad contractiora jam vivendi ſpatia, quam primorum hominum ſub victu vegetabili fuerint. Rationes, quæ hunc ſtabilire nituntur, mancas vidimus & hiulcas eſſe. At largiamur tantiſper, quod volunt: patebit enim facile, in victu non eſſe ſolo, quod ſpem tot ſeculorum alit. Dudum ad illum rediiſſent homines, ſi quid veri momenti in illa ſpe eſſet, & multi redierunt jam olim, omnem pariter carnem exoſi, at non ſub ſimili lucro creſcentium dierum. Nec *Zeno Cittiaeus*, nec *Pythagoras*, nec

x) de carne ſuilla, quod omnium eduliorum maxime alat, boni ſucci ſit & melius omnibus concoquatur, tum alias tum ob ſimilitudinem ad hominem, ex *Galenica* doctrina confirmat *Aetius tetr.* 1. *ſerm. II. C.* 121. Ita & *Aegineta* carnem ſuillam plus alere & ſapore ac odore familiaritatem aliquam ad corpus noſtrum habere docet *de re med. L. I. C.* 83.

y) *de victu acutor. Op. T. II. p.* 517. *L X.* 14.

z) *L. VI. epid.*

a) *med. collect. L. III. c.* 2. it. *ſynopſ. ad Euſthath. L. IV. c.* 1.

nec ſimia ejus *Apollonius Thyaneus*, in rigore illo victus vegetabilis, vel unius ſeculi terminos attigerunt. Et *Philippus Hequet*, qui ſub hoc ipſo victus merito extollit priſcum ſeculum, ceu vitæ & ſanitati ſacrum, ſine morbis & medicina, *b*) ipſe quidem triginta annorum a carne abſtinentia non auxit dierum numerum. Facere aliquid potuit ad vitæ anguſtias receſſus a primæ ſobrietatis & victus ſimplicioris legibus, verum nec ab illo receſſu priſcum ævum penitus immune agnoſco, longævum tamen. Neque ea, quæ e terra germinant in tanta varietate, extra periculum luxus eſſe vel fuiſſe olim cenſeo. Improbos ante diluvium homines Nephilim non dubito gulæ litaſſe, *c*) nec tamen inter *Cainitas* & *Sethitas* conſpicuum adeo adparet ætatis, quam utrinque attigerunt, diſcrimen. Quin & poſt diluvium in plena jam libertate victus animalis non adeo celeriter coarctati ſunt vitæ termini, ut ejus rei altius petenda ſit ratio, non vero præſentis indaginis. Alia occurrit querela, non minoris quidem, ſi juſta eſſet, momenti, craſſum nempe carnes alimentum præbere, & ſub ſagina corporis animum in macie eſſe. *Jul. Cæſ. Scaliger* id exemplo demonſtrare nititur barbarorum ſeptentrionalium, *Scytharum*, *Sarmatarum*, *Islandorum*, *Lituanorum*, quos multa carne veſci, bardosque & ſtupidos eſſe exiſtimat. *d*) Multum

b) *in medic. theolog. T. I. præfat. p.* 12. 16.

c) *Nephilim* nec a carnibus humanis abſtinuiſſe. ex *Beroſo* probare *Cajetanus in Gen* 4. nititur. Si fides *Athenioni*, eſus carnium humanarum antiquior fuit, quam carnis aliorum animalium. Scribit, cum olim carne humana veſcerentur, hominem aliquem minime fatuum aſſam carnem ex victima obtuliſſe, quæ ſuavior viſa impulit, ut deinde ad eſum pecudum tranſirent. *v. Athen. deipnoſ. L.* 14. *C.* 25. *p. m.* 660. Contra hunc eſum carnis humanæ lege *Petitum de moribus antropophagor.*

d) *de ſubtilit. exercit.* 252. *n.* 2. *p. m.* 739. Craſſe alere carnes ait dictarum gentium exemplo, cum e contrario ſub victu oppoſito ſapientiſſimi ſint *Aegyptii*, *Chaldæi*, *Syri*, *Aſſyrii*, ubi *Brachmanes*, *Gymnoſophiſtæ* &c. nil habent niſi τραγήματα, πέμματα, πτισανάρια, ῥοφήματα. Non alia olim fuit, *Theopompi* cenſura, a carne animas craſſiores naſci, ψυχὰς βραδυτέρας, plenas σκληρότητος καὶ σκαιότητος, duritiei & ſtultitiæ;

tum ſibi impoſuerit oneris, ſi tam craſſos hebetesque eſſe, quam levis forte rumor attulit, probare velit, vel id ipſum, illos carnibus præ aliis veſci. Inconditæ plerumque remotiores gentes premunt fabulæ, quibus ceteroquin ad tempus barbaris non tam Natura dotes ſuas, quam inopia diſciplinæ lumen & cultum negavit. Raro inquit idem *Scaliger*, inter veterum ſapientum cibos *Laertius* carnes enumerat. Vis nempe ingenii & ſpeculationis, qua illi ſe efferunt, in ſtrenua potius exercitatione quam olere vel carne quærenda erat; hanc tamen agiliores ſtabilioresque pro commercio animæ & corporis in ſuis functionibus ſpiritus præbere non multum ambigo. Ut mens ſana ſit in ſano corpore, hoc ſalubri cibo nec obruendum nec deſtituendum eſt. Helluonibus ſub crebro exceſſu cujuscunque cibi vel potus nec mens valere nec corpus poteſt. Ex nimia vero juſti cibi penuria naſcitur ſtatus ille animi ſubtriſtis & moroſus, qui ſenſim partem gloriæ ſuæ putat, corporis indigentias adſpernari. Quis morbo laborare hunc animum, & ſibi aliisque ſub ſpecie ſapientiæ, dum potius deſipit, moleſtum eſſe, non agnoſcit? Morbus eſt aliquis per ſapientiam moroſis, non inepte legit *Jo. de Pineda* cum *Schotto* verba *Plinii*: *morbus eſt aliquis per ſapientiam mori. e)* Ne tamen nihil agnoſcere videar, quod carnibus objicitur, haud diffitebor, illas ſub uſu minus moderato plethoram & putres acutosque in corpore, inprimis calente, morbos gignere. Alterum inde oritur, quia materia, quæ alit, ab iis ubertim ſubminiſtratur, cum major pars in vegetabilibus tanquam aliena & inutilis, adeoque extra poteſtatem alendi concipienda, eliminari ſoleat. Alterum fit ex ipſa coctionum facilitate: quidquid vero promte per faciles coctionum gradus ad indolem inquilini humoris & nutritii emergit, ab eo etiam ſub ipſo attritu vitali citius deflectit, & in putrem corruptelam, quæ omni animali familiaris eſt, celeriori paſſu tendit. Nunquam vero, qui tem-

e) *Hiſt. Nat. L. VII. C.* 50. confer notas *Harduini in Plin. T. I. p.*429. *n.* 142. Sed plenius de illa re diſputavit conjunctiſſimus *Trillerus* meus in progr. publ.

temperanter vivit, corpus ſuum viribus ſentit deſtitui, quidquid effœtarum & emeritarum partium eſt, antequam lædere ſua mora incipiunt, tempeſtive ejicendi. Haud refragamur judicio *Proſperi Alpini*, *f*) qui exemplo ab *Aegyptiis* petito temperatiſſimum victum animalem ad longam vitam magni momenti eſſe facile perſuadet. Certe ſalutaris ſemper eſt victus & vegetabilis & animalis miſcela, ut altera alteram in celeriori vel tardiori ad coctionem æque quam corruptionem gradu cohibeat & moderetur.

f) *de medic. Aegypt. L. I. C.* 9. *p.* 39. ubi cum *Guilandino* diſputans ipſe quidem cenſet, nullum medicum dubitare vel ignorare uſum optimum carnium, quo naturalis calor augetur, roboratur & imminutus cito revocatur; imo hæc verba ſubjicit: *quis igitur credat, cibos hos melius nutrientes, probiorem & copioſiorem ſanguinem gignentes cauſſam haberi poſſe brevioris ævi?* Mox tamen ex ore *Guilandini* promit, quæ dictas rationes moderantur.

PRO-

PROLUSIO
DE
SICCIS ET SOBRIIS
PANEGYRI
V. MEDICINAE CANDIDATORUM
1764.
PRAEMISSA.

§. I.

Fore, ut ſtabili ſanitate & integris diu ad ſolitarum functionum exercitium viribus frui liceat, ſpes eſt haud temere aliis injicienda, quam ſiccis & ſobriis. Conjungo cum ſobrietate ſiccitatem, quæ etſi alterius interdum originis eſt, & ut paulo poſt attingam, nec tunc quidem valetudini facile adverſa, nunquam tamen certius eam fulcit, quam ſub arctiſſimo cum ſobrietate connubio. Hæc vero circa res omnes, quæ valetudinis fidem tuentur, ſolertiſſimam in uſu temperantiam vel involvit vel certe comitem deſiderat; ſpeciatim juſtam, quæ reparandis attriti ſub vitali motu corporis diſpendiis exacte reſpondet, ingerendorum menſuram reſpicit, & propriiſſime potulentorum, quæ vinoſa & ſpirituoſa vim inebriandi habent. Nam ut ſocordibus cordatos, ita ebriis vinoque vel alio fermentato liquido madentibus ſobrios *a*), qui ſine illo madore ſunt, adeoque ſiccos, opponimus. Aqua

a) *Bria* gr. βρία, vox obſoleta, quæ apud *Arnobium* occurrit, *Chariſio* hebria, quaſi ἡ βρία, dicta notat vas vel poculum vinarium, & tam *ebriis*,

Aqua vero, quam Natura omni animantium generi in potum ultro obtulit, nunquam homines, etiam ſub largiori uſu, læſæ ſobrietatis, imo nec ſiccitatis, reos reddit. Præterea enim, quod aqua diu in corpore non ſubſiſtit, ſed ubi idonæum alimento vehiculum præbuit, & acria ab interno attritu nata eluit, patentibus ubique viis facile ſecedit, tum quoque metuendum non eſt, cum nihil in ſe illecebrarum habeat exſtincta ſiti, ne ad exceſſum aliquem in potu ſtimulet. Ille nimirum Naturæ ad neceſſaria ducentis blandiſſimus inſtinctus eſt, qui ad ea, quæ reficiendi corporis uſibus vere ſerviunt, ſuaviter invitat, ſique iis conſultum eſt, novo inſtinctu adeo non interpellat, ut tædium potius circa ſuperflua pariat. Quod etiam de cibo, inprimis ſimpliciori, manifeſtum eſt, in quo poſt famem, quæ ad capiendum illum grate impulit, ſedatam nemo ſine faſtidio pergit ulterius, imo hoſpiti intempeſtive liberali & ad plus capiendum cohortanti non aliter quam ad offenſam aliquam ſuccenſet. In veræ autem indigentiæ limite, quid famelicis pane, quid ſitibundis aqua dulcius eſt? Haud dubito, jucundiſſimum illum in ſanis ſenſum, quem Natura non niſi neceſſariis ſociat, regnare magis in tuguriolis pauperum, quam aulis principum inter inſtructiſſimas menſarum lautitias, ubi onuſto ſub heſternis cruditatibus ventriculo induciæ nullæ, quibus perditas recipere vires & ad ſimilem vigentis adpetitus gradum erigi rurſus poſſit, indulgentur. Concinne Cyrus ab Aſtyage quæſitus, annon cœna illa, cui ſecum adſideret, elegantior eſſet & lautior, quam Perſarum, a quibus veniſſet, neutiquam! inquit, nos enim citra tot ambages ſimpliciori & rectiori via ad eundem placandæ famis ſcopum ferimur, at tibi quantum negotii incumbit, ſi ad omnes illas patellas manum extendere & epulas has omnigenas deguſtare neceſſe ſit *b*). Ita nimirum

ebriis, quibus frequens cum eo commercium eſt quam *ſobriis*, qui ſine illo commercio ſunt, vel parciſſimo utuntur, nomen conciliavit. Fortaſſis linguæ vernaculæ vocabula, *brauen*, *bier* & alia derivare ab illa *βρία* licet, quæ vel nomina ſunt fermentati potus, vel vaſis continentis, vel artis præparantis.

b) *Xenoph. de inſtitut. Cyri L. I. edit. Hutchinſ. p.* 21. 22. confer. *ib. L. V.*

mirum ſe res habet: ars, quæ blandimentis gulæ ſuperare Naturæ inſtinctum nititur, inter aromatum condimenta & culinarum coquorumque infauſta molimina corrumpit dapes, ut nutriant minus, & peregrinis, quos invehunt, ſtimulis foveant renoventque adpetitum ſine ſociis coctionum jam torpentium viribus. Non ſecus ars improbe culta leniſſimam farinarum indolem & blandos uvarum aliorumque fructuum ſuccos fermentando docuit in ſpeciem potus corrumpere, qui ſitim non ſedat, ſed inter novos ſtimulos ſuſtentat, & quo plus indultum eſt, eo acrius accendit, potatorum exemplo tanto mox magis ſitientium, & ad pocula, quæ ebrietas & ſomnus ad tempus ex tremula manu excutiunt, victa crapula cito redeuntium. Ita famem & ſitim, quam Natura ad ſolam corporis indigentiam ſub integra coctionum fide adſtrinxerat, ars ad ſupervacua & noxia, eo tempore, quo coctionum vires ſuccumbunt, convertit. Graviter ea omnia coarguit *Socrates c)*, quæ ab ingenuo gulæ ultra eſuriem compeſcen-

L. V. 286. ubi *Cyrus* a *Perſis* & *Hyrcanis* poſtulat, ut tantum panes mittant, ſibi enim ſuisque obſonii & potus ſatis eſſe. Intellexit vero per obſonium famem, per potum aquas præterfluentis amnis. Pulchre *Lucanus* in *Pharſal. v.* 376. ad 381.

Ambitioſa fames & lautæ gloria menſæ
Diſcite, quam parvo liceat producere vitam.
— — ſatis eſt fluviusque Ceresque.

c) *Xenoph. memorabil. L. I.* ubi multa de *Socratis* mirabili temperantia & ejus præceptis occurrunt. *Op. p. m.* 562. 16. continentiſſimus ventris dicitur, γαστρὸς πάντων ἀνθρώπων ἐγκρατέστατος, & p. 571. 36. tam frugalis, ut nihil non ei alendo ſufficeret. Cavere jubet, quod difficile eſt ad convivia invitatis, ubi ad Naturæ ſenſum non attenditur, ne quis edat non eſuriens, bibat non ſitiens, quod & ventribus & capitibus & ipſis animis exitio ſit. Ibidem *L. II. p.* 581. cum *Ariſtippo* diſputat, ſe ipſum referente εἰς τοὺς βουλομένους ἢ ῥᾷστά τε καὶ ἥδιστα βιοτεύειν, inter eos, quibus volupe eſt facillime ſuaviſſimeque vivere. P. 584. virtus ſiſtitur *Herculem* dehortata, ne viis ignaviæ ſe committat, cui ad ſe allicienti o miſera! inquit virtus, quæ prius repleris omnibus, quam adpetis, prius comedis, quam eſuris, prius bibis quam ſitis, & ut ſuaviter comedas, obſonatores excogitas, nec propter labores ſomnum

peſcendam & ſitim exſtinguendam reperta ſunt; & quæ non modo utramque non exſtinguunt, ſed acuunt, & fomitem hinc graviſſimorum morborum accendunt. Sine dubio inter cauſſas, cur tam longævi olim homines fuerint, poſtrema non eſt, ignoraſſe adhuc in prima morum ſimplicitate tot ſenſim ab ingenioſa gula invectas, oppreſſo Naturæ ſenſu, cibi & potus corruptelas.

§. II.

Siccitas in ſe ſpectata, quæ nunc cœli regionumque favori, nunc naturali corporis temperiei debetur, omnino in ſe habet, quod corpori & animo multum in actione vigoris promittit, quanquam ejus plus longe ſub ſobrietatis tutela accedit. *Heracliti*, priſci philoſophi, ſententiam, aridum animum ſapientiſſimum eſſe *d*), in ſe fortaſſis obſcuriorem, illuſtrat & confirmat *Galeni* haud diſſimile judicium, extremam ſiccitatem parere extremam ſagacitatem *e*). Merito autem ſiccitatem illam intelligimus, quæ ſub limite adhuc ſanitatis eſt. Nam quæ ad melancholicos morbos, ubi ſiccior humorum fons & in ſtaſin & acrimoniam ab atra bile, quam veteres toties coarguunt, pronior eſt, ſenſim deflectit, poteſt quidem animum in ipſa acie, qua paulo ante gaviſus eſt, ſenſim obtundere, ut tamen intermixtum ſit illi etiam caligini, illis erroribus, multum adhuc lucis & ſapientiæ. Solent hujus generis ægroti in una vel altera re delirare, in reliquis magnam per-

num adpetis, ſed quia nihil tibi eſt, quod agas. Riſum mereri non fidem voluiſſe videtur ille apud *Fr. Bac. de Verulamio* ſenex centenario major, modo mentis adhuc compos fuerit, qui quæſitus, unde ad tantam ætatem veniſſet, edendo, inquit, antequam eſurirem, bibendo antequam ſitirem. *Op. p. m.* 520. p. 46.

d) Ἀυγὴ ξηρὴ ψυχὴ σοφωτάτη. Ita apud *Galenum Op. Edit. Baſil. græc. T. I. p.* 348. 48 paulo obſcurius loquitur homo, quem *Cicero* σκοτεινὸν adpellat. At mox ibidem clarius ſiccitatem ſtatuit cauſſam ingenii, τὴν ξηρότητα συνέσεως αἰτίαν.

e) In eodem libro, *quod animi mores corporis temperaturam ſequantur. Op. Edit. Juntin. Cl. I. p.* 318. *D.*

perſpicaciæ laudem tueri. Hoc eſt illud ἐπιμαίνεσθαι vel ἐπισημαίνεσθαι inſanire, quale docto *Romæ* Grammatico *Demetrio*, cui cognomen inſani fuit, ad propoſitam quæſtionem aſpere reſpondenti objecit, cum admixta tamen laude, *Phavorinus* apud *Gellium f*). Non tempeſtive, inquit, hominem acceſſimus! ſcitote tamen, ita pergit ad ſuos, temperiem iſtam, quæ melancholica eſt, non parvis & abjectis ingeniis accidere, ſed pathema heroicum eſſe. Sunt vero illæ ἐπισημασίαι, ut docte *Salmaſius g*) explicuit, velut febrium, ita hic furoris acceſſiones in melancholicis poſt dilucidum intervallum. *Maracus*, *Syracuſanus* poeta, etiam præſtantior habitus eſt, cum mente alienaretur *h*). Certe fuere ſemper, qui ſtatuerunt, tanto animam intelligentiorem effici, quanto temperamentum corporis ſit aridius *i*). Idque *Galenus* ex *Platone* in *Timæo* illuſtrat, qui ratus animam humido corpori infuſam obliviſci eorum, quæ antea novit, cenſuit, ubi fluctus illi ſenſim minuuntur, creſcente ariditate ad majorem intelligentiam redire *k*). Fuſius *Ariſtoteles l*) melancholicæ corporis quippe ſiccioris temperiem non niſi excellentiſſimis ingeniis tribuit, ut *Empedocli*, *Socrati*, *Platoni* & inter heroes *Herculi*. Movet

f) *Noct. Attic. L.* 13. *c.* 7. *Ed. Gronov. p.* 816. *ad* 818. Ubi cum quæſiiſſet *Phavorinus*, an δημηγορίας apte ſatis *conciones* latine vertiſſet, moroſe *Demetrius* quæſtionem ad res tetras & inanes & frivolas referens, utinam, inquit, muti omnes eſſemus, minus improbitas inſtrumenti haberet. Non tam inſaniæ hæc verba ſunt, quam auſteræ ſapientiæ, in quibus ipſe mox *Phavorinus* pathema heroicum agnovit. Forte non nimis aberrant, qui illud *Plinii in Hiſt. Nat. L. VII. c.* 50. *morbum eſſe per ſapientiam* mori, ad funeſta ſenſim invaleſcentis melancholiæ deliria referunt, quorum caligo per intervalla haud tenues ſapientiæ radios admittit, idque extremo morbi ſtadio.

g) *In exercit. Plin. ad Solin. c.* 37. *p. m.* 516. *D.*

h) Ὅτ᾽ ἐκστάη. *Ariſtot. probl. S. XXX. Op. Edit. du Val. T. IV. p.* 230. *B.*

i) Sunt verba apud *Galenum l.* 1. *C. V. Op. Cl. I. p.* 318. *H.*

k) *Ib. L. IV. p.* 318. *C. D.*

l) *Ariſtotel. probl. S. XXX. Op. T. IV. p.* 227. *C. & in fine p.* 732. *C.*

Movet quæſtionem, cur omnes fuiſſe melancholicos videamus; qui ingenio claruerunt, vel in ſtudiis philoſophiæ, vel in republica adminiſtranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis? Concludit in fine, non per morbum ſed Naturam eſſe περιττὺς, id eſt, qui præſtant aliis.

§. III.

Verum cum ambigui ſenſus videri poſſit vox ſiccitatis, fas eſt ſubmonere, ad quam maxime ejus indolem, & quæ potiora ſalubritatis momenta reſpiciamus. Haud temere negare auſim, ut prima fronte adparet, in magno periculo verſari, quibus in perpetua illa corporis rigandi neceſſitate, inquilini fontes areſcunt nimis, nec omnino principem vitæ & ſanitatis tutelam in perenni & æquabili humorum per vaſa circuitu conſiſtere diffiteor. At præcipue hic attentio noſtra blandum illud, lentum & gelatinoſum ſpectat, quod proprie ex humoribus noſtris vere nutrit, & poſt difflatum tenue detritis & conſtanter reficiendis corporis partibus forma ſolida accreſcit. Hujus enim in ſiccitatem, quam ratio nutritionis exigit, paulo pronior indoles adeo non repugnat Naturæ inſtituto, ut potius dilutum nimis & imbelle circa loca, quæ nutrienda ſunt, languidius figatur & laxius ſolideſcat. Fuerunt quidem omni ævo, qui tenuem ſanguinem, ſimilesque, qui inde ſeparantur, fluidorum rivos collaudarunt, tanquam interiora omnia, ad quæ aditus patet, expeditius alluentes, adque corruptela & obſtructione, plerisque morbis tam familiari, magis immunes; vereor autem, ne nota illa perfectionis, quam jactant de tali ſanguine, nota potius ſit tabis & conſumtionis. Alterutrum enim fieri oportet, vel fluida noſtra ex arteriis majoribus, quibus cordi vicinus plus eſt virium moventium, proniori alveo in decreſcentium vaſorum ſeries derivata, jam hærere extra illas motus ſuppetias *m*), & in ſtagnantem facile colluviem, cui certa cor-

m) Proprie in vaſis majoribus ſolis, quæ hinc juſta ſemper plenitudine egent, motus & calor eſt, & per ſeriem decreſcentium vaſorum ad minima diſtribuitur. Pars craſiſſima rubra ſanguinis, inquit vir. illuſtr. *Ger.*

corruptela imminet, colligi; vel ſi dictis arteriis, quibus magna contentorum tam tenuium parte exinanitis vis ad impulſum per minora elangueſcit, ſit adhuc aliquis vigor, non ſtagnare quidem fluida, at apertis undique in illa tenuitate viis diſpergi extra corpus, & hoc ſub continuis diſpendiis, quæ reparari in iſto motuum & coctionum languore nequeunt, præmature exhauriri. Inde duplex illa cachexia oritur, depravatæ nutritionis comes, altera ſub tumeſcente, altera ſub exareſcente corporis habitu. Ludunt igitur ingenio & futili ſpeculatione præcones tenuium humorum, facile erroris ex ipſa naturali craſi ſanguinis ſui convincendi, cum certe extra vaſa effuſus ſaniſſimorum ſanguis in placentam totus celeriter coeat, forma tantum non ſicca, ex qua videlicet fas erat ipſam corporis ſolidam ſubſtantiam jugiter reparari. Quemadmodum ad legem vitalis oeconomiæ in primo ſtadio internarum coctionum chylus in ſanguinem pedetentim convertitur per opus Naturæ denſantis, cum chylum a lacte, lac a ſero, ſerum a ſanguine conſtet non niſi gradu denſitatis differre; ita in altero ſtadio ſecretionum a ſanguine ad ultima, quæ inde ſecedunt, liquida, opus quidem elucet Naturæ attenuantis, in quo tamen ſtabilis valetudinis ratio non præceps partium deliquium, ſed juſtam ſolutionis moram exigit, ut majora vaſa inter commeatum illum, quem minoribus impertiunt, non ipſa nimis exinaniantur, ſed repleta ſatisque diſtenta maneant, & hinc ad motum minoribus vaſis majori vigore conciliandum idonea. Ceterum reſpondent ſecreta ſuis fontibus, ut quo denſiores undas hi vehunt, eo etiam plus denſitatis ſecreta habeant, adeoque plus materiæ & virium, ſub minori licet volumine. Ex dictis luculentum fit, certiorem humidis laxis & debilibus medelam *n*) aliunde

Ger. van Swieten in arteriis & venis maximis momentum motus, ad vitam & ſanitatem requiſiti, a binis cauſſis motricibus, corde & arteriis, recipit & reliquis communicat. vid. *Comment. T. I. p.* 53. *ad Boerh. aph.* 13.

n) Nutrientiſſimæ gelatinæ, meraciſſima juſcula gallinarum &c. non alunt debilem, ſed in eo haud ſubacta ex ſua indole glutineſcunt. Nec proſunt tenuia juſcula, quia fibras jam laxas plus relaxant, ſed victus ſiccior, caro

unde non eſſe, quam ex ſicciori cibo, parciori potu & exercitata vita: his enim præſidiis nimium humidum arceri, quod tonum ſolidorum relaxat & vires labefactat, magis autem vigere actionem vaſorum & viſcerum. Inter hæc ſtat ſententia, humidum noſtrum, cui in ſolidum tranſitus eſt, & cujus ope tam exilis circa ortum corporis noſtri molecula in tantam molem ſolidam ſurrexit, ſub perpetuo indies attritu iisdem ſuppetiis ſuſtentandam, quo in ſe ſiccius eſt, eo propius a meta ſua abeſſe, & quo plus denſitatis habet ſub juſto tamen gradu, neceſſarium liquidi vehiculum minime excludente, eo plus roboris ad functionum miniſteria conferre. *Herm. Bœrhaavii* o) canon eſt, in robuſtiſſimis ſanguinem maxime denſum lentum blandumque, in tenerrimis diſſolutum tenuem acrem eſſe. Debetur ibi denſitas virtuti magis compingenti vaſorum & viſcerum, a qua liber ſanguis, ſi recens e vena mittitur, protinus evadit ſub majori mole levior. Lentior autem idem ſanguis eſt & blandior, quia vegeta in forti corpore vis, quidquid in acrimoniam & corruptelam ſub attritu degenerat, ſine mora expellit, hæc vero major in laxis & debilibus vim coctionum minuit, & ſtagnantes humores, quibus proprium eſt acreſcere & corrumpi, accumulat, unde tot eroſiones vaſorum in ſcorbuticis, acres illi & tenues catarrhi, hæmoptoe, phthiſis & alia ejusdem originis mala magno numero ſequuntur. Neque vero eſt, cur optabilis illa in ſuo limite humorum ſpiſſitudo, magnarum obſtructionum, quas vulgus medicorum arguit, rea videatur. Etſi enim omnis ſanorum ſanguis ultro in concretionem tendit, maxime in robuſtis *p)*, ſatis tamen eſt in vitali corpore adverſus metum illum præſidii, cum omnis fluidi ex corde

caro aſſa, panis bis coctus cum potu perexiguo, at meraciori, inter gradus exercitiorum non niſi lente & provide auctos.

o) *Aph.* 48.

p) Qualis inde ſanguis & ſiccitate & denſitate ater heroibus a poetis tribuitur. Ita *Neſtor* apud *Homerum Iliad. VII. v.* 329. atrum vocat heroum ſanguinem, *ἆιμα κελαινὸν.* Ibidem *v.* 262. *Hectori* ab *Ajace* vulnerato *μέλαν ἆιμα* effluxiſſe legimus.

corde per vaſa pulſi molecula conſtanter mutet directionem ſui motus, nunquam eadem puncta contactuum, quæ concretioni favere poſſint, per duo momenta ſubſiſtant. Sanguis in latera vaſorum, quippe in progreſſu anguſtiora, ſemper alia lege influit reſilitque, & aliis perpetuo partibus occurrit, alia directione motis. Non proprie motus, ſive languidior ſive intenſior, ſed reciprocus concretionem impedit, natamque ſub alterno attritu tum vaſis tum fluidi nitentis ac renitentis ſolvit, ſemperque ſub alio partium ſitu fluxilitatem per minima tuetur.

§. IV.

Hoc igitur ſiccioris corporis beneficium, quod ſanæ mentis cum ſano corpore commercium vegetius ſuſtentat, nativæ temperiei ſolidorum fluidorumque, vel etiam aeri, certarum regionum incolis purius & ſalubrius adſpiranti, haud contemnendas quidem ſui vindicias, at potiores longe & in majori pretio habendas ſobrietati debet, quæ aditum ad ſe & præcepta ſua nemini negat, quæque ad Naturæ, quippe paucis contentæ, veros nec ab arte luxuque corruptos ſtimulos auſcultans cognitam ex iis indigentiæ legem, quantum fieri inter vitæ humanæ errores poteſt, violare omni ſollicitudine cavet. Neque vero ſobrietatem adpello, quæ genium defraudat nimis, & innocuis deſideriis moroſius obluctatur. Sane nulla cum ſordibus affinitas eſt ſobrietati, non dedecet illam honeſta indulgentia, a curis aliquando ad hilaritatem revocans, non frenum injicit naturali edendi bibendique voluptati, ſed juſto eam obſequio, ſub fame ſitique monitore, vegetat defecatque; neque vero permittit, laſcivire palatum, & perpetua quadam ſatietate nos laborare, quæ & mentem oblimat, & corpus dejectis coctionum viribus cruda ſaburra onerat. Jucundum eſt animadvertere, in ejusmodi corporibus, quæ ſub ſobrietatis legibus vivunt, nihil abundare, quod moleſtum & indecorum exitum per novas ſæpe vias excretorias, cum conſuetæ & naturales non ſufficiant, molitur. Omnes, quibus & ſanitas & munditia curæ eſt, veterum *Perſarum* moveri exemplo

 poſ-

poſſunt, quibus *q*), cum pro cibo panis, pro obſonio naſturtium *r*), pro potu aqua eſſet, cothone ſeu fictili poculo e vicino fluvio hauſta, non robur tantum valetudinis ſed & ſingularis quidam decor fuit. Iis enim, ut *Xenophon* teſtatur *s*), turpe habitum eſt, exſpuere, nares emungere, flatu tentari. Id fieri non potuiſſe, bene judicat idem auctor, niſi ope modici victus & exercitatæ vitæ ſuperflua conſumentis. Non ſoli hac ratione morbi, quorum ab ingluvie origo eſt, arcentur, ſed & illi, qui maligno & virulento contagio debentur: hoc enim munda corpora minus ingreſſu ſuo contaminat, vel facile rurſus, ubi fomite deſtituitur, exhalat. *Socratem*, Diis proximos arbitratum, qui minimis egerent, id legimus temperantiæ ſuæ debuiſſe, ut, cum peſtis *Athenas* toties vaſtaret, ſolus non ægrotaret *t*). Tetri halitus, a quibus putres morbi in humidis & impuris corporibus naſcuntur, in puro, addo etiam ſicciori corpore, fotum & alimentum non reperiunt: tanta eſt adverſus putredinem, corpori animali inprimis metuendam, in ſiccitate medela. Cum *Amidam* urbem Rex *Perſarum* *Sapor* expugnaſſet, requiſitis ad ſepulturam tum *Romanorum* tum *Perſarum* corporibus, illa unum quatriduum, ut ægre dignoſcerentur, corrupit, hæc velut ſiccata ligna ſunt reperta *u*). At nihil

q) *Xenoph. de inſtit. Cyri l. c. L. I. p.* 11.

r) *κάρδαμον* vocat *Xenophon* herbam *Perſis* familiarem, cui & *Suidas T. II. p. m.* 242. vim ſiccandi tribuit. Nam *κάρδαμα* deſcribit ut ἐπιχετικὰ ὕρων καὶ πτύσματος, quibus uſos *Perſas* ait, ut caverent πολλὰ πτεύειν καὶ ὑρεῖν καὶ ἀπομύττεσθαι. Parum hic rem attigit *Fr. Baco de Verulamio*, qui in *Hiſt. Nat. C. IV.* 244. *Op. p. m.* 829. illud *Perſarum* cardamum, quod cardamomum vocat, non ad ſiccantia, quæ ſtaturam retardant, ſed ea potius refert, quæ ad incrementum corporis faciunt.

s) *l. c. p.* 18. turpe iis eſſe ſcribit τὸ ἀποπτύειν καὶ ἀπομύττεσθαι καὶ τὸ φύσης μεστὺς φαίνεσθαι, imo & turpe habitum, ſi quis ire quoquam conſpiceretur vel meiendi vel alius ejusmodi rei cauſa. Addit habemus hæc, quæ de omnibus *Perſis* dicamus.

t) Μόνος ὐκ ἐνόσησε. *Diog. Laert. L. II. Edit. Meib. p.* 95. 25.

u) *Ammianus Marcellinus rer. geſtar. L. XIX. C. 9. circa finem p. m.* 242. noſtrorum, inquit, cadavera mos fatiſcunt & defluunt, adeo ut nul-

nihil eſt quod animo ſe penitius infigit, & ad cultum ſobrietatis juſtius imbellere poteſt, quam tot exempla hominum, *Ludovico Cornaro* ſimilium *x*), quorum imbecilla a teneris valetudo per omne ætatis ſtadium, quo ad ſummum virium vigorem enitimur, attrita, & indies magis concuſſa, truculentisque omnis generis morbis exhauſta, jamque extra ſpem auxilii medici poſita, ſimulac ejuratis mollioris vitæ blanditiis rigidiſſima ſectari cœpit ſobrietatis præcepta, mox admirabilis & divino velut ſuffulta robore, omnibusque animi & corporis miniſteriis plena & durabili fide ſufficiens, extremos ſenectutis terminos attigit.

§. V.

Neque tamen humores noſtros ſub omni illo niſu concreſcendi, maxima ſui parte ex aqua conſtare inficior. At hanc ipſam conjungendis terreis, tanquam ſolidioribus partibus, inſtar glutinis ſervire, & adhæreſcendo ſenſim concreſcere, patet ex gyſi polline, qui difflari tam facilis ſola adſperſa aqua in lapideam duritiem tranſit, vel exemplo oſſium, quæ in aerem per annos projecta & omni ad ſenſum humido exhauſta multum adhuc, ſi vis

nullius mortui facies poſt quatriduum agnoſcatur, interfectorum vero *Perſarum* inareſcunt in modum ſtipitum corpora, ut nec liquentibus membris nec ſanie perfuſa madeſcant. Id vitæ parciori & caloribus terræ tribuit.

x) Mirabile ſemper manet, & quod allicere probos omnes poſſit, ſobrietatis exemplum *L. Cornari*, nobilis Veneti, qui ſe ab infeſto & horrendo ægritudinum agmine, quod ipſum per annos quadraginta & ſine ſpe medelæ obſederat, intra unicum annum, quo ſe legibus ſobrietatis penitius adſtrinxit, prorſus liberum vidit, continua deinde & proſperrima valetudine ſub iisdem legibus ad extremum ſenium uſus. Teſtatur in libello, quem ſe ſobriæ vitæ commodis ſenex 83 annorum ſcripſit, ſe nolle, ſi optio detur, præſentem ſtatum cum juvenili, etiam robuſto & optimo, permutare; plenam ſibi & ſine omnibus turbis animi pacem eſſe, ſummum ſenſuum vigorem & corpus tam agile, ut adhuc ex plano equum facile conſcendere & ſublimes pedibus colles ſubire poſſit; cibum ſimplicem plus ſibi jam ſapere quam omnes olim ciborum delicias; placidum ſomnum eſſe, nunc colloquendo nunc legendo nunc ſcribendo ſuaviter ſe exerceri.

vis ignis urget, ex ſinu ſuo aquoſi laticis præbent. Alternæ illæ ſolutionis & cohæſionis leges forma nunc fluida nunc ſolida mirifice paſſim ſub vario intervallo in re una ſe oculis noſtris ſubjiciunt. Non igitur adverſus eos diſputo, qui triplo circiter plus humidi quam ſolidi in ſano corpore ſtatuunt *y*), naſci vero exinde legem, ut potulenta triplo circiter, vel ut plerumque fit, plus ſuperent eſculenta, in quibus jam ipſis multum ſucculenti & aquoſi hæret, concluſio eſt, quæ ſiccitatis amantiores non convincit. Id agnoſco, potum nimis exiguum poſſe omnino, maxime in calidis & ſub externa ſenſuum fide ſiccioribus, parere aliquando humores non meabiles ſatis, nec, quia eluuntur minus, acrimoniæ expertes, unde in circuitu humorum per minima, ſecretionum maxime & excretionum negotio remoræ aliquid & impedimenti metuendum ſit. Ex altera vero parte etiam magis luculentum eſt, exceſſum potulenti in ventriculo primum fibras flaccidas, menſtruum iners, languentes in coctionis opere vires, mox ipſis viſceribus inertiam & flacciditatem parere, ac robur internarum coctionum labefactare, corpusque ad cachexiam diſponere & hydropem. Quodſi ex fermentatis ille potus ſit, certior etiam noxa imminet, quæ in cerebri vires inebriando redundat, nervorumque tremores & imbecillitates, ipſique menti, cujus tam eximii momenti functiones ſunt, tenebras adfundit. Dum madet mens, ut cum *Lucretio z*) dicam, immenſa caligo omnem ſapientiæ

y) *Frid. Hoffmannus in med. ſyſtem. T. II. P. III. C.* 4. §. 14. in ſcholio notat, bonum ſanguinem & ſanitati commodum tres minimum partes liquidi aquei & unam ſolidi continere debere, ut bene permeet & ſordes evehat. Hinc potum liberaliorem ſuadet, & cum *Celſo L. I. C. II. p. m.* 23. tutiorem intemperantiam in potione ſtatuit quam eſca. At quæ tuta intemperantia? Ad verba *Hippocratis* attendere convenit, quibus ille homini, qui parum edit bibitque, *ὀλίγα ἐσθίει καὶ πίνει*, ominatur immunitatem a morbis, *οὐδεμίαν νοῦσον. de morb. IV.* 10. *Op. Edit. Linden. T. II. p.* 128. 19.

z) *L. III. v.* 477—479.

Conſequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardeſcit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, ſingultus, jurgia gliſcunt.

Cali

tiæ ſedem mergit. Error faſcinat multos, onuſtum cibo ventriculum in opere coctionis vino adjuvari, cum plus inde lædatur. Eſuriunt hebetius & coquunt lentius, qui vino utuntur, at magis eſuriunt & coquunt citius, qui aquæ pro potu adſueſcunt *a*), unde & *Hippocrati* aqua vorax ὕδωρ βορόν dicitur *b*) quia, interprete ipſo *Galeno c*), edaces reddit & cibi adpentiores. Nempe aqua præ reliquo potu omnibus ingeſtis convenit, vinum indurat multa; aqua eluit promte acria & ſalina, vinum magis exaſperat. Non ſpiritu illo, quem vinum promittit, fugaci opus eſt, parva carnis bene digeſtæ portio plus alit & plus ſpirituum gignit, quam

Candide milites ob jactata in *Pyrrhum* regem ſuum convitia quæſiti, an id feciſſent? fecimus, inquiunt, o Rex! dicturi plura, ſi plus nobis vini fuiſſet. v. *Plutarch. apopht. Op. T. II. p.* 184. *D.* Vinum uti nec primo auctori ſuo pepercit, ita novis quotidie experimentis confirmat, quam facile rationi omne frenum excutiat, quo cum plus feminæ egeant in majori impotentia animi, dedecus olim *Romæ* non inferius habitum eſt, vinum illas bibere quam violare pudicitiam. Hæc duo *Romulus* damnavit, ut maxima delictorum muliebrium ὡς ἁμαρτημάτων γυναικείων ἔχατα, ratus, ſtuprum deſperatæ audaciæ principium eſſe, temulentiam ſtupri. v. *Dionyſ. Halicarn. Ant. Rom. L. II. p. m.* 96. conf. *Aul. Gellii L. X. C.* 23. *p. m.* 505. *Valer. Max. L. II. C.* 11. *p. m.* 123. *Fridericus III.* Imperator Auguſtæ conjugi *Leonoræ*, quæ in paterna domo vinum non biberat, & cui, ut biberet, ſi mater fieri vellet, in Germania, regione frigidiori, medici ſuaſerant, nuntiari juſſit, ſe ſterilem uxorem malle quam vinoſam. v. *Aen. Sylv. de dict. & fact. Alphonſ. L. II. C.* 7. *Op. p. m.* 479.

a) *G. Cheynæus de ſanit. tuend. C. II.* §. 22. *p.* 74. vinum ait non minori labore digeri, quam cibos firmos, tantum abeſſe, ut digeſtioni ſuppetias ferat. Et quid mirum? cum alimenta noſtra nil ſint quam animalium aut vegetabilium fibrillæ, quæ vino perfuſæ magis indurantur. Idem *Cheynæus l. c.* §. 19. *p.* 67. nulla re ait manifeſtius ſentiri noxam vini immodice hauſti, quam proſtrato adpetitu & digeſtionis imbecillitate, cum vegetior ſit adpetitus validiorque digeſtio vina non bibentium.

b) *De morb. vulg. L. VI. S.* 9. *Op. T. I, p.* 809. 39.

c) *In comment. ad eundem Hipp. locum. Op. Cl. III. p.* 185.

quam illius decuplum *d*). Sane omnis, ſi aquam excipis, refrenanda eſt potulentorum copia, ut & mens ſibi conſtet, & corpori ſuus vigor ſit. Scite *Leotychidas*, quæſitus, cur tam parco potu *Spartani* uterentur, ne, inquit, alii de nobis conſultent, ſed nos de aliis *e*). Juſtam menſuram nihil definit ſincerius, quam naturalis ſitis, cui ſi aquam adfers, reſtinguitur facile & certa fide, ſi vinum, vix diu remittit, quin recrudeſcat ob acres ſtimulos relictos. Plus ſitiunt & bibere ſalva ſobrietate poſſunt, qui in vita exercitata, quam qui in quieta verſantur, plus qui aſſa edunt, quam qui elixa, plus qui carnes paneſque, quam qui olera & fructus, vel acidula quævis aut etiam pinguia ingerunt. Sane obeſi & ad motum ignavi multum abſtinere debent a potu cujuscunque generis, maxime valentioris. Nihil, inquit *G. Cheynæus f*) vitæ eorum confirmandæ & protrahendæ efficacius eſt, quam pervicax ab omni potu abſtinentia. Sunt illi in hydropem & lethargum per ſe proniores, ſed nunquam magis in hæc mala quam auctiori potu præcipites, neque ſuppetit, quod illis morbis ſub majori ſpe medetur, quam reſtrictior potus. Quamvis vero ex his & aliis cauſſis inconſtans ſit potulentorum menſura, liquet tamen ex ſuperius traditis, haud temere augendam eſſe. Plerumque non ſuadent improbe, qui ad ſeſquilibram cibi, libram unam vini, duplo aquæ diluti, vel libras duas tenuis & defecatæ cere-

d) Idem valet de fortiori cereviſia, qualis in *Anglia Notinghamenſis* & *Eboracenſis* eſt, qualem viſco non minus lentam *G. Cheynæus l. c.* §. 26. *p.* 86. ab infirmiori ventriculo haud facilius concoqui judicat, quam porcinæ carnis jus piſis incoctum. Gravius in ſpirituoſos liquores & vim cauſticam eorum invehitur, & *p.* 68. negat, ferrum candens aut lunare cauſticum certius (quanquam citius) fibras adurere & corrumpere. Magnum inter hæc infamiæ locum *p.* 81. tribuit potioni vicariæ vini, quæ ex ſpiritu vini cum agreſtium limoniorum & aurantiorum ſucco, aqua & ſaccharo, male coaleſcit, *Anglis* ſub nomine *Punch* tam familiaris. Indomabiles vocat ardentium ſpirituum ignes. Quibus ſanitas & vita curæ eſt ad prima horreant tam venenati calicis deſideria.

e) *Plutarch. apophthegm. Laconic. Op. T. II. p. m.* 224. *C.*

f) *l. c. C. VII.* §. 11. *p.* 223.

cereviſiæ commendant. *Cornarum* legimus hanc eſculenti & potulenti rationem iniiſſe *g*), ut illius unciæ duodecim hujus quatuordecim eſſent; at quam mirifica fide ſtetit optimi ſenis ſub his legibus valetudo! *Leonh. Leſſius h*), qui verſo latine libello *Cornari* ſuum hygiaſticon præmiſit, ſuccinctas conſervandæ valetudinis regulas complexus in quarta paulo debilioribus vel ſeneſcentibus uncias cibi duodecim vel quatuordecim, & tantundem vel plus paulo potus præſcribit, idque intelligendum de iis imprimis eſt, qui corpus parum exercent, ſtudiis & mentis operibus addicti. Hanc *Leſſii* ſententiam nonnihil reſtringit *M. I. Mackenſie i*), & in caſu tantum non omni plus bibendum, quam edendum eſſe docet. Suſpectus noſtro judicio omnis potus eſt, qui gratiam ab arte habet, ne nimis adpetatur: in ſolam aquam hæc ſuſpicio non cadit, omnibus utique potus officiis præſtandis unice idoneam *k*). Fecit, quæ per ſex annos apud nos deſæviit belli tempeſtas, ut cum cereviſia vel nulla ſuppeteret vel deterioris notæ, ipſe

g) *In libello de vitæ ſobriæ commodis p.* 106. Cum rogatu amicorum uncias duas & in cibo & potu adderet, ſenſit ex læto & alacri ſe melancholicum fieri, ſomno privari, die duodecimo dolorem lateris, mox febrem 35 dierum ſuperveniſſe. Sola ipſum reſtituit prior vivendi regula, etſi jam eſſet annorum 78, & corpus extrema macie confectum.

h) *Hygiaſtic. p.* 33. confirmat regulam exemplo ſanctorum patrum in eremo, ad illam menſuram pane veſci & aquam bibere ſolitorum, & diutiſſime & ſaniſſime viventium. Confer, quæ hic *Cheynæus ex Caſſiano habet l. c.* §. 11. *p.* 51.

i) *In hiſt. ſanit. P. I. C.* 14. *p. m.* 253. verſ. gallic. ſub nota ad regulam II. quæ tamen in *Leſſio* quarta eſt.

k) Verba ſunt laudati *Cheynæi l. c. p.* 64. Addit ſe magna cum animi voluptate obſervaſſe, ſolam aquam bibentes, quanquam carnium eſui liberius paulo indulgerent, vegetos beneque valentes, alacres & ſine doloribus ad bonam ſenectutem perveniſſe. Refert quoque *p.* 75 ſe vidiſſe, hos, qui vino cibos diluerent, cum languidius eſurientes & ægre concoquentes vinum aqua tepente mutaſſent, mox vehementer eſuriviſſe & valide concoxiſſe, ac prius macilentos deinceps nitidulos evaſiſſe.

ipſe jam ſenex ad potum ſimplicis aquæ tranſirem, cujus in prandio æque quam cœna ultra uncias decem haud facile ſumſi, idque ſine connubio vini, quo extra officiorum vincula & externas decori leges vix utor. Probum ex eo tempore adpetitum cibi ſenſi, facilem coctionem, moleſtiarum a flatibus vel a decubitu catarrhalis materiæ, quæ ſenes toties infeſtat, fere nihil. Nec ſitis me comedentem monet niſi in fine, & fere ratio magis quam ſitis impellit, ut tantillum aquæ ingeſtis adfundam. Semper autem opportunum eſſe arbitror, non ſitire inter initia adſumti cibi, qui in ſe ſucculentus, & cui in omni via, per quam deſcendit, aliquid novi roris ex interno elaboratiſſimorum humorum fonte adſpergitur, ſub prima coctione in ſanis ſat chyloſi ſucci ad ſua loca demandat, ſine novo potulentorum vehiculo, quo tunc opus, ubi jam craſſius in ventriculo remanens dilui magis deſiderat. Majorem rigandi corporis legem videri poteſt ſenilis ſiccitas *l*) imponere, præterea vero, quod potulentis illis, plurimorum forte judicio exiguis, uſum infuſi herbæ Thee ante & poſt meridiem conjungam, & in meo vivendi genere quietiori ac ſtudiis addicto parum diſſletur humidi, tum probe etiam memini, me in ſiccitatis, quæ, ſi nimia non eſt, a variis malis ab humorum colluvie ortis ſenes quoque tuetur, vindiciis verſari. Probare certe nunquam poſſum ex cauſſis jam ſuperius enarratis diffuſas illas potulentorum menſuras, & ludicrum mihi fuit a bono ſene audire, ſe cum *Ienæ* in litteras paulo intenſiori cura incubuiſſet, & vacillantis valetudinis querelam ad medicum ibidem non parvæ famæ detuliſſet, hunc in potulenti parciori uſu culpam quæſiviſſe, & duodecim indies cantharos, qui viginti libras excedunt, commendaſſe.

Optabile eſſet in academiis, in quibus res tanti momenti eſt, artes fideliter didiciſſe, ſiccitatis & ſobrietatis laudem, quam agile inge-

l) *Rich. Mead in monitis & præc. Medic. p. m.* 150. ſenes ait de cibo demere & potioni addere debere. Non neganda eſt illa ſiccitas ſenſim invaleſcens, at riganda modice, ut arida planta, cum qua *Socrates* comparavit ſenem, quem ros recreat, imber mergit.

ingenium & vegetum corpus comitatur, allicere multos & in ſui cultum pertrahere. Vereor autem, ne illæ leges, quibus obſequi tam utile eſt & honorificum, quia violatæ non protinus pœnas exigunt, tanquam ſeveræ nimis in multorum contemtu ſint. Certe medicorum filiis inprimis conveniret, ut ſobrietatis, velut theologorum, ut pietatis exemplo aliis mature prælucerent, cum præcepta artis, quæ nihil ex illo penu auxilii petunt, promiſſorum fidem raro impleant.

PROLUSIO
DE
COMMODIS SENECTUTIS, INPRIMIS SENILI SATIETATE VITAE.
PANEGYRI
VI. MEDICINÆ CANDIDATORUM
d. 17. MENS. SEPT. 1764.
PRAEMISSA.

Decretoriam horam, quæ corporis & animæ contubernium, tam mirabili lege ſtabilitum, ad tempus dirimit, tantum non omnes, qui in ambigui morbi confiniis verſantur, ſed ſui adhuc conſcii, & quam dulcis ſibi illa familiaritas fuerit, memores, ingenito naturæ ſenſu expaveſcunt. Tantum enim abeſt, ut auſteri quidam philoſophi carcerem animæ corpus noſtrum merito dixerint, ut prædicari ſatis divina manus non poſſit, tam gratum hoſpitium, cujus ipſa amorem infudit, animæ impertita, quæ hinc ex eo exire tantopere refugit, & inter varias conjecturas, ubi ſubſiſtere deinde poſſit? niſi novo lumine edocta titubat, hoc autem colluſtrata gaudet, nutu conditoris ſui tempus iterum inſtare, quo ex cineribus reſurgens corpus ſibi denuo ſocietur, ſub amabili æternoque functionum in laudem Numinis conſenſu. Loquor de anima, quæ cognitas ſalutis vias ingreſſa divinis promiſſis confidit, & præcipue de ſenili anima, quæ inter impendentes domi-

domicilii ſui ruinas ad alterum illud perenne magis purum & incorruptum tacitis votis adſpirat. Neque vero deſinit primum illud fragile & caducum, quo frui in hac vita licet, inter divina munera referre, ſine quo nec alterius particeps futura ſit, nec crebra illa occaſione frui poſſit, Deum, cujus hic jubar imbecilli viventium oculi non ferunt, ut ſenſim adſueſcant, e longinquo & in operibus ſuis cognoſcendi, et inter hæc, quæ nos quotidie ambiunt, divinæ manus prodigia, in amorem ejus cultumque exardeſcendi. Cui vero ſe liberalius offert tam multiplex occaſio quam ſeni, ad tam varias vitæ viciſſitudines, quas lex ſummæ ſapientiæ dirigit, per tantam annorum ſeriem attento, & hinc novis indies ſtimulis ad ſpem lætæ æternitatis, cujus pias inter meditationes creſcit aliturque deſiderium, avidius adſurgenti? *a*) Neceſſe eſt, in tam amplo ſpatio, ut labes illa, quæ nos peſſundat, plenius oculos noſtros cum terrore ſubeat, utque ſcopuli illi innoteſcant, ad quos multorum pedes tot vitæ caſibus non ſatis præmoniti allidunt, ut denique bene de multis & crebro mereri doctrina & exemplo, adeoque communi docentium diſcentiumque fructu liceat. Quam ſenum felicitatem ipſe vitæ & mortis arbiter Deus piis pollicitus: ſatiabo eos, inquit, longitudi-

a) improba eſt apud *Stobæum S.* 120. *p.* 607. *Ed. Geſn.* ſententia *Aeſchyli*, *ſatius eſſe non naſci quam natum eſſe,* aut *ibid. p.* 600. *Theognidis,* quam *Lactantius Sileno* tribuit, *præſtare non eſſe, proximo loco eſſe, cito mori.* Summum dedecus eſt, decus ortus noſtri, qui divinarum manuum opus ſumus, non agnoſcere. Nec non dementiæ reum eſt momentaneæ vitæ votum, quo locus ſe præparandi ad æterna in juſto honore non eſt; cum diu viventi in omni progreſſus ſui momento occurrant, quæ ad cognitionem & cultum Dei ducant, huic vero gradui cognitionis & cultus reſpondere gradum æternæ beatitudinis haud fruſtra perſuadeamur. Merito *Lactantius* inter ſpecimina falſæ ſapientiæ errorem illum refert, & *Ciceronem* redarguit, cujus ex *L. de conſol.* hæc verba citat: *non naſci longe optimum, nec in hos ſcopulos incidere; proximum autem, ſi natus ſis, quam primum, tanquam ex incendio, effugere violentiam fortunæ.* Bene reſpondet *Lactantius*, bonum & malum dici non poſſe, ubi ſenſus non ſit, falſo autem dici, omnem hanc vitam nil aliud eſſe quam ſcopulos & incendium. *v. de falſ. ſapient. C.* 19. *Op. p. m.* 269.

dine dierum. *b*) Ita promittit *Abrahamo* diſceſſum ex hac vita in bona canitie, *c*) & *Salomoni* jam impertitis honoribus & divitiis hoc ait ſe additurum, ſi in viis ejus ad patris exemplum ambulet, ut dies vitæ prolongentur. *d*) Quam prærogativam muneris præ aliis, quæ in his terris obveniunt, agnovit ipſe *Salomo*, hinc ſapientiæ ſiſtit imaginem, in cujus dextra eſt longitudo dierum, in ſiniſtra honor & divitiæ. *e*) Ex oppoſita ratione Deus pœnam brevis ævi comminatur improbis, & nimiæ indulgentiæ *Eli* in filios vindex *futurus non eſt*, inquit, *ſenex in domo tua. f*)

§. II.

Quod cum ita ſit, & hinc merito ad ſenectutem tanquam promiſſum divinitus beneficium, communia viventium vota ſub ipſo Naturæ, quæ perennioris vitæ deſiderium inſpirat, inſtinctu ferantur; mirari licet, nullo non ævo exſtitiſſe, qui ut retuſum vitæ fulgorem, ut omnium imbecillitatum fontem, ut onus *Aetnæ* ſcopulis gravius, ſenectutem conſiderarunt. Et quoties poetarum, quibus vix tribues, malle juvenes mori, procax ingenium in ſenes invalidos temere & ultra ſpeciem veri luſit? *g*) Nempe

b) *Pſalm. XCI. v.* 16. ארך ימים אשביעהו. Hæc promiſſa divina iis, quibus legum ſacrarum obſervantia curæ eſt, facta crebro occurrunt, ut *Deuteron. VI.* 2. *XXX.* 20.

c) *Geneſ. XV.* 15. בשיבה טובה quod ita evenit *Gen. XXV.* 8. ubi mortuus dicitur בשיבה טובה זקן ושבע in bona canitie ſenex & vitæ ſatur.

d) 1 *Reg. III. v.* 14.

e) *Proverb. III. v.* 16.

f) 1 *Sam. II. v.* 31. Addit v. 33. ימותו אנשים morientur viri facti.

g) Ita *Juvenalis Sat. X. v.* 229. 232. de ſene ingenioſius quam verius:

Pallida labra cibum capiunt digitis alienis,
Ipſe ad conſpectum cœnæ diducere rictum
Suetus hiat tantum ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater.

Spe-

pe duplex ſe offert ſenum facies, ſqualida in iis & luctuoſa, in quibus vitia juventutis effœtum corpus & in pœnam ſuam vivax reliquerunt, eo autem decentior in iis & venerabilior, in quibus diligens ſui per frugalitatem tutela & provida mentis cuſtodia per omnem vitæ gradum, ſanctius etiam in extremo, eluxit. In priori ſenum claſſe non tam ſenectus eſt, in quo occurrit, quod coarguere poſſis, quam morbus, cui, quod rarum eſt, contigit aliquando ſeneſcere. Is enim præcedenti ætati velut inter multiplices vitæ errores non modo ortum debuit ſed & fomentum, ita in eadem pleroſque vel non multo poſt perimit; rariſſime ſuperſunt eorum aliqui in ſera ſenectute, idque per pœnam potius fati quam indulgentiam, ut ad hanc vitæ miſere protractæ umbram trepident alii, & iſtorum ſapere periculo diſcant. In altera vero claſſe ingens ſenectutis decus agnoſco, quod allicere omnes poſſit, ut eo potiri cupiant, quippe cui morbi nomen, *h*) quod vulgo tribuunt, adeo non competit, ut nullam ætatem a morbis magis immunem eſſe, ſub graviſſimorum medicorum ſuffragio cenſeam. Vigor enim ille primæ ætatis, qui in præcipitem impetum bonis conſiliis obluctantem facile degenerat, & robur valetudinis, cui confidit nimis, per ea, quæ contra illud molitur, præmature diſſolvit, in ſene, quem illæ Sirenes voluptatum minus adeunt, nec rationis habenas tam facile excutiunt, ipſo remittit ſenectutis beneficio. Alio jam tempore de conſtantia ſenilis valetudinis egi, *i*) nixus inter alia effato *Hippocratis*, *k*) qui ſe-

Spectat huc tota *Corn. Galli elegia I.* quæ effuſiſſime ſenum calamitates recenſet. Quem horrorem ex ipſo adſpectu ominatur? *& pavor eſt, vidiſſe ſenem. ib.* 141.

h) *Chremes* apud *Terentium*: *ſenectus ipſa morbus, in Phorm. A. IV. Sc. I. v.* 9. cui reſpondent *Apollodori* verba ex veteri comœdia græca: τὸ γῆρας ἐςὶν αὐτὸ νόσημα.

i) *in progr. ſcr. Gœttingæ* 1752.

k) *aphor. S. II.* 39. confer *de morb. I. Op. Edit. Lind. Vol. II. p.* 24. ubi ſeniores, inquit, raro patiuntur, ὀλιγάκις πάσχουσι, certe ſi patiuntur, debilius, ἀσθενέςερα πάσχουσι, at juvenes vehementius, πάσχουσι

ſenes non ſolum minus ægrotare docuit, ſed & ab ipſo robore juvenili & plenitudine vaſorum cauſſam derivavit, cur juniores crebrius & acutius laborent. Nec ratione caret ſententia Jo. Bernh. Fischeri, *l*) qui tria ſenectutis ſpatia enumerans medium & poſtremum a morbis magis vacuum declarat, quam primum circa confinia adhuc vegetioris ætatis. In hoc enim ait hæmorrhoides, calculum, podagram & alia mala arthritica infeſtare, at fere ſine tam triſti ſatellitio eſſe extremam ætatem, idque non ſolum deberi vitæ, ad ea, quæ ſibi congruunt, magis vigili, ſed maxime internorum humorum, a quorum vario decubitu, ſtaſi & corruptela, tot morbi pendent, decreſcenti copiæ, & motui, qui illam corruptelam accelerat, minus intenſo, cum interea coctionum & excretionum neceſſaria præſidia pro minori jam corporis indigentia nondum ſub prudenti vitæ uſu fatiſcant. Quodſi ipſam putredinem ſpectamus, qua tandem, quidquid vitalium corporum eſt, diſſolvitur, eam ſicciora corpora, qualia ſenilia ſunt, penetrare difficilius, neque in hæc putris & maligni miaſmatis ingreſſum tum facile fieri, ipſo edocemur peſtis exemplo, qua in communi ſtrage ſenes vix tentantur. *m*) Sine vitio igitur ſeneſcit, cujus vires in omni functionum exercitio ſenſim & quaſi æqua-

χουσι πλέω τε καὶ ἰσχυρότερα καὶ ἀλγέουσι μᾶλλον τῶν ἄλλων. Ita *Cicero* de adoleſcentibus: *ætas illa multo plures quam noſtra* (ſenilis) *mortis caſus habet: facilius in morbos incidunt adoleſcentes, gravius ægrotant, triſtius curantur, itaque pauci ad ſenectutem veniunt, de ſenect. C. 19. Op. ed. Erneſt. Vol. IV. p.* 955.

l) *de ſenio C. II. §. 2. p.* 110.

m) *Isbr. Diemerbrœck de peſte C.* 4. poſtquam peſtem deſcripſit nulli parcentem, *ſola ſenectus*, inquit, *maxime immunis erat.* Id quoque *Hier. Mercurialis* notat in peſte *Patavina*, *P. Foreſtus* in *Delphenſi.* Caſum ſingularem in peſte *Auguſtana* habet *Jo. Phil. Hœchſtetter*, ubi vetula ſeptuagenaria, quæ ob tædium vitæ jugulum ſibi repetito etiam ictu ſauciaverat, poſtquam audivit, hominem peſte periiſſe, in lectum decubuit madentem adhuc ſudore defuncti, nec infecta tamen. *v. obſ. med. D. VII. Caſ. II. p.* 46. Jam olim *Plinius* ſenes dixit varios morbos non experiri, ſigillatim a peſte non tentari. *H. N. L. VII. C.* 50. *Edit. Hard. p.* 406.

æquabiliter declinant. Imo illa per lentos gradus creſcens in exercendo imbecillitas duplici eoque inſigni commodo fruitur. Ut poſtremum ex his primo loco nominem, tranſit placide in naturalem ἐυθανασίαν, ſeu mortem ſine morbo, cujus mitem in terminando motu vitali genium fuſius ſuo loco expoſui. *n*) Nempe cum ultima morientium lucta corpus juvenile & robuſtum inter diras anxietates conficiat, *o*) quæ oriuntur ex validis cordis in expulſionis ſuæ nixu viribus, quas validior oppletæ arteriæ, in quam ſe evacuare contendit, renixus tandem alterna intenſiori actione opprimit, promtum intellectu eſt, parvum in ſene utriusque actionis momentum & debilem jam cordis motum, quieti proximum, vel ultro vel ſub parva oppoſitarum virium reſiſtentia ſiſti. Hoc eſt, quod *Ariſtoteles p*) dixit, mortem in ſenectute ſine dolore eſſe, vel quod *Plato* docuit, *q*) mortis ſenibus obrepentis ſpeciem eſſe leniſſimam, cum voluptate potius quam dolore. Adoleſcentes mori mihi videntur, inquit *Cicero*, *r*) ut cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur, ſenes, uti ſponte conſumtus ignis exſtinguitur: vel quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi avelluntur, ſi matura & cocta, decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas. Sed vidimus rationem

n) *in progr. ſub auſpiciis muneris Gœtting.* 1736. *ſcr.* §. 6. *ſq.*

o) *Herm. Boerhaave in aph.* 633. quæſtionem movet, cur tantum non in omni morbo mortis articulum anxietas præcedat? Exceptio omnino vix ulla datur niſi in morbis ſoporoſis, cum quibus magnam adfinitatem habet mors ſenilis.

p) ἀλυπός ἐςιν ὁ ἐν τῷ γήρα θάνατος. Addit parvum calorem parvo motu exſtingui. *de reſpirat. c.* 7. *Op. Edit. du Val. Vol. II. p.* 150. *E.* Conf. *probl. S.* 38. 9. *it. de generat. animal, L. V, c.* 4.

q) *in Timæo. Op. Edit. Ficin. p.* 493. Avolare animam ait relaxato nexu ſecundum Naturam cum voluptate.

r) *de ſenect. C.* 19. *p. m.* 956. Parum differunt verba *Senecæ*, ſenilem animam in primis labris eſſe, nec magna vi diſtrahi a corpore. *Ep.* 20. *p. m.* 116. Addit: ignis qui valentem materiam occupavit, aqua & interdum ruina exſtinguendus eſt, ille, qui alimentis deficitur, ſua ſponte ſubſidit.

nem rei; quam ſola obſervatione antiquitas cognovit vel per ſimilitudines expreſſit. Hic vero maxime alterum illud & tempore prius ſenilis imbecillitatis præſidium reſpicimus, quo illa ad delicias, quibus in commercio rerum hujus mundi fruimur, hebeſcens in placidam tranſit vitæ hujus ſatietatem, probe tamen a tædio diſtinguendam. Nam tædium naſcitur ex ſenſu moleſtiarum, quas homo earum impatiens evadere cupit, & hinc aliquando arma in ſe convertit. s) Satietas ex pacatiſſimo animæ ſenſu, ſe nulla re egere amplius, oritur, nec ſe proripit e vitæ vinculis ſed nutum Domini, qui avocat, tranquilla & ad obſequium promta exſpectat.

§. III.

In comparandis inter ſe ætatum commodis & incommodis adparet facile, dulcedinem vitæ cum amarore ubivis mixtam eſſe. Quam miſcelam divina lex in ſalutem noſtram ſanxit, modo memores ſimus, peregrinationem hanc eſſe, quæ bene præparatos ad cœleſtem patriam deducit. Opus itaque erat condimento vitæ inter tot ærumnas per omnem ætatem ſubeundas, at & opus erat, ut crebræ intervenirent faſtidii cauſſæ, ne animo excideret, tranſeundum eſſe ad loca beatiora. Uterque ab illo Naturæ ſcopo deflectit, qui vel nimis blanditiis vitæ captus obliviſcitur, quanto optabilius ſit exire, vel qui ſubſiſtere & juſſa emetiri ſpatia pertæſus tot rebus adverſis ſe ſubtrahens fugam quaſi præcipitat. Quaslibet Natura ætates donis ſuis inſtruxit minime inficiandis: quælibet ſuas dotes habet, ſuas illecebras, ſua gaudia, & inſitas

s) ut fit in deſperabundis, vel quorum jam mens non ſatis ſui compos eſt. At in plerisque ambientium moleſtiarum tædium fingit potius deſiderium mortis quam ſentit. In talem oſorem vitæ ob inopiam ſuam ludit *Martialis L, XI. Epigr.* 17.

Hanc tibi virtutem fracta facit urceus anſa,
Et triſtis nullo qui tepet igne focus.
O quam tu cupias ter vivere Neſtoris annos,
Et nihil ex ulla perdere luce voles!

ſitas varii generis virtutes mirabili Naturæ ordine evolvit: quælibet bona in ſe eſt & optabilis, nec niſi iis, qui male utuntur, moleſta. Quicunque in ſe ipſis & cultu animi ſui fontem tranquillitatis reperiunt, de nulla ætatis linea ſunt queruli, qui illam negligunt, de omni. Cunctis ſua diſplicet ætas, inquit *Auſonius*, t) ad horum mores reſpiciens, quibus oppoſitum exemplum vitæ in omni decurſu ob legitimum uſum eximiæ *Cyrus* præbuit. u) Is in poſtremo ad filios ſermone teſtatur, ſe puerum, quidquid in pueritia præclarum eſſet, conſecutum, adoleſcentem in adoleſcentia, virum in virili ætate, denique ſuam ſenectutem laudat, quam ſenſerit nunquam juventute ſua imbeciliorem. Ita ſi cultior ratio egregium virum omni ætate uti decenter docuit, quid non potioris momenti acceſſurum eſt, ſi ſuis quoque præceptis religio vitam noſtram inſtruit? Extra dubium eſt, Naturam, quæ ſapienter omnes ætatum claſſes diſpoſuit, in extremo etiam ſtadio indigentiæ noſtræ memorem ſua beneficia, juſto pretio æſtimanda, impertiri. Quibus ſi non omnis ſenectus fruitur, ſi ſolito acriorem aliquando hiemem ſentit, accuſanda maxime eſt ætas, quæ præceſſit, prodiga virium, quarum cuſtos eſſe debebat. Si quo tamen proprio his annis onere laborat, probus cogitabit ſenex, adſuetos humeros ferre facilius. Nam qui omne onus negare vellet, videretur ſine dubio contra communem experientiæ fidem loqui, & culpam frigoris ab hieme eadem probabilitate removeret. Juvat tamen hic ſubſiſtere nonnihil & diluere, quæ cum ratione non ſatis gravi tanquam incommoda ſenectuti magis familiaria objiciuntur, & quæ omni jactata ævo in his maxime conſiſtunt, cadere vires ſenum, arceri ab utilibus negotiis, excludi ab uſu rerum, quæ vitam jucundam reddunt, prædam denique vicinæ mortis eſſe, quæ quaſi a tergo hiantibus faucibus incumbit. x) Cadere vires, quod primum objicitur, diffiteri vix licet,

t) *Edyll. XV.* 10. *p. m.* 325. *Omne ævum curæ, cunctis ſua diſplicet ætas*

u) *Xenoph. de inſtit. Cyri. L. VIII. p. m.* 649.

x) quæ momenta etiam *Cicero l. c.* ad finem *C. V. p. m.* 937. recenſet & fuſe proſequitur.

licet, at & viciſſim concedendum eſt, exercitationem & temperantiam multum ſæpe priſci roboris & diu conſervaſſe. Ita in ſacro codice juſtis promittitur, fore eos, ſi ſeneſcunt, דשנים ורעננים, id eſt, ſucculentos & virides. *y*) Idem vidit antiquitas in *Cyro*, cujus de ſe teſtimonium attigi, in *Antigono*, qui ſenex totam fere Aſiam ſubegit, *z*) in *Ageſilao*, cujus præſtantior ſenectus juventute teſte *Xenophonte* fuit, hoſtique magis formidata, *a*) in *Maſiniſſa*, quem ante omnes homines robore ſenectutis admirabilem vocat *Val. Maximus*, *b*) & quem nonagenarium conſtat nihil frigora & imbres veritum nudo capite pedeſtria itinera confeciſſe, & ſic in aliis non adeo paucis. *c*) Docet indies experientia, multos adoleſcentes valetudinarios, multos ſenes robuſtos reperiri. *d*) Largiamur tamen, non adeo ubertim exempla horum ſenum occurrere: quid opus viribus, dum virtus ſenilis juvenilem manum ſuis conſiliis ſuſtentat & quaſi roborat? quid opus, pondera librare, fundas rotare, arcum intendere, jaculari, dum reſtant factu digniora ſine magnis viri-

y) *Pſalm.* XCII. 15. Exemplum præbuit *Caleb*, die, quo annorum octoginta fuit, idem teſtatus robur ſe habere, quam ante XLV annos, cum explorator in terram promiſſam Moſi fidem ſuam probaſſet, unde hic terram illam, qua pes ejus tunc inceſſiſſet, poſſeſſioni ei & poſteris ceſſuram dixit *Joſ. XIV.* 10. 11. Ipſi etiam *Moſi*, qui CXX annorum erat, cum moreretur, nondum caligaverant oculi, nondum vigor ejus aufugerat. *Deuteron. XXXIV.* 7.

z) *v. Plutarch. an ſeni gerenda ſit reſp. Op. T. II. p.* 791. *D.*

a) *Xenophontis* verba de *Ageſilao* etiam citat *Plutarchus* ib. *p.* 784. *E.*

b) *L. VIII. C.* 13. *ext.* 1, *p.* 763. Addit inter alia, eum aliquot horis in eodem veſtigio perſtare ſolitum, non ante moto pede, quam conſimili labore juvenes fatigaſſet. Conf. *Cic. de ſenect. C.* 10. *p.* 943.

c) collegit ib. exempla vegetorum ſenum *Val. Maximus.* Poſſis huc verba ſenis *Plautini* referre: *acute cerno oculis, pernixum manibus, ſum pedes mobilis. in Mil. glorioſ. A. III. Sc.* 1. *v.* 34.

d) νέοι πολλοὶ νοσώδεις, καὶ ῥωμαλέοι γέροντες. *Plut. l. c. Op. T. II. p.* 791. Huc confer *Cic. l. c. C. XI. p.* 943. qui tum agnoſcit multos etiam imbecillos ſenes eſſe, qui nullum officii aut vitæ munus exſequi poſſint, addit, non proprium ſenectutis vitium eſſe ſed valetudinis.

viribus? Gubernator navis, ait *Cicero*, *e*) multo majora & meliora præſtat, quietus in puppi ſedens, quam qui ſcandunt malos, per foros curſant, ſentinam exhauriunt. Illi forte ſenes deflere ſua damna poſſunt, quibus poſt perditas corporis vires, vel decora externæ formæ, nihil in animi cultu præſidii reſtat. Potuit *Milo* ſuis lacertis, quibus bovem olim ſuſtulit, iis certe famam omnem debuit, jam per ætatem flaccidis & detritis ingemiſcere, ut *Helena* rugis ſenilibus, quas in ſpeculo vidit, tum quidem mirata, ſe bis raptam fuiſſe. *f*) Sæpe animus florem juventæ habet, dum marceſcit corpus, & acutius vident oculi mentis, dum illi corporis caligant. Si vappeſcit ſanguis, minus etiam tumultuatur animus, & bene cautio ſenilis, ut aqua vinum, feroces juvenum motus temperat. *g*) Sola mens, inquit *Plutarchus*, *h*) ſeneſcens juveneſcit, & dum tempus reliqua conſumit, ſenectuti adquirit ſcientiam. Melius *Nicodorus i*) de republica meruit legislator in ſenectute quam fortis pugil in juventute. Plus auxilii *Agamemnon k*) ad excidium *Trojæ* in *Neſtore* quæſivit, cujus ſenili ore plena conſilii & melle dulcior oratio fluxit, quam in *Achille*, *Ajace*, *Diomede* & ipſo fratre *Menelao*. Igitur certiſſimum eſt, ab utili negotio non excludi ſenectutem: non exclu-

e) *l. c. C.* 6. *p.* 937.

f) *Ovid.* Metamorph. *L. XV. v.* 229 - 233.

g) *Plutarch. l. c. p.* 791. *B.* Sic ait inſanum Deum alio ſobrio coerceri, & *p.* 788. *E.* dum regnant diſcordiæ, contentiones, æmulationes, primi loci adpetentia, horum vitiorum alia ſenectus retundit & diminuit, alia abolet & reſtinguit, non tantum de incitationibus ad agendum detrahit, quantum ab impotentibus ac fervidis motibus remittit, ut ſobria & compoſita ratione cogitationes poſſint ſuſcipi. Bene *Seneca Ep.* 68. *nulla aptior ad bonam mentem ætas eſt.*

h) μόνος ὁ νȣ̃ς παλαιȣ́μενος ἀνηβᾷ *de educ. liber. Op., T. II. p.* 5. *E.* Diſquirit etiam *Ariſtoteles probl. IV. S. XXX*, unde ſit, quod magis mente valeant ſeniores? *Democrito* olim dicta ſenectus flos ſapientiæ ἄνθος σωφροσύνης.

i) *Aelian. Var. hiſt. L. II. C.* 23.

k) confer apud *Stobæum tit.* 16. *p.* 576. *& Cic. de ſenect. C.* 10. *p.* 942.

cluſit *Solonem* ex concilio *Areopagitico*, non *Catonem* ex curia *Romana* ejecit. *l*) Quos dies rerum magiſtra docuit, futura præſentibus, præſentia præteritis, præterita futuris conferre, horum maxime providentia ſtat ſalus civitatum. Legimus judice *Tullio m*) labefactatas ab adoleſcentibus maximas respublicas, a ſenibus ſuſtentatas & reſtitutas. Hinc adſentiendum eſſe ſeni etiam ſine demonſtratione pronuntianti cenſuit *Ariſtoteles*, *n*) imo *Lycurgus* adſuefieri adoleſcentes voluit, ut ſemper & omni ſeni tanquam legislatori obtemperarent. *o*) Inde ſenatus nomen, ut *Feſtus* ait, *p*) eſt a ſenectute, neque vero, niſi conſilium & ratio in ſenioribus eſſet, inquit *Cicero*, *q*) majores noſtri ſummum conſilium ſenatum dixiſſent. Apud antiquiſſimos Romanos teſte *Gellio r*) neque generi neque pecuniæ præſtantior honor tribui quam ætati ſolitus, majoresque natu a majoribus colebantur ad Deum prope & parentum vicem, inque omni ſpecie honoris priores potioresque habiti. Congruunt verba *Val. Maximi*, ſic honoratam ſenectutem fuiſſe, tanquam majores natu adoleſcentium communes parentes eſſent *s*). *Aegyptios Herodotus* refert ſenioribus ſibi obviis ceſſiſſe de via, venientibus ſedili adſurrexiſſe.

l) *Plutarch. l. c. p.* 790. *B.* *Cato* autem de ſe ipſo apud *Cic. l. c. c.* 10. *p.* 942. *quartum annum ago & octogeſimum, nec me adfligit ſenectus, non curia vires meas deſiderat, non roſtra, non amici, non clientes, non hoſpites.*

m) *de ſenect. C.* 6. *p.* 938.

n) *L. VI. Ethicor. C.* 12. *Op. T. III. p. m.* 107. *B.*

o) πάντι πρεσβύτῃ καθάπερ νομοθέτῃ. *Plutarch. l. c. p.* 795. *E.*

p) *de verbor. ſignific. L.* 17. *Ed. Dac. p.* 590. ſenatores a ſenectute dici ſatis conſtat, quos initio Romulus elegit centum, quorum conſilio rem publicam adminiſtraret. Ita *Tyriorum* ſupremus magiſtratus ſenis nomen geſſit ſpretis aliarum dignitatum titulis.

q) *l. c. p.* 938.

r) *Noct. Attic. C.* 15. *p. m.* 153. morem ait *Romanos* a *Lacedæmoniis* accepiſſe, ubi honeſtiſſimum fuit ſenectutis domicilium.

s) *L. II. C. I. n.* 9. *p.* 127.

xiſſe *t*). Eo juſtior eſt referentiæ locus, ſi nunquam facile probum ſenem mentis ſuæ cuſtodia deſtituit, quin eam potius indies novo doctrinæ pabulo reficiens dicere cum *Solone* poſſit, ſe quotidie aliquid addiſcentem ſeneſcere. Is enim adeo fuit ſciendi cupidus, ut etiam moriens ad amicorum adſidentium colloquia erigeret caput, & quare id faceret? quæſitus, *ideo* reſponderet, *ut cum iſtud, quid ſit, de quo diſputatis, percepero, moriar u*). Subveniendum eſt animo, ut tanquam oleum lumini inſtilles, & imitari *Catonem* convenit, de ſe ipſo teſtatum, exercendæ memoriæ cauſſa, quid quoque die dixerit, audierit, egerit, ſe veſperi commemoraſſe *x*). Non eſt inter has exercitationes ingenii, hæc curricula mentis, illud, quod vulgo ajunt, deſipere ſenſim ſenes & repueraſcere, metuendum *y*).

§. IV.

Frugi fortaſſis ſenectus eſt, inquis, at miſera, cui lex incumbit, tot vitæ oblectamentis, quæ ſenſuum vigor pollicetur, renuntiandi. Hoc tertium eſt, quod objici ſenibus ſolet, nec in ſe magni momenti *z*). Quid enim damni erit, ſi iis carent, quorum non amplius deſiderium ſentiunt, imo quibus plerumque carere quam frui ſatius eſt. Nego autem potioribus privari, at illis juvat carere, quæ juvenilem fervorem alunt, oculos faſcinant, animum corrumpunt. O præclarum munus ætatis, inquit *Cice-*

t) *Hiſt. L. II. C.* 30. *p.* 119.

u) *Val. Max. L. VIII. C.* 7. *ext.* 14. *p.* 740.

x) *Cic. de ſenect. C. XI. p.* 944.

y) Qualem calumniam bene diſcuſſit *Sophocles*, qui prope annum centeſimum *Oedipodem Coloneum* ſcripſit, quam fabulam omnium ejusdem ſtudii poetarum præcipere gloriam potuiſſe judicat *Val. Maximus L. VIII. C.* 7. *ext.* 12. *p.* 739. Atque hic *Sophocles* a filiis in judicium vocatus, quaſi per ætatem deſiperet, & a re familiari removendus eſſet, recitato *Oedipo* ſuo judicum facile ſententiis abſolutus eſt. *Cic. l. c. C.* 7. *p.* 939.

z) Id *Corn. Gallus Eleg. I. v.* 165. ſenibus objicit.

Crimen amare jocos, crimen convivia, cantus.
O miſeri, quorum gaudia crimen habent!

Cicero a) ſi aufert, quod in adoleſcentia vitioſiſſimum! Laudem non vituperationem meretur, fervorem illum in ſene deſpumaſſe, eorumque, quæ cum bonæ mentis diſpendio oblectant, faſtidium ſubnaſci, & quidquid faſcini eſt, quod ad vana & futilia rapit, jam virium ad corruptelam habere minus. Quæ procelloſam ſequitur ſedatior ætas emeritis tot vitiorum & errorum ſtipendiis cautior, quantum veneni lateat ſub rerum prima ſpecie jucundarum vix evitando abuſu, indies magis intelligit. Indoluit *Themiſtocles* transmiſſis jam annis CVIII demigrandum ſibi de vita eſſe, cum ſapere demum orſus fuerit. Nempe multum plerumque temporis tranſit, antequam fluctus illos, quibus juvenum animi jactantur, evadimus, & læta ſine lolio meſſis ex illa utilium experimentorum copia ſurgit. Quo minus ſtimuli relinquunt vagæ præcedentis vitæ deliciæ, eo etiam minus attollere oculos ad alterum mundum prohibemur, noſtra attentione, noſtris votis digniorem. Neque vero omnis aufugit rerum nobis obviarum & in honeſtum uſum cedentium gratia. Commoda ſalubris apricationis in puro aere, cui ſuavitatem odorum flores adflant, grate reficiunt vires corporis. Oculos tot ſpectacula Naturæ perpetuo alliciunt, vel ingruente eorum caligine memori adhuc animo obverſantur, & in auctoris ſui cultum, quem mox propius cognoſcere ſpes eſt, ſub fixiori cogitatione validius impellunt. Aures multorum concentus muſici adhuc oblectant, qualem ſibi ſenectutem *Horatius* ab *Apolline* poſtulat cithara haud carentem *c*). Neque enim in ſene, cui curæ ſemper fuit corporis & animi valetudo, omnis facile aboletur ſenſus incolumitas. Nec ipſum palatum, quod intemperantia nondum corrupit, a cibo potuque ſobrie ſumto abhorret, nec tempeſtiva fugit convivia, quæ nomen ab amabili vitæ conjunctione habent, inter amicos ſermones & pocula, ut in ſympoſio *Xenophontis*, rorantia & minuta. Dum vero fugit ſenex lautas epulas & certantia inter ſe pocula, caret

a) *De ſenect. C.* 12. *p.* 945.

b) Apud *Cael. Rhodigin. var. lect. L.* 30. *C.* 2. *p. m.* 1670.

c) *Odar. L. I.* 31. *v.* 20.

caret quoque vinolentia, cruditatibus & inſomniis *d*). Anguſtior ille videri poteſt oblectamentorum campus in oculis juvenum, ſed non eſt in ſenſu ſenum, quibus limpidior circa veſperam dierum fons voluptatum manat; dum haud interpellantur amplius a furore cupiditatum; quæ animo pudorem, rationi nebulas offundunt. Una honeſta actio plus recreat ſapientis ſenis animum, quam mille gaudia, quæ luxus temporum, ille infenſiſſimus ſanitatis tum animi tum corporis hoſtis, promittit. Tandem ultimum ſupereſt, quod premere ſenectutem creditur, mors quaſi in omni jam gradu vitæ præſens & ſtricta velut falce cervicibus imminens. Huic vero quæ non alia ætas, imo quæ non magis, obnoxia eſt? Quantillum ſenum in tanta ſtrage quotidie morientium reperitur? Plurimi in vitæ aditu, multi in medio progreſſu, pauciſſimi in ſenectute occumbunt *e*). Haud ex cenſu citamur, ſed juſtiſſimum omnibus eſt, vitam, quam ſine fœnore creditor dedit, ubi repoſcit, ſine gemitu queſtuque reddere, & credere ſemper, mortem in propinquo eſſe. Præcipites anni velut incitato gradu ruunt, inſtar ſomni pubertas tranſit, maxima menſura parum a nihilo abit, punctum eſt, quod vivitur; vel puncto minus, ſi ad univerſum refers, & extrema ſenectus in paucorum annorum circuitu conſiſtit *f*). Hæc vero eo beatior eſt, quod ſub

d) *Cic. de ſeneCt. C.* 13. *p.* 947.

e) Ex centum natis viginti circiter ad octageſimum annum perveniunt, quod notat ex obſervationum ſumma fide inſtitutarum & variis locis inter ſe comparatarum calculo vir maxime rev. *I. P. Süsmilch von der göttl. Ordnung in Veränderung des menſchl. Geſchlechts T. II.* C. 22. *v.* 467. *p.* 332. Rara ſeniorum exempla attingit ib. §. 481—488. *p.* 352. *ad* 360. Quæ ſit eorum ratio ad reliquam viventium turbam, in *T. II. tab.* 17. 20. 21. definit. Annum ætatis 38. ponit medium inter æqualem ſpem vivendi & metum moriendi. *T. II. C.* 22. §. 473. *p.* 340.

f) *Senec. in Conſol. ad Marc. C- XI.* ad finem *Op. T. I. p. m.* 264. Pulchre ſummam brevitatem in adparente longitudine adumbrant verba *Plutarchi:* ajunt ad *Pontum* animalia eſſe, quorum vita vix diei termino includitur; mane naſcuntur, meridie vigent, veſperi conſeneſcunt & moriuntur. His ſi ratio eſſet, luctus cauſſam præberet ante meridiem mors, beata vocaretur vita, quæ per diem duraret. *in Conſol. ad Apoll. T. II. p.* III. *C.* Sane humana omnia brevia & caduca, quæ infiniti tem-

ſub lentioribus paſſibus, ſi quid in tanta brevitate lentum eſt, ad vitæ, cujus nimio ſæpe amore flagramus, ſatietatem magis perveniat, quam ut in fonte ſuo jam expoſuimus, ita illam veteres gentilis ſapientiæ doctores illuſtrarunt comparatis inter ſe ætatibus. Nempe ut pueritiæ ſtudia non requirunt amplius adoleſcentes, nec adoleſcentum viri, ſic nec virorum ſenes: ita occidunt ſuperiorum ætatum ſtudia, ac tandem ſenum, cum progreſſus non detur, nec regreſſus quidem in votis eſſe poſſit, evenit ſatietas vitæ & tempus maturum mortis adfert *g*).

§. V.

Illud vero *Lycophranis*, nullam homini eſſe vitæ ſaturitatem *h*), an ſenes excludit? *Ariſtonis* certe ſententia multos ſenes, etiam ſapientes, vitæ cupidos declarat *i*). Quid quod non alios magis quam ſenes cupidine vitæ tentari perſuaſum fuerit *Sophocli k*) hinc eos, licet querulos ſe vita fatigari, ingruente morbo adire medicum & ſubmiſſe orare, ne quid induſtriæ in medendo omittat, *Epictetus* cenſuit. Atque id patri ſuo *Phereti* objecit *Admetus*

R ex

temporis quantillum occupant! *Xerxi* lacrymas expreſſis immenſi & vegeti exercitus obtutus, cum cogitaret, elapſo ſeculo nullum ex tanto numero ſuperfuturum eſſe. *Herodot. L. VII.* 46. *p. m.* 398.

g) Sunt ipſa verba *Ciceronis de ſenect. C.* 20. ad finem *p.* 958.

h) ὀ γὰρ ἔς αὐτῦ κόρος, apud *Stobæum S.* 118. *ed. Geſn. p.* 599.

i) πολλοὶ σοφοὶ γηραιοὶ φιλοζῶσι. *ib. p.* 600.

k) τῦ ζῆν γὰρ ὀυδεὶς ὡς ὁ γηράσκων ἐρᾷ. *ib. edit. Grot. p.* 483. *tit.* 117. *it. tit.* 118. *p.* 476. *&* *tit.* 120. *p.* 489. ubi, quæ præcedunt, *Grotius* ſic vertit: *nam ſacra regna Ditis nec ipſa ſenectus amat.* Poteſt huc referri illud *Alexidis: ultimum vitæ curſum tranſigens vivere cupio. ib. tit.* 118, *p.* 599. aut illud *Anacreontis: ſuſpiro ſenex tartarum metuens: terribilis enim Plutonis eſt ſpelunca & deſcenſus ad eam horrendus. tit.* 117. *p.* 894. Talia paſſim plura, ut *ib. in Edit. Geſn. S.* 116. *p.* 594. *ex Muſon. mortis metus maxime turbat premitque ſenes*, μάλιςα θυρυβεῖ καὶ πιέζει τὺς γέροντας.

Rex *Theſſalorum* apud *Euripidem l*), fruſtra ſenem optare mortem, ſub ejus enim acceſſu nullum eſſe, qui mori velit, nullum, cui jam gravis ætas videatur. Quin & *Seneca decrepiti etiam ſenes*, inquit *m*), *paucorum annorum acceſſum votis mendicant, minores natu ſe ipſos fingunt, mendacio ſibi blandiuntur, & tam libenter fallunt, quaſi fata una decipiant.* Præterea in rationes, tanquam re ipſa ſatis explorata, *Ariſtoteles* inquirit, cur amantiores vitæ ſint ſenes, maxime poſtremis diebus? easque in frigida corporis temperie & puſilanimitate ſenum ſibi videtur reperire *n*). Sic *Plutarchus Iſocratem* deſcribit ut ingenii timidi, qui quomodo valeat? rogatus reſpondit: *ut homo, qui nonageſimum annum exceſſit, & malorum maximum mortem exſpectat o*). Denique fabulæ & fictiones pro coloranda illa cauſſa ſenibus tam probroſa adducuntur. Senex apud *Aeſopum* cæſa in monte ligna, dum humeros gravant, abjiciens mortem vocat, cui protinus adſtanti & quid velit, ſciſcitanti, *ut hoc onus*, inquit, *ſublatum mihi imponas p*). Lepidior etiam fictio *Luciani q*) eſt in dialogis mortuorum, ubi *Dioge-*

l) *in Alceſtide Op. Ed. Barneſ. P. II. p.* 283. *v.* 669. *ad* 674. μάτην οἱ γέροντες εὔχονται θανεῖν. Cum *Apollo* a *Parcis* impetraſſet, ut pro morituro *Admeto* mori alius poſſet, qui ultro ſe offerret, renuente patre ſe obtulit conjux *Alceſtis*. Hinc jurgia inter filium & patrem. *An putas*, hic inquit, *patrem non delectari vita? brevis vita ſed tamen dulcis*, *v.* 693—722.

m) *De brevit. vit. C. XI. Op, T. I. p. m.* 502. pergit his verbis: *jam vero cum illos aliqua imbecillitas mortalitatis admonuit, quemadmodum paventes moriuntur, non tanquam exeant de vita, ſed tanquam extrahantur? ſtultos ſe fuiſſe, quod non vixerint, clamitant; & ſi modo evaſerint ex illa valetudine, in otio victuros. Tunc quam fruſtra paraverint, quibus non fruerentur, quam incaſſum omnis labor ceciderit, cogitant.*

n) *Rhet. L II. C.* 22. *Op. T. III. p. m.* 770. *A.* ubi φιλόζωοι dicuntur ſenes, maxime ἐπὶ τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ.

o) *De vit. X. Orat. T. II. p.* 837. *A.* ubi εὐλαβὴς vocatur. Ipſum ejus reſponſum *v. T. II. p.* 330. *D.*

p) *fabul. XX. p. m.* 204.

q) *Dial. mort. XXVII. Op. T. I. p. m.* 443. 444.

Diogenes ex ſene apud inferos lugente, an forte in mundo rex fuerit aut ſatrapa, aut certe dives? quærit, ille autem fatetur, ſe nonaginta propemodum annos exegiſſe, vitam inopem calamo piſcatorio ac linea ſuſtentaſſe, nec egenum ſolum ſed & claudum ac viſu hebetem fuiſſe. *Et ſuſtinuiſti tamen vivere?* inquit *Diogenes*, cui ille: *jucunda lux eſt, mori triſte & horrendum.* Sane nec his ingeniorum luſibus nec illis poetarum & comicorum ſententiolis multum tribuo, & in ipſo philoſophorum judicio plus rigoris requiro. *Ariſtoteles* timiditatem ſenibus tribuit, quos in compendio viarum, quæ reſtant, ubi nequit multum novi periculi ſollicitare, nobilis potius ſui fiducia ornat & diſtinguit, ut *Solonem*, qui rogatus a *Piſiſtrato* tyranno, qua ſpe fretus ſibi tantopere reſiſteret? *ſenectutis* inquit *r*). Nec in *Iſocrate* tam vecors & timidum ingenium agnoſco, qui, modo vera ſint ejus verba *s*), quæ ei titubanter adſcribuntur, mortem ſe exſpectari dixit, malorum communi paganorum judicio maximum *t*), ſe metuiſſe his verbis nondum prodidit, qui paulo poſt audito *Chaeronenſis* cladis, quæ res patriæ adflixit, nuntio mortem ſibi inedia conſcivit *u*). *Senecæ* ipſum, quod habet, *Buſſi Aufidii* exemplum oppono *x*). Is,

r) *Cic. de ſenect. C.* 10. *p. m.* 956. *fortiorem me ad multa reddidit ſenectus*, ait *Seneca Ep.* 104. *Op. Vol. II. p. m.* 513.

s) Et non potius ex obſcuro rumore nata; hinc ipſe *Plutarchus l. c.* addit: ὥς φάσιν.

t) Infinitis paſſim locis *Ariſtophanes* βαρύτατον τῶν κακῶν adpellat. *Ran. A. V. Sc. III. v.* 17. *Euripides* inſanire dicit, qui optat mori apud *Stobæum tit.* 118. *p.* 599. *Achilles* apud inferos teſtatur *Ulyſſi*, ſe mercenarium ſervum inopis eſſe malle, quam omnibus manibus defunctis imperare. *v. Homer. Odyſſ. L. XI. v.* 488. *ſq. p. m.* 223. Notum illud de morte: πάντες φρίττουσι, πάντες μισοῦσι, πάντες κακῶν χείριστον οἴονται.

u) *Plutarch. l. c. p.* 837. *A.*

x) *Epiſt. XXX. Vol. II, p. m.* 112. lubentiſſime illum audivi, ait *Seneca*, quaſi ferentem de morte ſententiam, tanquam propius inſpecta ejus natura. Plurimum id apud ſe auctoritatis habuiſſe fatetur, quod de vicina morte locutus ſit, qualis deſiderat lentam animi firmitudinem, quæ rarior eſt nec poteſt niſi a ſapiente præſtari.

Is, in quem ſenectus univerſo pondere incubuit, virtute animi, præceptis ſapientiæ muniti, in conſpectu mortis hilaris lætusque docuit admirabili conſtantia omnes, morientis non mortis vitium eſſe, ſi quid in hoc negotio incommodi & metus aliquando occurrat. Ita *Socratem* ſub acceſſu mortis & in ultimo ejus momento quam ſuaviter & quaſi in ſummo otio & pacatiſſimo animi ſtatu confabulatum cum amicis eſſe legimus. Sed exemplis pugnare nolo, nedum his, in quibus dubium videri poſſit, plus contra mortis metum muniminis philoſophia an ſenectus contulerit? Agnoſco ſocias utrinque vires & maxime in illis, quos verus religionis ſenſus non modo adverſus formidinem mortis armat, ſed & læta futurorum exſpectatione implet. Liquet tamen ſimul, ſi ſolum ſpectamus ſenilis naturæ beneficium, ſpicula mortis in hos, qui ſentiunt minus, cadere hebetius. Neque vero penitus abnuo, reperiri ſenes, quibus miſeræ vitæ etiam ſub tenui uſu dulcedo eſt, quo propius imminet judicis, de quo conciliando nunquam ſerio cogitarunt, ſententia. Vix enim his ita obbruteſcit animus, ut non occurrat paſſim, quam vane ſtulte tumultuarie acta abs ſe ſit vitæ fabula, teſte Deo & probis hominibus indigna, & ſolatii nihil in articulo mortis præbens. Eos reſpicio, qui ſub luxu & voluptate ad ſenectutem aliquam, ſed miſeram plerumque & deformem, perveniunt, quibus ſub ipſa ſenſuum hebetudine memoria anteactæ vitæ turpes, quæ corruptam mentem adhuc oblectant, flagitiorum ſuorum imagines repræſentat. Participes amplius priſcarum voluptatum cum eſſe non poſſint, teſtes fieri in aliis gaudent & hortatores *y*). His, ſi futura ſpectant, remanens ſqualidiſſimæ vitæ umbra lucrum eſt.

§. VI.

Tanto felicior ſenum ſors eſt, qui nativum, quod conſecuti ſunt, corporis robur, in omni vitæ limite ſeveris ſobrietatis legibus

y) Senex *Demetrius* cum adducta meretricula frui non poſſit, obtulit convivis: ὃ δύναμαι τανύσαι, λαβέτω δὲ καί ἄλλος. *Athen. deipnoſ.* LXI. p. m. 437. E.

gibus tuentur, animique, quo turbulento nihil eſt valetudini hominis infeſtius, bene morati pacato contubernio fulciunt. His extrema etiam ætas leniter defluit, quæ morbus adeo non mereatur adpellari, ut inter defecatioris vigoris veſtigia pars vitæ beatiſſima ſit, qua placere ſibi adhuc in domo, quam occupat, ſenilis anima poteſt. Venerabilem canitiem decora in vultu gravitas & vivus in genis color ornat z), voxque agilis ſpiritus plena, in ambiguis caſibus inſtar oraculi cum referentia conſulitur. Placida hic omnia nihil non maturi & excocti. Illi profecto non ſunt, in quos merito luſit ingenium *Philemonis a*), qui vetuit ſenem rogare aut vetulam, quomodo valeant, liquere enim ſtatim, male valere. Juſtius *Seneca* tali ſenectuti adplaudens, *complectamur eam*, inquit, *& amemus, plena eſt voluptatis, ſi illa ſciamus uti: gratiſſima poma ſunt, dum fugiunt: quod in ſe jucundiſſimum habet omnis voluptas, in finem ſui differt b*). Etſi vero ad probæ ſenectutis commoda exſpectanda multum intereſt, qua quis ſtirpe natus ſit, quo ſolo & ſub quo ſole? valetudo tamen etiam ſub ortu infirma inter cautas vivendi leges ſæpe revaleſcit, & præ robuſtis, qui, quidquid a Natura eximii habent, temere profundunt, fortunato ſenio fruitur; ut omnino pateat, minus adminiculi eſſe in congenito corporis robore, ad cujus tutelam ſobrietas non accedit, quam in hac, ſi imbelle etiam corpus omni fide tuetur. Nunquam fructu caret ſolers ad omnem valetudinis offenſam attentio, poſt ea etiam, quæ interdum ſiniſtra interveniunt,

z) *Julianus Nervam* deſcribit ut ſenem adſpectu pulchrum & decorum. *Op. Edit. Spanheim. p.* 311. *A. Lucet*, inquit, *etiam in ſenectute decor vultus*, *καὶ ἐν τῷ γήρᾳ τὸ κάλλος*. Canities etiam in ſacris corona dicitur, quæ in via juſtitiæ invenitur, *proverb. XVI.* 31. Hinc & paganis in honore fuit. *Laceo* ille prolixam in canitie barbam aluit, ne quid canis ſuis indignum committeret. v. *Plutarch. in apopht. Lac. Op, T. II. p.* 232. *D.*

a) Apud *Stobæum S.* 115. *p.* 589.

b) *Ep. XII. Op. T. II. p. m.* 79. pergit: *illam quoque in extrema tegula ſtantem judico habere ſuas voluptates, aut hoc ipſum ſucceſſit in locum voluptatum, nullis egere: quam dulce eſt, cupiditates fatigaſſe & reliquiſſe!*

niunt, vigilantior. Naturam quilibet habet, quamvis ab initio noverca videatur, ad ſuas vindicias comitem: bene eſt, ſi ei blande primum, nec, niſi immorigeros, aſpere monenti aures præbere adſueſcit, & leviter aberrans deprehenſo errore protinus pedem retrahit. Neque vero inficiamur, in viis tam ſalebroſis ſæpe & præruptis, ubi tot pericula & occulta tela minantur, facile eſſe, hærere & deflectere, multum noxæ a fortuitis caſibus pendere, nec ſemper in tanta errorum ſegete rem eſſe in poteſtate noſtra & vigilantia poſitam, inoffenſo pede progredi. Vix uni inter myriades contingit, quod *Xenophilo c*), cui centum & quinquaginta annos, quod illi vitæ ſtadium fuit, ſine omni valetudinis incommodo emetiri licuit. Referri huc *Gorgias Leontinus* poteſt, cujus in adagium venit ſenectus, tanquam optima nec annis exſoluta, ſed ſemper pubeſcens. Is alterum quoque ingreſſus ſeculum roganti, cur tamdiu in vita eſſe vellet? reſpondere potuit, non ſe habere, cur ſenectutem incuſaret *d*). *Quid iſto tractu ætatis aut longius aut beatius?* exclamat *Val. Maximus e*) *in novo ſeculo, quod ingreſſus eſt, non reperit querelæ locum, in priori non reliquit?* At ſi eandem rationem valetudinis tam proſperæ, quam *Gorgias* dedit, quod nempe nihil ſibi voluptatis cauſſa permiſerit, dare plures poſſent, haud dubito, ampliorem eorum numerum fore, qui iis in ſenectute viribus ſint, ut adoleſcentiam haud requirant *f*). Quidquid tamen oneris aliquando in ſenio reſtat, a quo

c) *Plinius H. N. L. VII. C. 50. Vol. I. p. m.* 406. 15. Eundem *Xenophilum* omnis humani incommodi expertem & in ſummo perfectiſſimæ ſapientiæ ſplendore exſtinctum ex *Ariſtoxeno* deſcribit *Val. Maximus L. VIII. C.* 13. *p. m.* 764. Habet ſub hoc capite plura exempla de *ſenectute memorabili.*

d) *Cic. de ſeneƐt. C.* 6. *p.* 936. Ille fuit *Gorgias*, cujus orationes tam admirabiles viſæ, ut dies, quibus habitæ eſſent, ἑορτὰς dicerent, ipſas orationes lampadas. Conf. *Cael. Rhodigini antiqu. lect. L.* 19. *C.* 20. *p. m.* 1075.

e) *L. VIII. C.* 13. *p. m.* 764.

f) Quod de *L. Metello* habet *Cicero l. c. C.* 9. *p.* 492. Spectat huc *Auſonius* pater de ſenii ſui vigore teſtis:

Nonaginta annos baculo ſine corpore toto
Exegi cunctis integer officiis;

